
EX LIBRIS
GAND

ANALECTA LITTERARIA.

I. C. VALERII CATULLI CARMINA SEX PRIORA CUM COMMENTARIIS IAN. BROUKHUSII ISAAC. VERBURGII ET EDITORIS

II. M. TULLII CICERONIS ORATIONIS PRO M. TULLIO QUAE EXSTANT CUM COMMENTARIIS ET EXCURSIBUS PH. EDUARDI HUSCHKII

III. COMMENTATIONES DE TIBULLO ET PROPERTIO

IV. EPISTOLAE VIRORUM DOCTORUM INEDITAE.

CURANTE

IMMAN. G. HUSCHKIO

PROFESSORE ELOQUENTIAE ET POESIS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI.

LIPSIAE

IMPENSIS C. H. F. HARTMANNI

MDCCCXXVI.

VIRO

NOBILISSIMO. EXCELLENTISSIMO

LEOPOLDO. HARTWIG. DE. PLESSEN

I. V. D.

MAGNI. DUCIS. MEGAPOLITANO. SUERINENSIS. A CONSILIIS. SANCTIORIBUS. ET. MINISTRO. ORDINUM EQUESTRIUM. AUSTRIACI. ST. LEOPOLD. ET. DANICI DANEBROG. MAGNA. CRUCE. INSIGNITO. EIDEMQUE ORDINIS. AQUILAE. RUBRAE. BORUSS. PRIMAE CLASSIS. EQUITI

VIRO

GRAVISSIMIS. REIP. GESTIS. MUNERIBUS SPECTATO. AC. COGNITO

HUNC. LIBRUM

D. D.

EDITOR.

Haud ita multos fore arbitramur, qui sciant, Ian. Broukhusium non modo propositum habuisse, ut Catullum tali fere commentario, quali primum Propertium deinde etiam Tibullum illustravit, instructum ederet, sed editionem ipsam inchoasse, inchoatam autem, prima plagula typis iam expressa, destituisse. Huius plagulae specimen unicum, quod exstat, sibi comparaverat Santenius, unde cum reliqua eius supellectile libraria migravit in Bibliothecam Regiam Berolinensem. Quid impulerit Broukhusium, ut consilium Catulli edendi abiiceret, hodie quidem decidi nequit. Non tamen a vero me aberraturum esse arbitror, si dicam, commentarii illius, quem partim typothetarum formulis expressum partim manu scriptum reliquit auctor, ieiunitatem effecisse, ut, re accuratius considerata ac perpensa, ab incepto desisteret. Sane notulae illae tam breves, ut una plagula sex fere caperet poetae carmina cum editoris commentario, meris propemodum constant Excerptis e scriptis eorum, qui vel in transcursu vel data opera Catullum illustrarunt, nec ullam habent commendationem a Codicum veterumque Editionum subsidiis, quibus ille etsi instructus fuisse videtur, tamen usus est perpaucis. Quem defectum quum ego quodam modo supplere possem, non dubitavi plagulam illam paene intermortuam quasi in vitam revocare, atque ita planum facere, quid de instituto illo Broukhusiano existimandum sit.

Compluribus annis post Broukhusium eandem rem aggressus Is. Verburgius similem illi quidem sed longe tamen duriorem expertus est fortunae iniquitatem. Hic Catulli carmina edere cum commentariis uberrimis conatus in prima plagula, typis impressa, item substitit nec ultra progressus est, non tamen sua ipsius sponte et voluntate, sicut Broukhusius, sed, quod mireris, ab adversariis impeditus. Qua de re Saxius in Onomastici Litterarii Parte I. p. 149. ita refert: Isaac. Verburgius apud animum constituerat, Catullum animadversionibus illustratum promulgare, sed consilium eius, primo duntaxat folio typis descripto, quod solum superest, potenti adversariorum ambitione interpellatum esse aiunt. Hi ambitiosi et potentes adversarii quinam fuerint, diu ego frustra quaesivi. Tandem incidi in libellum e rarioribus unum, unde rem et causam cognovisse mihi videor. Qui libellus hanc in fronte inscriptionem habet: Sapientia Hyperborealis: sive specimina literaturae barbaro-Scythicae, quam nostro tempore viri quidam illuminatissimi voce ac scriptis certatim illustratum eunt. Auctore Alexandro Agricola, cum notis Anonymi. Edente Alexicaco Philomuso, qui et praefationem adiecit. MDCCXXXIII. In hoc libello quid de Specimine Catulli Verburgiano existimetur, cognosci potest ex animadversionum ad Catulli carmina Appendice p. 61 et 69. ubi simul professus sum, auctorem esse P. Burmannum. Haec notitia rursus accepta referenda est Saxio Onom. Litter. P. VI, p. 293. Analectt. p. 995. Petrus igitur Burmannus unus e potentibus illis Verburgii adversariis fuit, quorum intercessione et auctoritate Catulli redemptor adduci se passus est, ut editionem Verburgianam interrumperet. Nec ullum inde detrimentum bonas litteras cepisse

quum e Specimine ipso tum ex animadversionibus meis apparebit. Nam hic commentarius maximam partem plenus ruris est et inficetiarum, satisque demonstrat, nulli rei minus quam Catullo illustrando idoneum fuisse Verburgium. Tamen huic non defuerunt patroni studiorumque socii, in quo numero ipse fuisse dicitur, quod vix crediderim, Tib. Hemsterhusius. Nam a. 1734 in publicum prodiit Chrestomathia Petronio-Burmanniana, qua illi, quod pauci sciunt, Sapientiae Hyperborealis auctorem remunerari instituerunt quam simillimo munere. Biennio post, ait Saxius Part. V, p. 474. telis minime hebetibus Chrestomathiae Petronio-Burmannianae, Florentiae, (seu potius Amstelaedami, 1734.) 8. petebatur, de cuius auctoribus aliquamdiu dubitatum est. in Catalogo van Goensiano Tom. I. p. 590. n. 6701. aperte eduntur Is. Verburgius et T. Hemsterhusius. Ad duo certe homines respicere videtur Burmannus minor in Anti-Klotzio, p. 21. alium vocans clandestinum incentorem, suppeditantem plurima ex insidiis, alium Chrestomathiae .. consarcinatorem vel compilatorem. — Mirum sane hoc nemini non accidere debet, quid Hemsterhusium impellere potuerit, ut societatem iniret cum Verburgio contra Burmannum. Sed hoc in medio relinquimus.

Speciminis Verburgiani complura exstant exempla, quorum unum est in manibus viri docti in Germania, sua ipsius bona nescientis. Nam quum agglutinatum sit Propertio Broukhusiano, quem possidet, hinc concludit ille, etiam hanc plagulam esse particulam editionis Catulli, inchoatae a Broukhusio sed interruptae; miratus caeteroquin, quid sit quod Broukhusius ipse laudetur in hoc Specimine dicaturque vir elegantissimus ad Carm. I. vs. 1

et 2. Atqui hoc est specimen Verburgianum, cui, ut narrat vir doctus — Degen. in Ephemer. Erlang. a. 1800. n. 48. p. 382. — vetus possessor adscripsit: continuatio in Belgio prohibita est circa annum 1730. Ergo si nihil aliud, certe hac nostra editione caput illud historiae, quam dicunt, litterariae, obscuratum pridem ac vetustate paene oblitteratum, iam plena luce collustratur.

Caeterum Variantes, quas his carminibus adscripsi, omnes excerptae sunt ex apparatu Santeniano una cum epistolis virorum doctorum, qui Codices in gratiam Santenii cum editis libris contulerunt. His unam adieci ad me ipsum scriptam Ulrici Frider. Koppi epistolam, viri in litterarum studio acerrimae licentiae, quicum amicitiam nuper contraxisse in laetioribus vitae meae eventis referre soleo.

C. VALERII
CATULLI
VERONENSIS
CARMINA PRIORA SEX.

C. VALERII CATULLI
VERONENSIS
AD
CORNELIUM NEPOTEM
LIBER.

I.

Cui dono lepidum novum libellum,

CAI] *Quinti* Scaliger. sed *Caji* est apud Passeratium, Vossium et Achillem Statium. Inscriptio vetus desumta e Ciampini Monumentis Romae editis anno 1690 apud Tentzelium Colloq. P. III. p. 136.

D. M.
IPSITHILLAE
DULCISSIMAE
C. VALERIUS
CATULLUS
LEPORIBUS SUIS
MOERENS P.

1. QUOI] De scriptura huius vocis vid. Ach. Stat. p. 10. Malaspin. in Cic. VII. ad Att. 13. p. 708. a. Cicero XIII. ad Att. 42. *Rogas? inquit,* quoi *iter instet, et iter ad bellum.* vid. Donatus in And. I, 1, 40. Propertius 2, 3, 7.

Nam quoi non ego sum fallaci praemia vati?

Ita Groninganus. vide plura ad Tibullum I, 11, 64. BROUKH. — CUI dono] Ita reposui pro Casco isto *Quoi*, quod

Arida modo pumice expolitum?

tamen editiones plerasque obsidet. Achilles Statius, vir summus, *cui*, quod eius temporis editiones habebant, etiam in scriptis invenit: et ita exhibet Terentianus Maurus de Metris p. 96. Ed. Sanctandr. de Hendecasyllabo:

Non solum recipit pedem (ut loquebar)
Spondeum, sed et aptus est trochaeo,
Nec peccat pede natus ex iambo.
Exemplis tribus hoc statim probabis
Docti carmine quae legis Catulli:
Cui dono lepidum novum libellum,
Arido modo pumice expolitum.
Meas esse aliquid putare nugas. . .
Quos dixi modo iam pedes, videmus
Diversos capiti trium locatos:
Spondeum Cui do, *trochaeum* Ari,
Meas, quis neget hunc iambon esse?

Marii Victorini idem affirmantis, quum in plerisque Terentianum sequatur, verba non addo. Fuerunt igitur, qui iam dudum hoc loco *Cui* legerunt, ut in aliis (etiam ab iis qui hoc loco *Quoi* retinuerunt) quoque est factum; ideoque miror Janum Broukhusium, qui ad Tibull. L. I. Eleg. II, 64. ita scribit: Nemo unquam in Catullo sollicitavit: *Quoi dono* etc. Immo vero non pauci iam olim, ut patet, reposuerunt *Cui*, quos libenter sequor. VERB.

2. ARIDA] *Arido* omnibus modis defendit Achilles Statius sed male. nam hac ratione corrumpitur rhythmus. Vid. Menagii Observationes ad Malherbam Gallice scriptas p. 484. Certius autem testimonium est Servii ad XII. Aen. 587. PUMICEM *autem iste masculino genere posuit. et hunc sequimur: nam et Plautus ita dixit, licet Catullus dixerit feminino.* Plauti locus est Aul. 2, 4, 18.

Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex.

Pierius legebat *arida,* ut ex quodam carmine eius liquet. Quod vero hic Vossius super loco in Priapeis vult dici *putris* et *putrus,* id erat probandum. Sed *petra pumex* ad eam formam dicitur, qua Plauto *ventus turbo,* Curc. 5, 2. et Trin. 4, 1. ut *avis aquila* L. Septimio L. V. c. 6. BROUKH. — ARIDO PUMICE] Vossius veteres editiones exprimens edidit *Arida,* Servium et Atilium Fortunatianum secutus, ut dicit. Statius, citans eundem Fortunatianum et Victorinum, celebres grammaticos, auctores *arido.* Uter igitur dicit verum, uter fallit? ut uterque bona fide dicatur egisse, vix potest fieri, nisi dicamus diversis veterum grammaticorum editionibus usos. In editione Putschii certe reperitur Atilii Fortunatiani Ars, in qua legitur *arida* p. 2676. ut Statius alia videatur editione usus. Licet autem Servius ad Virgilii Aeneid. XII. 587. *Arida* dicat Catullum scripsisse, illius auctoritati non tantum opponuntur Plautus, cuius est Aulul. II, 4, 18.

Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex:

Terentianus et Plinius, qui ad ipsum hunc Catulli locum respexisse videtur L. XXXVIII, c. 21. *Pumices, qui sunt in usu corporum laevigandorum foeminis, iam quidem et viris, atque (ut ait Catullus) libris;* sed Virgilius, Ovidius, Martialis, et omnes alii, quorum verba adferre, quum nota sint, esset otio abutentis. — PUMICE EXPOLITUM] Membrana exterior sive involucrum, quo libri Veterum servabantur involuti, poliebatur non in libris quibusvis, sed illis tantum, quos elegantius ornatos volebant. Tibullus III, 1, 9.

Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas.

Ad quem Tibulli locum videndus Broukhusius, et loca scriptorum, quae vir elegantissimus ibi adtulit de ornamentis

Corneli, tibi. namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas

librorum veterum. Quibus, si res tanti videtur, adde Gottl. Schwarzii Disputationes de Ornamentis Librorum apud Veteres, Altorfii et Lipsiae editas. VERB.

3. CORNELI] Licet plures eodem tempore Cornelii fuerint, et inter eos memorentur quoque Phagita, Cinna, Balbus, aliique, quos Catullus videri possit hoc loco compellare, Nepotem tamen, cuius Chronicorum libri, ut notum est, memorantur a Gellio XVII, 2, 1. et Ausonio Epist. III. significari dubium non est vel ex Ausonii inscriptione Edyllii VII. Drepanio filio:

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poeta quondam:
Inventoque dedit statim Nepoti.

Videtur autem Corn. Nepos fuisse Catulli civis, non tantum ex eo quod Plinius eum *Padi accolam* vocet, sed quod Veronae in ipso Praetorio primario, ut habet Hieronymus Capugnanus in Auctario Itinerarii Italiae Fr. Schotti, in ultima tecti coronide sub dio collocatae sint Cornelii Nepotis, Aemilii Macri, Plinii, Vitruvii, aliorumque illustrium Veronensium statuae marmoreae. VERB.

4. MEAS ESSE ALIQUID] Vide hic Ach. Statium et Barth. ad Statii Theb. T. I. p. 144. BR. — MEAS] Non inscitia sed arte iambum in hendecasyllabi initio positum vides, et agnoverunt Terentianus Maurus eo, quem supra iam addidi, loco: Meas, *quis neget hunc iambon esse?* Fortunatianus de Metris et alii. Non opus est igitur cum Vossio decurrere ad *Nostras,* aut adfirmare, Catullum fecisse contra morem Latinorum. Scaliger De Re Poet. Lib. II. c. 38. censet primum pedem Phaleuci oportere esse trochaeum, et subiicit: *Quem cum in spondeum mutatum*

Iam tum, quum ausus es unus Italorum

videret Catullus, ausus est etiam iambum, alii etiam Pyrrhichium substituere, neque inepte. Lascivi enim maxime omnium sunt (Phaleuci). *Quibus igitur omnia canere liceret, omnibus quoque modis et posse et decere iudicarunt.* Idem quoque Scaliger in Manibus Catulli, Heinsius et alii, non raro idem sibi licere putaverunt. — ESSE ALIQUID] Elegans Latinorum idiotismus, quo exprimunt aliquid non postremo loco aut numero habendum. Ciceroni ipsi familiaris formula ea est, ut in Divinat. in Q. Caecilium c. XV. de Allieno: *Ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen* aliquid esse *videare.* Et statim post: *Caecilius tum denique* se aliquid futurum *putat.* Ad Atticum Lib. IV. ep. 2. *Si unquam in dicendo* fuimus aliquid. Iuvenal. Sat. I. vs. 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquid.

Ubi ut cum viris eruditis legam *Si vis esse aliquis,* non facile adduci me sinam. — NUGAS] Oblectamenta mea, quibus ego otium soleo fallere. *Nugae* igitur, quod alii dicunt, carmina sunt, ut apud Horatium et Martialem aliquoties, quum de poetarum in otio oblectamentis agitur; alia significantur, ubi de aliis rebus agitur, ut omnino opponantur *nugae* seriis, quibus illae sunt miscendae, et ut Martialis habet II, 86.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Apud Plautum quoque *Nugatores lepidi, graphici* et *nimii* dicuntur, qui ad oblectationem fictis verbis aut factis aliis imponere student. VERB.

Omne aevum tribus explicare chartis,

6. TRIBUS CHARTIS] Optime hic Scaliger. Sic *primum carmen* vocat Lucretius librum suum primum lib. VI, 937.

Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res,
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.

Horatius lib. I. Sat. 10.

at idem quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem,

ubi Acro: *in eodem poemate.* BROUKH. — OMNE AEVUM TRIBUS EXPLICARE CHARTIS] *Cuius* scilicet *libris omnium seculorum, regum, nationum populorumque res gestae continebantur,* quod de Trogo in Praefatione Iustinus scriptum reliquit. Respicit poeta sine dubio ad Nepotis Chronica, quorum cum Grammatici, ut Scaliger adfirmat, decimum quintum citent, et nemo *omnis aevi gesta modico voluminum numero comprehenderit,* quod Valerius Maximus in Prologo ad Tiberium dicit, quid fiet *tribus chartis?* Eas sane non tres, sed paucas accipiamus necesse est, nisi plane velimus delirare. *Tres* sane designant paucas aliquot, ut *tria* apud Terentium, Phorm. IV, 3, 33.

Ut est ille vir bonus, tria non commutabitis
Verba *hodie inter vos.*

Ubi sane *tria* pro non multis posita esse quivis videt. *Chartas* pro libris poni ad hunc locum iam docuerunt Scaliger, et ex eo Vossius, e Sereno Sammonico, qui capite de Carboni Medendo, ita habet:

Tertia *namque Titi simul et* centesima *Livi*
Charta *docet ferro talem candente dolorem*
Exsectum.

Quibus verbis Titi Livii lib. CIII. sine dubio designatur. Si igitur Catulli verba sumamus, ut prima fronte sese

Doctis, Iupiter, et laboriosis.

praebent, necesse est ut *chartae tres* explicentur per libros paucos, neque video quare id locum habere non possit. Sed tamen audi, quid videatur. *Omne aevum* cum significet *res aevi, sive aetatis,* cujuscunque, potest accipi ac si Catullus scripsisset Nepotem singularum aetatum et gentium res separatim breviter explicuisse; quae deinde in unum corpus collectae ingens opus constituebant multorum voluminum. *Omne olus* pro olere quocunque ita est positum apud Horatium Lib. I. Epist. 5, 2.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cenare times onus omne patella.

VERB.

7. IUPITER] Praeter Mureti editiones et majorem Parisinam tum hic tum ubique infra aliae exhibent *Iuppiter.* Ego autem rescripsi *Iupiter,* quamvis gnarus eorum, quae Manutius, Fulvius, et alii e nummis et lapidibus proferunt, e quibus illi contendunt *Iuppiter* legendum. Repugnant eorum sententiae origo vocis, veteres libri, immo non pauci nummi, ut recte observant Dausquejus et Norisius in Orthographia. Est autem vox *Iupiter* admirantis apud Catullum et indignantis. De Coma Berenices vs. 30.

Quae verba locuta es
Iupiter! *ut tersti lumina saepe manu!*

Et ibidem paullo post:

Iupiter, ut Chalybων omne genus pereat!

Plaut. Merc. V, 2, 24.

CH. *Invoco*
Vos, Lares viales, ut me bene juvetis. EV. Iupiter!
Estne illic Charinus?

Latinos et in hac re imitatos fuisse Graecos dubium non est, et loca Aristophanis e Nubibus vs. 133. Philemonis e

Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est,
Qualecunque, quod * * * *
Plus uno maneat perenne saeclo.

Delphensibus, apud Athenaeum Lib. XIII. p. 569. id satis evincunt, nisi quod particula ὦ a Graecis addatur, quae quidem in adlatis Latinorum poetarum locis desideratur. VERB.

8. QUARE HABE TIBI etc.] Varie versiculus iste cum sequenti a variis est tortus et torsit varios. Aldina habet ex Mureti emendatione:

Quare habe hoc tibi, quidquid est, libelli.

Scaliger, quem alii facto agmine secuti sunt:

Quare habe tibi quidquid hoc libelli est.

Vossius in fine legit *libelli et*, ut cohaereat cum sequenti *Qualecunque*. Ego praetuli quod editum vides. Priscae elegantiae notam habet *quidquid hoc libelli est.* Libro suo Catullus nec detrahit, nec pretium laudibus intempestivis illi conciliare vult. Sive bonus, inquit, sive malus est libellus, habe illum tibi. Similiter Ovidius Trist. I, 7, 39.

Quidquid *in his igitur* vitii *rude carmen habebit,*
Emendaturus, si licuisset, eram.

Male igitur vir doctus ad Suetonii Cajum c. XXXIX. explicat hunc Catulli locum per librum, quantuscunque est, librum hunc totum. Exempla tamen, quae ille ibidem congerit, huc faciunt, nec enim *quidquid hominum est, quidquid epistolarum est* etc. significat omnes homines, sed quotquot demum sunt, multi aut pauci. Adde Horatium Serm. I, 6, 1.

Maecenas, Lydorum quidquid *Etruscos*
Incoluit fines, nemo generosior est te.

Quantuscunque, inquit, numerus Lydorum incoluerit Etruriam, nemo ex isto numero Maecenate est generosior. VERB.

9. PATRIMA] Sic Scaliger. Demsterus ad Rosin. I, 1. *patrona.* Videndus Barthius ad Statium T. 2. p. 589. et

T. 4. p. 1691. ubi legit *paterna,* et insigniter ineptit. Vossius reponit *patroa.* Barthius autem L. VIII. Adv. 22. in Scaligeri sententiam ait se inclinare, et legit ibi *patrima.* *Tò Patroa* esse antiquam valde lectionem apparet ex Sabellici Annotationib. T. I. Thes. Crit. p. 162. Adde Pierium Valerianum Castig. in Virg. p. 87. penultimam (quod reprehendit Vossius L. 2. de Arte Gr. c. 23.) in *patrima* et *matrima* corripit Politianus Miscell. cap. 58. sub finem:

verum haec sit patrima proles
Matrimaque, at nuptae genibus Junonis ad aram
Oranto invisae.

Vide Glonerum de Syllabarum quantitate p. 511.

Qualecunque, per ora quod virorum,

ex Pontani et Academiae Romanae testimonio castigat Hermol. Barbarus in L. 14. Plinii c. 12. quo loco aperte constat, tunc temporis lectum fuisse *patroa virgo.* Ita quoque Ach. Statius, qui tamen minus commode Catulli mentem exponit. *Patrona virgo* legit Vossius pater de A. Gr. L. 2. loco notabili. *Patrima* legisse Adrianum Theodorum Siberum patet ex carmine, quod extat Orat. T. 2. p. 595. vid. Perroniana p. 275. ubi *patrona* est. *Patrima* etiam in fraudem induxit Baudium scribentem in jambis *Patrima virgo, patrima nympha,* et in Trochaicis, *patrima Pallas.* Tanta erat reverentia Scaligeri. BROUKH. — QUALECUNQUE] Versiculum hunc miris modis Critici finxerunt et refinxerunt. Muretus dedit *Qualecunque quidem* *, atque ita locum, quod in MSS. desideretur, plane immedicabilem videtur statuisse. Iovianus Pontanus, ne versiculus restaret mancus, de suo jam ante Muretum liberaliter nimis addiderat: *Ora per virorum.* Scaliger, quod in suo reperisset codice *patruna,* refinxit, *quod ô patrima virgo.* Achilles Statius malebat: *Quod est, patrona virgo,* et de Minerva explicabat. Alii invenerunt in suis *ô patrona,*

quod et vetustissimae editiones et nupera Parisina habent. M. Ant. Sabellicus *ὁ Patroa* mavult et de Diana explicat. L. Fruterius in quadam ad Lambinum epistola reponebat:

Qualecunque quidem per ora vulgi
Plus uno maneat perenne seclo.

Isaacus Vossius legit *ὁ patroa*, ut Sabellicus, sed explicat de Vesta, non sine magna eruditionis reconditae ostentatione. Omnium, meo quidem judicio, minime vituperandus est Muretus, qui quod perierat perditum duxit. Si tamen tanta cupiditas restituendi hunc locum sit cuiquam, possis vestigia Codd. sequens legere:

Qualecunque quod, o pater leporum,
Plus uno maneat perenne seclo.

Nepotem scilicet suum *patrem leporum* vocat. Et sane lepidus libellus non invenuste donatur leporum patri et locutio non abhorret a genio Catulliano, vocantis pari ratione Aurelium suum *patrem esuritionum* et libenter voce leporum utentis. VERB.

II.

AD PASSEREM LESBIAE.

Passer deliciae meae puellae;

Quod putant viri docti totum hunc Catulli libellum Passeris nomine designari, refutat eam opinionem Iosephus Castalio Dec. I. Obs. capite 7. BROUKH.

1. PASSER] Ex eruditis quidam passerem, volucrem salacissimum, hoc loco intelligi volunt, alii aliud nescio quid. Politianus Miscell. Cent. I. c. 6. posteriori sententiae patrocinatur. *Passer ille Catullianus*, inquit, *allegoricῶς, ut arbitror, obscoeniorem quendam celat intellectum, quem salva verecundia nequimus enuntiare.* Ob quae verba ille a Mureto, Scaligero et aliis vapulat. Utrum merito? Dubito. Quale officium anseres praestitisse dicantur Theodorae Iustiniani, norunt qui Procopii Anecdotorum nondum editam partem legerunt. An passer Lesbiae non potuit simile officium praestare? Nihil adfirmo. At si passerem capias eiusmodi porcam, cuiusmodi exprimitur ab Aristoph. Acharn. III, 3. nil mirum est, si Lesbia primum digitum adpetenti dederit, donec gravis ardor adquiesceret. Ista allegoria toto hoc carmine procedit. At quid proxime sequenti fiet carmini? Si revera ibi passer non designatur, at sane potuit Catulli pars quaedam, quam Douza alibi haud illepide Pyrgopo-

Quicum ludere, quem in sinu tenere,

linicen nostrum appellat, designari, quae mortua dici quando possit, non est quod doceam non raro reviviscentem expertos. Nihil, ut dixi, adfirmo tamen. Sit per me passer et hic et illic. Solent enim homines ingeniosi ludere in re levi et perexigui momenti, eamque ita ornare verbis, ut legentis plane aliud ac ipsi revera designarunt, designasse putent. Talis est epistola Tanquilli Fabri, in qua felem ita describit, ut puellam describi putes, Epist. Lib. II, 15. VERB.

2. IN SINU] Douza suspicabatur *in* a mala manu esse, et nihil rebatur decessurum Catullianae elegantiae, si legamus *quem si tenere*, ut infra: *Puella namque, quae meo sinu fugit* apud Propertium similiter legitur L. I. Eleg. 17, 12.

Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu.

Quibus etsi alia similia exempla passim reperiantur, attamen non desunt, in quibus *in* est additum, ut apud eundem II, 19, 70.

In tacito cohibe *gaudia clausa* sinu.

Et saepe apud alios. Utro igitur modo legas, nihil refert. Est vero in vocibus *Sinu tenere* significatio ambigua; proprie enim capi possunt et improprie. Utraque huic loco convenit, idque poëtam studio fecisse puto. De propria, credo, non dubitabunt quicunque Carmen hoc recte intelligunt; eam vero Catullus artificiose sub inpropria significatione occuluit. *Sinu tenere* enim translate significat habere carissimum. Ciceroni videtur ea translatio grata admodum fuisse, toties adhibuit. Notatu dignus est locus ex Epist. ad Q. Fratr. II, 13., *Iampridem istum canto Caesarem. mihi crede,* in sinu est: *neque ego discingor.* ne scilicet excidat Caesar. Famil. XIV, 4. *Cicero*

Cui primum digitum dare adpetenti,
Et acris solet incitare morsus:
Cum desiderio meo nitenti

meus quid aget? iste vero sit in sinu *semper et complexu meo.* Catil. II, 10. *Postremum genus proprium est Catilinae, de delectu eius, immo vero* de complexu eius et sinu. VERB.

3. PRIMUM DIGITUM] Primam partem non primi digiti sed cuiusvis, ut apud Terentium in Prol. Adelph. vs. 9.

In Graeca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in fabula prima.

Ubi etiam pars fabulae prima designatur. Plura, ut in re nota, non congero. ADPETENTI] Lesbia non tantum digitum primum dat passeri, sed passeri adpetenti primum digitum. Adpetit enim qui mordet, et qui desiderat. Isaaci Vossii lectio *ac patentes* nauci non est. VERB.

4. ET ACRIS etc.] Et incitare passerem ut mordeat acriter. VERB.

5. MEO NITENTI] MS. Nic. Heinsii *mei tuentis,* qui postilla conjecit *mei videntis,* deinde etiam *mei intuentis* vel *obtuentis.* BROUKH. — DESIDERIO MEO NITENTI] Notum est, quod amatores amicas ornant variis vocabulis ipsorum cupiditatem exprimentibus, et quae puellarum animos possint capere, qualia congesta reperies in Plaut. Poen. I, 2, 152. Vicissim Chrysis Polyaenon *desiderium* suum appellat apud Petron. c. 139. Tu desiderium meum, *tu voluptas mea.* ad quem locum viri docti alia adferunt. Non opus est monere, quod Graeci similiter πόθου nomine amatas subinde compellaverint, ut factum legimus, quum id non magis Graecorum sit proprium, quam aut Gallorum et Germanorum, aut etiam Belgarum, aliarumve

Carum nescio quid lubet iocari,

gentium amatoribus, quibus eadem cupiditas easdem blanditias suggerit. *Nitenti* autem est pulcrae, sive munditia conspicuae. Horat. Lib. II. Od. 5. vs. 18.

Albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges.

Et iam ante Lib. I. Od. 6. vs. 13.

Miseri, quibus
Intenta nites.

VERB.

6. CARUM NESCIO QUID LUBET IOCARI.] Verba haec respiciunt puellae actionem, si quidem passer sit *Χοῖρος* Aristophanica, quam clarius explicare mei pudoris non est. *Iocari* aeque de factis ac de verbis adhibetur, plane ut *ioco dicere* et *ioco facere* in usu sunt. De verbis res est notissima; de factis utrum *iocari* dicatur ne dubites, ecce Petr. c. 27. *Errare coepimus, immo* iocari *magis:* quod significat ioco inter eundum lacessere, et trudere, ut solent adolescentes protervi. Horatius Lib. I. Od. 10, vs. 7. de Mercurio:

Te canam, magni Iovis et Deorum
Nuntium, curvaeque lyrae parentem
Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Nescio quid vero adhiberi solet, quum aut revera ignoramus rem aut apta verba ad sententiam nostram exprimendam non reperimus, aut etiam cum nolumus aperte et sine circuitione loqui. Horat. Lib. I. Serm. 9. vs. 2.

Ibam ut forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid *meditans nugarum.*

Ovid. Ep. XXI. vs. 193.

Iam quoque nescio quid *de me sensisse videtur:*
Nam lacrymae causa saepe latente cadunt.

In solatiolum sui doloris,
Credo, dum gravis acquiescat ardor.

Cicero pro Archia c. 7. *Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae: tum illud* nescio quid *praeclarum ac singulare solere existere.* VERB.

7. IN SOLATIOLUM] Aldina vetus *Ut solatiolum*; alii *Et solatiolum*, quod Scaligeri est et Vossii. Sensu postulante *in* rescripsi. Lesbia iocabatur nescio quid carum in solatium doloris sui (ut quidem putat Catullus) donec ardor gravis acquiescat. Phaedr. I, 9. *Mortis* in solatia. Ita enim legere malo quam *in solatio*, Heinsio quodam modo praeeunte.

8. CREDO, DUM GRAVIS ACQUIESCAT ARDOR.] Varie vexatus versiculus. Editiones priscae *Credo ut tum gravis acquiescat ardor.* Scalig. *Credunt, quum gravis acquiescit ardor.* Voss. *Credo, ut gravis acquiescat ardor.* Nemo vero acrius suam conjecturam tuetur quam Scaliger, qui *credunt* reposuit primus pro *Credo ut*, quod in Cod. Gallicano scriptum putaret *credout* voce una pro *credunt.* Dicatur eleganter *credunt,* per me licet, et *credo*, et exemplis aliquot ad Phaedri L. I. Fab. 9. ostendit Burmannus. Nec tamen *credo* erat reiiciendum, quod singulari elegantia non caret, et saepe ita absolute sermoni intexitur familiari. Terent. Eunuch. III, 2, 15.

Perpulcra, credo, *dona, aut nostris similia.*

Cicero saepe ita adhibet. In Verrem Lib. I. c. 24. *At,* credo, *in hisce solis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat.* Ibid. c. 32. *Circumsessus es. a quibus? a Lampsacenis, barbaris hominibus,*

Tecum ludere, sicut ipsa, possim,
Et tristis animi levare curas! —
Tam gratum est mihi, quam ferunt puellae

credo, *aut iis, qui populi Romani nomen contemnerent.* Et locis aliis innumeris. Reducenda igitur fuit MSS. Codicum lectio, nisi quod *dum* reposuerim pro *tum.* Significat autem *dum* hoc loco donec; ut apud Columell. II, 11. *Cicera paulum aqua maceratur, dum lentescat.* VERB.

9. POSSEM] *posset* coniiciebat Heinsius, et priore versu *corde* pro *credo.* BROUKH. — TECUM LUDERE, SICUT IPSA POSSIM.] *Secum ludere* habet Aldina, quod nauci non est. Recte animadvertit Scaliger τὸ εὐκτικὸν *Utinam* hoc loco esse omissum, quod et fieri solere exemplis ex Ovidio et Tibullo ostendit. Sanctius in Minerva Lib. IV. c. 7. in fine de ellipsi τοῦ *Utinam* agens hunc ipsum Catulli locum adfert, et alios addit. *Possim* dedi pro *possem*, nam *posse* Vossii quomodo defendi possit non video, quia *utinam* aeque cum praesenti verbo ac cum praeterito ponitur; ut apud Ter. Adelph. V. 9. 15.

Utinam *hoc perpetuum* fiat *gaudium.*

Hec. IV, 1. 21.

Utinam sciam *ita esse istuc.*

Malo autem *possim* quam *possem*, propter *est* sequens. Livineius et alii *si* malebant subaudiri, Catullo invito. VERB.

10. ET TRISTIS] Ita Ach. Statius, ut supra *acris.* BROUKH.

11. MIHI] Heinsius legebat *sibi.* BROUKH. — TAM GRATUM EST MIHI] Versiculus hic multum torsit interpretes, quorum unoquoque coniecturis fidente suis, non

Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

mirum est, si in editis varie legatur. MSS. omnium lectio est, quam dedi, nisi quod Guarinus testetur in suo codice signum ἐλλείψεως fuisse appositum, indicante Statio, qui et ipse sentit haec cum superioribus usque quaque non cohaerere. Muretus dedit: *Tam gratum id mihi* et dicit subaudiendum *esset.* Scaliger: *Tam gratum mihi,* quem plerique alii ducem sequuntur. Palladius, MSS. lectionem secutus, in sua editione, quae Venetiis MD. prodiit, eam expressit; addito, tempus pro tempore, *est* scilicet pro *esset,* esse positum. Exempla auctorum veterum velim addidisset, quibus *est* vim τοῦ *esset* obtinet. Sensum poetae facilius assequi quam textum constituere possum, quamquam video, *est* poni pro *sit,* quod si admittatur pro *esset,* res prorsus in vado esset. Utinam, inquit Catullus, in solatium doloris mei cum passere, id est, cum porca Aristophanica, ut supra monui, ita possim ludere, ut Lesbia in sui solatium doloris, cum illo ludit, donec ardor eius acquiescit. Id esset tam gratum mihi, quam etc. Ita sensus est planus, et Carmini lepos constat suus, quem aut eruditi omnes dissimularunt, aut, ne Scaligero quidem excepto, non ceperunt. VERB.

12. PUELLAE PERNICI] Fabulam Hippomenis et Atalantae vel pueri norunt ex Ovid. Met. X, 560. et seq. et ex Hygin. Fab. CLXXXV. VERB.

13. QUOD ZONAM] vid. Gyraldi syntagma Deorum XII. de Solvi zona Diana. BROUKH. — QUOD ZONAM SOLÜIT.] Vide notata ad Carmen ad Ianuam. *Aureolum malum,* inquit Catullus, *solvit zonam.* Possis intelligere malum, ab Hippomene missum, fuisse causam sol-

vendi, aut ipsum malum solvisse, (nam quid proprie sit *zonam solvere* dixi ad locum iam indicatum) significatione mali in sensum nequam detorta, ut apud Propertium I, 3, 24.

Et furtiva cavis poma dabam manibus,

a non nemine factum est. Fateor ultro, obscoenam eam esse significationem, atque videri posse, non suam mentem poetis esse affictam; sed quaeso, num quid detrimenti potest fieri in poetis, obscoenitatis, quae saepe sola apud illos acumen facit, accusandis. Nihil tamen adfirmo. Scaliger ad hunc locum paulo incautius scribit: *zonam solvere aliter Romanis aliter Graecis accipi, nam Latinis, zonam solvere, dici quae traditur viro: Graecis autem, quae primum parit.* Aliud te docebunt Meursius aliique viri docti ad Callimach. Hymn. in Iovem vs. 21. SOLŪIT] Trisyllabum est. Priscian. Lib. I. p. 546. Ed. Putsch. *Catullus Veronensis:*

Quod zonam solüit diu ligatam,

inter hendecasyllabos Phalaecios posuit. Ergo nisi solüit *trisyllabum accipias, versus stare non potest.* Et addit ex Horat. *Nunc mare nunc silüae.* Epod. XIII, 2. VERB.

III.

FUNUS PASSERIS.

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,

FUNUS etc.] Ab Auctore inscriptiones sive tituli carminum non sunt. Editores pro lubitu apposuerunt, reiecerunt et mutaverunt. Id semel monuisse sufficiat. Et hoc quidem carmen aliis audit *Luctus in morte passeris*, aliis *De passere mortuo Lesbiae*, aliis *Luctus passeris*, aliis forsan aliud, prout visum est. VERB.

1. LUGETE] Hoc carmen imitatus est Georgius Anselmus, poëta nobilis, Epigr. 7. libri primi, cuius initium, *Flete Sentiades*, quod conferre erit operae. Angelus Politianus rem turpiculam hic intelligebat Misc. cap. 6. et Hermolaus Barbarus L. 2. Corall. c. 396. qui tamen aliter accepit in Glossem. Plinianis voce STRUTHOS. vide modo laudatum Castalionem dicto loco. Politianum hinc amarissime traduxit Sannazarius lib. I. Ep. 66. ubi vide notata nobis. BROUKH. — LUGETE O VENERES etc.] Sabellicus memoriae, credo, vitio in Annotationibus, ubi quaedam Catulli loca explicantur, legit *Lugete o iuvenes*; nam *Veneres* rectum est, nec quisquam isti voci controversiam movit. Sic Carm. XIII.

Unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque.

Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,

Lugete, igitur, quotquot estis Veneres et Cupidines, sive tu Venus et Cupido, quibuscunque cognominibus appellemini. Notae sunt Venus Amathusia, Venus Genetrix, Venus Idalia et multae aliae, seu potius una Venus cognominibus multis, quae congessit Gyrald, in Hist. Deor. Synt. XII. cui addas licet Aurelium Lessignensem De cognom. Deor. Lib. II, c. 4. Cupidinis etiam cognomina memorantur quaedam, praesertim Graeca, a Gyraldo Synt. eod. *Veneres* paene eodem modo reperies apud Plautum Stich. II, 1, 5.

Amoenitates omnium Venerum *atque venustatum affero.*

Alioqui *omnes Veneres* sunt venustates omnes, ut ita dicam, Veneris, ut infra Carm. 88.

Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes *surripuit* Veneres.

VERB.

2. QUANTUM EST HOMINUM VENUSTIORUM.] Quotquot homines venustiores sunt. Infra Carm. 9.

O quantum est hominum *beatiorum*
Quid me laetius est beatiusve?

Terent. Phorm. V, 6, 13.

O omnium, quantum est *qui vivunt*, hominum *homo ornatissime?*

4. PASSER DELICIAE M. P.] Versiculus hic in vetustis editionibus, Aldina, Parisina, et aliis, non comparet. Statius in MSS. reperiri negat; at Scaliger ait. Repetitio ista ex carmine superiore tantum abest, ut offendat aures, ut etiam singulari arte et elegantia non

Quem plus illa oculis suis amabat.

destituta videatur. Luctus est; in quo repetitiones gratiam habent. Idyllion Bionis, quo luget Adonidis mortem, id satis docet; quod ipsum tamen quare ab interprete vocetur Epitaphium Adonidis ignoro, si quidem Epitaphii voce intelligatur titulus sepulcri, ut fere solet. In Graeco est *'Επιτάφιος 'Αδώνιδος*, quod apte possis vertere Luctus *in morte* Adonidis, cum in *ἐπιτάφιος* soleat subaudiri *λόγος*. Sed ad rem. Venustatem repetitio ista non exiguam habet. Passer, inquit Catullus, puellae meae est mortuus; non passer quidam de vulgo passerum, sed passer iste, deliciae puellae meae, quem dudum, amici, novistis e carmine, in quo versiculus iste *Passer deliciae*, etc. est positus. VERB.

5. QUEM PLUS] vid. Iunius Cent. 3. Prov. 64. BROUKH. — QUEM PLUS ILLA OCULIS SUIS AMABAT.] Magis scilicet quam rem sibi omnium carissimam. Amat Catullus istam loquendi formam, et plus semel adhibuit, quod et Callimachum suum, credo, ea usum noverat, in Hymno in Dianam vs. 211.

Καὶ δέ σε φασὶ
Καλὴν 'Αντίκλειαν ἶσον φαέεσσι φιλῆσαι·

Et te dicunt pulchram Anticleam tanquam oculos tuos amavisse, ad quem locum Illustr. Spanhemius ex Moschi Idyll. II. vs. 9. (IV, 9.) adtulit:

Τὸν μὲν ἐγὼ τίεσκον ἶσον φαέεσσιν ἐμοῖσιν·
Illum quidem ego honorabam tanquam oculos meos.

E Latinis unum nominabo Terentium, cuius haec sunt in Adelphis IV, 5, 67.

Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos *nunc ego* amo *meos.*

Nam mellitus erat suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,

Et in eadem Fab. V, 7, 5.

Tuus hercle vero et animo et natura pater;
Qui te amat plus, quam hosce oculos.

Adde Erasmum in *Plus oculis suis.* VERB.

6. SUAMQUE NORAT IPSAM etc.] Vossius, auctoribus libris vetustis, ut dicit, edidit *Suamque norat Ipsa tam bene* etc. et explicat: „Passer, inquit, tam bene „suam norat puellam, seu dominam, quam ipsa puella „suam norat matrem." *Ipsam* tamen praetuli, ut coniungatur cum *matrem*, ut sit, et norat tam bene puellam suam quam puella novit ipsam matrem suam. Ceterum *nosse* et *bene nosse* habent significationem turpiculam. Belgice vertas: *Hy wist zoo wel, hoe zyn meisje gesteld was, als zyn meisje weet, hoe haar moeder gesteld is:* parte scilicet ista corporis, quam vestis solet tegere. Aliud enim istud, quod Latine intelligentium sententiâ possit videri designari, convenit quidem passeri ac puellae, sed puellae ac matri non convenit. Ubi vero sensus id patitur aliud, puto, significatur aliud istud, ut in Epithal. vs. 187.

Vos bonae senibus viris
Cognitae bene *feminae.*

Nec aliter capiam in Carmine libero:

Deliciae populi, magno notissima *Circo, Quinctia.*

Aut apud Petron. c. 105. *Lycas, qui me* optime noverat, *tanquam et ipse vocem audisset, accurrit.* VERB. In verbo *audisset* deficit plagula Verburgiana. Dehinc Broukhusius a me ipso passim interpellabitur. H.

Ad solam dominam usque pipilabat.

10. PIPILABAT] *Pipitabat*, Gifanius Indice Lucr. in PERFICE. *Pipiabat* Vossius. vide M. A. Bonciarium Epistolis p. 96. Iac. Nicol. Loensem L. 3. Epiph. Misc. cap. 26.

Ad solam dominam pibabat usque,

ita laudat Riccius L. 2. de Imitatione, minus, opinor, Catulliane. Itali illi veteres *pipilabat* legebant, ad quorum exemplum laudatus Anselmus,

Ter circum querula ipsa pipilarem,

lib. I. epigr. 27. *pipulabat* legit Simeo Bosius apud Lambinum in Plauti Aul. p. 173. c. variant mirifice codices veteres, in quibus videre est *pipiebat*, *pupilabat*, *piplabat*, *pupulabat*. BROUKH. Nescio, quos libros inspexerit vel inspectos ab aliis indicare voluerit Broukhusius. Mei omnes, hoc est, ii, quorum Variantes in manibus habeo, tres Guelferb. Laurentianus XI. habent *pipilabat*; Laurent. XII. XIII. XXIII. et Riccardianus, cum Regiis duobus, quod eodem redit, *piplabat*: hic adeo cum correctione *pipilabat*. Et haec lectio mirum in modum firmatur inscriptione, paullo illa quidem verbosiore, at tamen lepidissima ac plane Catulliana, *de Luscinia, in poculo submersa*, edita a Reinesio Operis Gud. praef. p. 8. Quam inscriptionem etsi Reinesius ipse in praefationis appendice *commenticium elogium* vocat, tamen nec Forcellinus nec Ruhnkenius de antiquitate eius dubitasse videntur, verbum *Pipillare* in Lexicis uterque suis hoc testimonio confirmantes:

DIS. AVIBUS

LUSCINIAE. PHILUMENAE. EX. AVIARIO. DOMITIOR SELECTAE. VERSICOLORI. PULCERRIMAE. CANTRICI SUAVISS. OMNIBUS. GRATIIS. AD. DIGITUM. PIPILANTI IN. POCULO. MYRRINO. CAPUT. ABLUENTI

INFELICITER. SUMMERSAE. HEU. MISELLA
AVICULA. HINC. INDE. VOLITABAS. TOTA
GARRULA. TOTA. FESTIVA. LATITAS. MODO
INTER. PULLA. LEPTYNIS. LOCVLAMENTA
IMPLUMIS. FRIGIDULA. DELICIAE. SUAE
QUAM. IN. SINU. PASTILLIS. ALEBAT
IN. PROPRIO. CUBICULO. ALUMNAE. KARISS
LACRUMANS. POS
HAVE. AVIS. IOCUNDISSIMA. QUAE. MIHI. VOLANS
OBVIA. BLANDA. PERSONANS. ROSTELLO. SALVE
TOTIES. CECINISTI. CAVE. AVIS. AVIA. AVERNA
VALE. ET. VOLA. PER. ELISIUM
IN. CAVEA. PICTA. SALTANS. QUAE. DULCE. CANEBAT
MUTA. TENEBROSA. NUNC. IACET. IN. CAVEA

Aliter dispositum hoc elogium exhibet Burmannus Anthol. Lat. T. II. p. 294. non sine quadam scripturae varietate, nullo tamen facto indicio, fuisse, qui haberet illud cum Reinesio commenticium. Mihi sana omnia videntur et antiqui saporis v. c. quod legitur lin. 17.

vale et vola per Elysium,

hoc idem scribit Martialis de *columba* Violantillae, quam mortuam celebravit Stella, aemulator Catulli, VII, ep. 14.

Accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae,
Amisit lusus deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli,
Lesbia, *nequitiis* passeris *orba sui,*
Vel Stellae cantata meo, quas flevit Ianthis,
Cuius in Elysio nigra columba volat —

Atque haec avicularum ferocium antea, post cicurum assuetudo vide quam lepidam imaginem obtulerit Epicrati Comico in fragmento apud Athen. XIII. p. 570. B. de Laide:

αὕτη γὰρ ὁππότ' ἦν νεοττὸς καὶ νέα,
ὑπὸ τῶν στατήρων ἦν ἀπηγριωμένη·
εἶδες δ' ἂν αὐτῆς Φαρνάβαζον θᾶττον ἄν.
ἐπεὶ δὲ δολιχὸν τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει,

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.

τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματος,
ἰδεῖν μὲν αὐτὴν ῥᾷόν ἐστι καὶ πτύσαι·
ἐξέρχεταί τε πανταχόσ᾽ ἤδη πιομένη,
δέχεται δὲ καὶ στατῆρα καὶ τριώβολον,
προσίεται δὲ καὶ γέροντα καὶ νέον·
οὕτω δὲ τιθασὸς γέγονεν, ὥστ᾽, ὦ φίλτατε,
τἀργύριον ἐκ τῆς χειρὸς ἤδη λαμβάνει.

Ad haec et his similia exempla si animum advertisset Verburgius, fieri non poterat, ut abripi se pateretur ad *χοῖρον,* quam ridicule dicit, Aristophanicam, atque adeo ad anseres Theodorae, de quibus reconditiora quaedam proferentur in Appendice. II.

12. ILLUC UNDE] vid. Seneca Apocol. ubi idem hic versus occurrit. Hercule Oetaeo 1527.

Unde non umquam remeavit ullus.

Hippolyto 219.

non umquam amplius
Convexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.

Ceterum pro *illuc* legebat Ach. Statius *illud,* neque aliter Heinsii MS. BROUKH. Versus Catulli legitur apud Senecam p. 831. ed. Lipsii, qui descripsit huius Carminis versus 9 — 12. legens v. 9. *Qui* pro *Sed,* addito ad extremum hoc epiphonemate: *Et cetera earumdem ineptiarum.*

O factum male! O miselle passer!

16. O FACTUM MALE! O MISELLE] In manuscriptis omnibus, ait Statius, erat, *Bonum factum male, bonus ille passer.* Sic certe est e nostris in Guelf. B. et Regio Paris. A. Laurent. XXIII. qui tamen cum XII. et XIII. sicut Riccard. habere videtur, *o miselle passer.* Nec aliud quid latet in *bonus ille,* quam *o miselle.* Totus versus, sicut editus est, exstat in Guelf. C. et in Edd. saeculi XV. (excepta tamen Ed. 1472. quae habet, *O factum male, bellus ille passer.*) nec ille, quod Bentleius scribit ad Horat. III, 14, 11. *in mendo cubat,* tamquam in morbo, sed sanissimus est. Neque enim continua est oratio, sed interrupta plena interpunctione, caditque in illum, quod ipse monet de versu Virgilii I, Aen. 405. *Et vera incessu patuit* Dea. Ille, *ubi matrem Agnovit.* Tamen Bentleio assentitur Lachmannus ad Propert. III, 13, 61. (IV, 12.).

Certa loquor, sed nulla fides. neque Ilia *quondam*
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

Ita enim versum longiorem edidit Broukhusius, eiecta particula *enim,* quam graviter defendit Lachmannus. Hoc nunc in medio positum relinquo. Sed scire velim, in quanam commentarii Broukhusiani regione vir doctissimus haec verba, quae ei adscripsit, invenerit: Particulam *enim* nocere sententiae querens, *Quod medicina non sanat,* inquit, *ferrum sanat?* Ego non reperio. Rursus scire velim, unde profecta sint, quae ego ipse, tamquam Broukhusii verba, commentario meo allevi: „Propertius Homericam rationem sequitur, si verum est, vocem Ἴλιος digamma habuisse praefixum, ut Il. ζ. 461. ὅτε Ἴλιον ἀμφεμάχοντο. Virgil. Aen. I.

Et vera incessu patuit Dea. Ille *ubi matrem* —

Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Sed hoc minus mirum, ut scribit Vossius Art. Gramm. II, p. 69. „quia nova incipit oratio, cuius non eadem vis in priorem ob spatium, quod utramque periodum in loquendo separat.“ H.

17. TUA NUNC] *Cuja* Vossius. sed nihil mutandum. vid. Schol. vetus Iuvenalis apud Barthium L.VI. Adv. cap. 3. OPERA] id est culpa. vid. Schott. L. 2. Observ. c. 16. Sed cave illi credas super mutatione in versu praecedente. BROUKH.

18. RUBENT] Codd. Guelf. A. B. et Laurent. XIII. *tument*. Veterem eamque veram lectionem agnoscit Schol. Barth. ad Iuvenal. VI, 8. apud Cramer. p. 598. Alter Barthianus ita: „Amicam Catulli tangit, quae propter *edomitum* passerem mortuum, sibi missum ab adultero, in tantum flevit, ut oculos *corrumperet*.“ Docte scripsit *corrumperet*. Homer. Il. β. 376.

ὣς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.

Ubi est, qui *χεῖρας* supplet, homo mirificus. Od. τ. 263.

μηκέτι νῦν χρόα καλὸν ἐναίρεο, μηδέ τι θυμὸν
τῆκε, πόσιν γοόωσα.

Propertius I, 18, 15.

Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina *deiectis* turpia *sint* lacrimis.

Plautus Merc. III, 2, 3.

Ne plora: nimis stulte facis, oculos corrumpis tales.

Vide Valckenarium ad Eurip. Phoen. 373. p. 241. H.

IV.

DE PHASELO QUO IN PATRIAM REVECTUS EST.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,

Plurimae hujus carminis parodiae sunt, uno olim libello comprehensae, quibus opinor addi posse alias complures. vid. Georg. Anselmus L. I. Epigr. 5.

1. PHASELUS ILLE] Quidam libri praeferunt *phasellus*, haud scio an satis recte. vid. hic Ach. Statium, Norisium ad Cenotaphia Pisana p. 431. Dausquium in Orthographia p. 240. Vossium in Etymologico. Hanc vocem posterior aetas femininam fecit. Ovidius Amor. II, 10, 9.

Ventis discordibus acta phaselos.

Seneca Hercule Octaeo vs. 695.

Nec magna meas aura phaselos
Subeat medium scindere pontum.

Martialis X, 30.

blanda sed quies ponti
Pictam phaselon adiuvante fert aura.

QUEM VIDETIS] ut in re praesentissima. Cicero Accus. V. in Verrem c. 49. *Dexio hic, quem videtis, non quae publice Tyndari, non quae privatim sibi eripuisti, sed unicum miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat.*

2. AIT FUISSE] Huius exempla locutionis plurima collegit Passeratius ad Prop. p. 384. BROUKH. De altera

Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum,
Ubi iste post phaselus antea fuit
Comata silva: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.

constructione, *navium celerrimus*, vide quae scribit Schaeferus ad Eurip. Phoen. 1730. Porson. et ad Dionys. Halicarn. p. 236. Adde etiam, quae collegit Meineck. ad Menandr. et Philem. Reliq. unde apparet, nihil magnopere insoliti inesse in illa apud Horatium structura, *fortissima Tyndaridarum*, quam nec Bentleius satis expedivit, nec Wolfius. H.

3. IMPETUM TRABIS] Ennius XIV. Ann.

Labitur uncta carina, volat super impetus undas.

Sed Columna versiculum Catulli ex antiquo MS. ita refert:

Neque ullius volantis impetum alitis.

Sic ille ad Ennium p. 79. Ibidem et de voce *trabes* aliquid videre est. BROUKH.

10. POST PHASELUS ANTEA FUIT] Nota elegantem coniunctionem particularum *post antea*, de qua dixi ad Tibullum I, 1, 19. De *Cytorio* iugo vid. Pinedo ad Steph. Byz. v. *Κύτωρος*. H.

12. LOQUENTE COMA] Duplex tralatio in re una. ceterum *loqui* eleganter de arboribus dicitur. Theocritus Oaristy: (XXVII, 58.)

Ἀλλήλαις λαλέοντι τεὸν γάμον αἱ κυπάρισσοι.

Amastri pontica, et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse, et esse cognitissima

vertit Latine Hugo Grotius:

Cupressus aliis aliae tua foedera narrant.

Virg. Ecl. VIII. 22.

Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
Semper habet.

Ad quem locum vid. Cerda et Pontanus. *Chordas loquentes* dixit Lucr. IV, 980. sed notavit Lambinus. BROUKH. Verbo Theocriteo usus etiam est Scholiastes ad Aristophanis Nub. 1006.

ἦρος ἐν ὥρᾳ χαίρων, ὁπόταν πλάτανος πτελέᾳ ψιθυρίζῃ.

Ad quem locum Schol. scribit: *τὸ δὲ ψιθυρίζει ἀντὶ τοῦ — ἀνέμου πνέοντος μαλακοῦ καὶ ἠρέμα διὰ τῶν φύλλων εἰσιόντος, ὥσπερ προσλαλεῖ τὰ δένδρα· ὅπερ ψιθυρίζειν λέγεται. καὶ Θεόκριτος·*

ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα.

Sic locus ille mihi nunc scribendus videtur: quem locum Elmenhorstius adhibuit Appuleio Metam. XI. p. 243. (p. 768. Oudend.) *Quid? quod* arbores *etiam, quae pomifera sobole fecundae, quaeque earum tantum umbra contentae et steriles, austrinis laxatae flatibus, germine foliorum renidentes,* clementi motu brachiorum dulces strepitus obsibilabant. H.

13. AMASTRI] vid. Barthius L. XLVI. Adv. capite 20. PONTICA] Alii Paphlagoniae adnumerant. vid. Catanaeus ad Plin. l. 10. Ep. 99. qui multa habet bona. Vadianus quoque in Melam p. 86. — PONTICA] Alii Paphlagoniae

Ait phaselus. ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in aequore
Et inde tot per impotentia freta

adnumerant, ait Broukhusius, et hoc discere iubemur a Catanaeo et Vadiano. Adde saltem, unde hoc et plura disci possunt, interpretes Ovidii ad Ib. v. 331.

Aut, ut Amastriacis *quondam* Lenaeus *in oris,*
Nudus Achillea *destituaris humo.*

Ibi Constantius Fanensis *Lenaeum* sumit pro *Anio,* legens *Apollinea* pro *Achillea,* et referens e Diodori Sic. lib. V, 62. quae non minus mendose nunc etiam leguntur apud Apuleium in opusculo de Orthographia, quod nuper edidit Maius, p. 128. „Rhea *aspirat r. filia Staphyli et* Chryseïdis, *sororibus Molpadia* maior, *Parthenia* minor" etc. Lege *Rhoeo* (*Ῥοιῷ*) pro *Rhea,* et dele Maii annotationem. Deinde pro *Chryseïdis* repone *Chrysothemidis* e Diodoro, ubi videndus est Wesseling. Haec igitur ad Anium pertinent. Sed *Lenaeus* apud Ovidium sine dubio est *Dionysius,* Heracleae tyrannus, in oris *Amastriacis* h. e. *Ponticis.* Quem cur *Lenaeum* dixerit Ovidius, ratio in promptu est. Burmannus *Mithridatem* intelligit. Sed vid. Strabo XII. p. 818. et Steph. Byzant. in v. *Ἄμαστρις.* quod nomen apud Schol. Apollon. Rhod. II, 941. mendose scribitur *Δάματρις.* H.

15. ULTIMA EX ORIGINE] vid. hic Muretus. C. Nepos in vita Attici: *Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanae generatus.* ubi vid. Bosius.

18. PER IMPOTENTIA FRETA] Adi Victorium in Cic. X. ad famil. 1.

Herum tulisse, laeva sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iupiter
Simul secundus incidisset in pedem:
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, quum veniret a mari

19. LAEVA SIVE DEXTERA VOCARET AURA] pro *sive laeva sive dextera.* vid. Muret. ad Tacitum p. 411. Cicero Agrar. 2. c. 19. *deinde Attalicos agros in Cherroneso: in Macedonia qui regis Philippi, sive Persae fuerunt.* Georgius Anselmus optimorum scriptorum legens vestigia:

Causa eadem ut vivam, ut peream, tua lumina. nec me
Servare, ut cupias, sive necare potes.

sive semel tantum dicitur, bis intelligitur. *aura* autem hic pro vento ponitur. vid. Ennium Columnae editionis Wetstenianae p. 181.

21. INCIDISSET IN PEDEM] vid. Mart. de Roa Singul. I. 6. c. 10. Turnebi L. XX. c. 4. XXV. c. 21. Salmas. Exerc. Plin. p. 568. A. Locus insignis est in Senecae Medea Act. II.

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis. nunc lina sinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede transversos captare Notos.

ubi vid. Delrium in Adversariis.

22. LITORALIBUS DIIS] puta Priapo Hellespontiaco, et Actio Apollini. vide omnino Iac. Nicolaum L. 3. Epiphyll. Misc. c. 15.

23. A MARE] Recte: et errant qui *mari* volunt vid. Passer. et Ach. Statium. Ovidius Trist. 5. 2. 19.

Contentusque mei iam tandem parte laboris
Exiguum pleno de mare demat aquae.

Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita

Lucretius L. I. vs. 162.

E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamigerum genus.

Vid. ibi Lambinus, Taubmannus quoque ad Plautum p. 877. et Malaspina in Cicer. X. ad Att. 12. Apud Terentium legitur *mari* Eun. 3, 3, 13.

Rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari.

ubi tamen Fabricii notas lege; et apud Tibullum I, 2.

is sanguine natam
Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

Sic ibi omnes MSS. Mela 2, 1, 46. *Non longe a mari.* BROUKH. Cod. Laurent. XI. *venit et a mari.* Codd. XII. XXIII. et Riccard. *veniret amaret.* Guelf. A. *veniret amori.* Guelf. B. *a mare.* sicut Reg. Paris. A. cui secunda manus *amari* substituit, ut est etiam in Paris. B. Enimvero Cod. Laurent. XIII. habet, quod iam expresserunt Edd. 1472 et 1488 etc. *veniret a mari.* Hoc retinendum. H.

24. NOVISSIME] vid. Scaligeri Castigationes, Rupertum ad Val. Maximum p. 295. Carolum ad Gellium L. X. c. 21. Sabellic. T. I. Thes. Crit. p. 162. *novissimo* legit Ach. Statius, sed male. BROUKH. Statius: „*Novissime.* Sic omnibus in manuscriptis, non, *Novissimo.*“ Sane Italici, quos noverim, omnes, duo Reg. Paris. et Guelf. C. *Novissime* habent. Guelf. A. et B. *Novissimo.* Notatur h. l. Gellius (X. c. 21.) a Mureto: „Hoc verbum refugisse Ciceronem annotat Gellius. falso: eo enim et in libris de oratore, et in oratione pro Q. Roscio Comoedo usus est, et in epistola ad Octavianum, si modo ea epistola Ciceronis est: quod non puto.“ Edd. 1472 - Ald. 1502 *Novissime.* Parthenius, *Novissem.* H.

25. SED HAEC PRIUS FUERE] Tibullus II, 5. 79.

Haec fuerint olim. *Sed tu* iam, *mitis Apollo* —

Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

Ubi nonnulli libri habent *fuerunt*; quam lectionem tuetur Klindworthus ad Tibulli I, El. 10. p. 23. Frustra. Restitutam a Broukhusio scripturam *fuerint* satis confirmasse mihi videor in Analectis. Sed aliter intelligi vult Catullus, aliter Tibullus, rursus aliter Lucretius, exquisito quodam modo scribens III, 927.

Brevis hic est fructus homullis:
Iam fuerit; *neque* post *unquam revocare licebit.*

Bentleius supplet *fructus.* Ego absolute positum censeo, *iam fuerit,* eo sensu, quo Horatius scribit: Iam *te* premet *nox fabulaeque Manes.* Bene locum explicat Creechius: Horae momento *fuerit,* (id est, *perierit,* ut, *fuit Ilium*) *neque post unquam revocare licebit.* Tibullus, laudatus a Wakefieldio, III, 5, 32.

Sive erimus *seu nos Fata* fuisse *volent.*

Catulli loco Vulpius commode adscripsit locum Aristophanis Vesp. 1063. πρίν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα· νῦν δ' οἴχεταί γε. Tibullo convenit cum Cicerone, v. c. Phil. I, c. 6. *Quae, malum, est ista voluntaria servitus?* Fuerit quaedam necessaria. Lucretius consentientem habet Plautum Bacch. V, 2, 76.

non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas,
Tibi bene facias. iam pol id quidem esse haud perlonginquum:
Neque, si hoc *hodie amiseris, post in morte* id *eventurum esse unquam?*

II. 26. SENET QUIETE] Vid. Pacuvius ap. Nonium in MACORE: Charisius L. 2. p. 223. Diomedes L. I. p. 335. Priscianus L. 10. p. 887. Ennius dixerat de equo generoso, *nunc senio confectu' quiescit.* Sueton. Augusto c. 2. *Avus municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio, tranquillissime senuit.* BROUKH.

V.

AD LESBIAM.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum

1. LESBIA] Clodiam intelligit. vid. Scipio Gentilis in Apul. Apol. p. 70. Politianus Nutr.

Sed quamquam in primis docto Verona Catullo
Gaudet; vulnificos elegis qui miscet iambos,
Et sub adoptivum redigit te Clodia nomen etc.

volunt esse Clodiam Metelli Celeris. quod quae vetent credere multa sunt. Quo enim referes istud,

Ingratum tremuli tolle parentis onus?

at is iam olim obierat. v. Cic. pro domo sua. c. 32. de Clodia v. Victorius in Cicer. L. V. ad Fam. epist. 2. BROUKH.

2. RUMORESQUE SENUM] Hinc Propertius illustrandus est loco simili, II, 30, 13.

Ista senes *licet accusent convivia* duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis *onerantur* legibus *aures:*
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones.

Ibi Broukhusius *antiquis* sumit pro *sanctissimis*, quibus plurimum accessit reverentiae ab ipsa temporis longinquitate. Sane *leges antiquae* saepenumero hoc sensu commemorantur, sicut νόμοι ἀρχαῖοι. Cuius generis exemplum Broukhusius ipse profert e Ciceronis Orat. pro Rabir. Post. c. 4. Sed quemadmodum ἀρχαῖον interdum est id, quod vetustate obsolevit hodieque habetur

Omnis unius aestimemus assis:
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, quum semel occidit brevis lux,

stolidum, ita etiam *antiquum*. Cicero Phil. I, c. 10. „*Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones?* Eas scilicet, quibus rei publicae salus continetur. *Negligimus ista et nimis* antiqua et stulta *ducimus.*“ Ubi vide Muretum et Abramium. Ergo *leges antiquae,* quibus aures amantium onerantur, Propertio sunt *antiquatae,* abrogatae, quae ex usu et animis hominum abiere, ut scribit Hemsterhusius ad Lucian. Nigrin. c. 3. p. 42. Commentarii instar habet locus Aristophanis Nub. 889—1104. Br. Caeterum nescio, an hoc sensu etiam Sophocles scripserit, quod legimus apud Eustath. ad Od. χ, p. 1923. 61. λέγει δέ φασι καὶ Σοφοκλῆς πληθυντικῶς. Σὺ γὰρ γέροντα βουλεύεις. ἤγουν παλαιά, ἀρχαῖα. Conf. Comment. de C. Annio Cimbro p. 30. II.

3. OMNES UNIUS AESTIMEMUS ASSIS] Adi Muretum L. 14. V. L. c. 3.

4. OCCIDERE] mori. inde solem *positum* ausus est dicere Statius VI. Theb.

instant flammis, multoque soporant
Imbre rogum, posito donec cum sole labores
Exhausti.

Obire et *condere lumen* est apud Lucretium. Sic ille IV, 434.

In pelago nautis ex undis ortus in undis
Sol fit uti videatur obire et condere lumen.

vide et V, 66 sqq. nam noster, ut puto, loquitur secundum Epicurum. Adi omnino Passeratium in Propertium p. 429. D. b. hinc *renatus dies* Senecae Troad. vs. 10. Horatius carmine seculari: (v. 9.)

Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris —

Minutius Felix Octavio: *sic congregatis ignium seminibus, soles alios atque alios semper splendere.* Idem: *Sol demergit et nascitur; astra labuntur et redeunt.* ubi vide interpretes. Tertullianus Apologetico: *Lux quotidie interfecta resplendet; sidera defuncta reviviscunt.* Hunc Catulli locum multi expresserunt poëtae, suo quisque idiomate. Lotichius III. El. 7.

Ergo ubi permensus caelum sol occidit, idem
Purpureo vestit lumine rursus humum.

Illustris Balthasar Castilionus I. Carm. 57.

Adspice, decedens iam sol declivis olympo
Occidit, et moriens accendit sidera caelo;
Sed tamen occiduo quum laverit aequore currus,
Idem iterum terras orienti luce reviset.

vide Urbani Chevraei Miscellanea Gallica p. 530. Malherbam p. 213. et Menagii observationes Gallicas p. 523 sqq. Torquatum Tassum in fine primi chori Amintae, et ibi Menagium. Tassi hi sunt versus:

Amiam, che non hà tregua
Con gli anni umana vita, e si dilegua.
Amiam, che'l Sol si muore, e poi rinasce:
A noi sua breve luce
S'asconde, e'l sonno eterna notte adduce.

BROUKH. Animi causa adscribam locum Sophoclis Phil. v. 1330. ut Brunckio respondeam: *ὡς ἂν αὐτὸς ἥλιος ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ' αὖ δύνῃ πάλιν.* Ubi Scaliger scribendum censet, *ἕως ἂν ὡὐτὸς ἥλιος.* Brunckius contra: Quid sibi vult *ὡὐτὸς ἥλιος, idem sol?* Num sol mutatur? Haec est quaestio Domitiana. Sol *alius* dici potest a poëta et *idem*, prout vel cum Heraclito statuat, cum alternis exstingui et renasci, *νέον ἐφ' ἡμέρῃ*, vel contrariam rationem sequatur.

Nox est perpetuo una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum,

Guarinus ad Catulli locum ita: „*Soles occidere:* non secundum physicos, sed secundum vulgi opinionem loquutus poëta, soles *occidere* i. occultari et *redire* i. nasci posse dicit. Quorundam namque indoctorum opinio fuit, quottidie novum solem et nasci et interire.“ Sed facilius est, Brunckium ridere quam Sophoclem expedire, de quo videndus in primis est Matthiae ad Eurip. Tom. VII. p. 502—504. H.

6. NOX EST PERPETUO UNA DORMIENDA] *Nox* pro morte solenne est apud poëtas. Propertius lib. 2. El. 12, vs. 24.

Dum nos fata sinunt oculos satiemus amore,
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Horatius L. I. Od. IV, vs. 16.

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam:
Iam te premet nox, fabulaeque manes.

Idem od. XXVIII. eiusdem libri:

Omnes una manet nox.
Et calcanda semel via lethi.

quo loco Torrentius mavult *mors,* quod non tam elegans mihi videtur. stat tamen et pro *mors* Gonsalius ad Petron. p. 200. qui videndus. Vide Columnam ad Ennium editionis Wetstenianae p. 38. 6.

8. DEIN MILLE ALTERA] *Dein mi altera* erat in MS. Heinsii, in utraque etiam editione, quae prodiit Regii Lepidi anno 1481 et Venetiis anno 1475, quibus usus est Heinsius. sic et seq. versu idem MS. habebat *Deinde usque altera,* quod et placuit Achilli Statio.

Dein, quum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus:
Aut ne quis malus invidere possit,
Quum tantum sciat esse basiorum.

BROUKH. Omnes Italici cum Guelf. C. et ed. 1471, quae tamen *Deinde* habet,

Dein mi *altera*, da *secunda centum*.

Melius summam basiorum *facit*, subducit, Martialis VI. ep. 34. non sine irrisione Catulli. H.

10. FECERIMUS] Vid. Bonciarium Epist. p. 222. 335. 351. Gloner. Pros. p. 98. Servium ad VI. Aen. 514. Voss. L. II. de A. Gr. c. 21. p. 240. Heinsius coniiciebat *iecerimus*, postea tamen maluit *fixerimus*.

11. NE SCIAMUS] V. C. Heinsii *sciamur*, quod et Baptista Pius vidit Ann. poster. p. 424. unde Heinsius coniecit *sciantur*.

12. AUT NE] Vetus editio Regii Lepidi procurata *ut ne*, et sequenti versu *sciet* pro *sciat*, quod probo. BROUKH.

VI.

AD FLAVIUM.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidae atque inelegantes,
Velles dicere, nec facere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas iacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio flagrans olivo.
Pulvinusque peraeque et hic, et illic

2. NI SINT] id est, nisi essent. vid. Passeratium. BROUKH. Tibull. I, 4, 63.

Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset *ebur.*

Sic idem rursus scribit I, 8, 22.

Et faceret, si non *aera repulsa* sonent.

Vide etiam, quae notavi ad II, 4. 7. *ne possim — quam vellem.* H.

8. SYRIO OLIVO] malobathro. vid. Horatius l. I. od. 7. vs. 8. et ibi Acro: Plinius XII, 26. Scaliger Exercitatione 146. FLAGRANS] quidam libri *fragrans,* quod et Vossius secutus est. Infra LXV, 144.

Fragrantem Assyrio venit odore domum.

sed hic obstat syllabae modulus. BROUKH. Fallitur, nisi forte ipse fallor, Broukhusius, ratus, obstare syllabae modulum, quo minus legi possit *fragrans.* Tametsi enim nullum succurrit exemplum, quo correptio primae huius

Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.

verbi syllabae demonstrari queat, tamen idem eius ac verbi *flagrare* modulus esse debet, etiam de sententia veterum Grammaticorum; qui statuunt, utrumque unum esse idemque verbum. Servius ad I, Aen. 436. *fragrantia mella:* „Quotiens incendium significatur, quod flatu alitur (vel a flamma) per *l* dicimus; quotiens *odor*, qui fracta specie maior est, per *r* dicimus, *fragrat.*“ Explicatius haec leguntur apud Gothofredum p. 1366. 46. Nonius Marcell. p. 730. 44. „*Flagrare* et *Fragrare* ita discernuntur, quod *Flagrare* est incendi et ardere: *Fragrare* vero olere, et in plurimis invenitur ista discretio.“ Ex quo etiam hoc efficitur, *cubile flagrans sertis et olivo* non bene dici propterea, quod sic notio infertur incendii satis molesta. Ergo retinenda est aliorum librorum lectio *fragrans*, quam ultro commendat constans scriptorum consuetudo. Vide Oudendorp. ad Appul. Metam. III. p. 209.

10. TREMULIQUE QUASSA LECTI ARGUTATIO] Ovidius III. Amor. XIV. 25. *Illic* — In hac voce deficit plagula Broukhusiana. Ovidius ita:

Illic nec voces nec verba iuvantia cessent:
Spondaque lasciva mobilitate tremat.

Ipso verbo *quatere* utitur in hac re Appuleius II. Metam. p. 105. *Tunc illa lepida alioquin et dicacula puella,* Discede, *inquit*, miselle, quam procul a meo foculo, discede. Nam si te vel modice meus igniculus afflaverit, urêris intime: nec ullus exstinguet ardorem tuum, nisi ego; quae dulce condiens et *ollam* et *lectulum* suave *quatere* novi. Lepidissima sane lepidae puellae oratio! Caeterum Iacobsius Animadv. in Epigr. Anth.

„Nam ni praevalet ista. nil taceres,
„Cur non tam latera exfututa pandas.
„Nec tu quid facias ineptiarum.

Gr. Vol. II. P. II. p. 284. hunc Catulli locum comparat cum M. Argentarii ep. XIII. quod in Anthol. Pal. (T. I. p. 118.) ita legitur:

Παρθένον Ἀλκίππην ἐφίλουν μέγα, καί ποτε πείσας
αὐτὴν λαθριδίως εἶχον ἐπὶ κλισίῃ.
ἀμφοτέρων δὲ στέρνον ἐπάλλετο, μή τις ἐπέλθῃ,
μή τις ἴδῃ τὰ πόθων κρυπτὰ περισσότερον.
μητέρα δ' οὐκ ἔλαθεν κείνης λάλον· ἀλλ' ἐσιδοῦσα
ἐξαπίνης, Ἑρμῆς κοινός, ἔφη, θύγατερ.

Matrem potius *curiosam*, quam, quae v. 5. dicitur, *loquacem*, desiderabat, credo, Iabobsius, corrigens: *μητέρα δ' οὐκ ἔλαθεν κλίνης σάλος·* Matrem Alcippes non latuit *tremuli lecti agitatio et inambulatio*, ut Catullus loquitur. Idem ad Anth. Palat. T. III. p. 78. scribit: „Non valde placet epitheton, satis, ut mihi quidem videtur, otiosum. Quod olim suspicatus sum, — etsi fortasse non verum, certe non absurdum est." Absurdum profecto non est. Sed quod scribere licuit Catullo, qui non modo *loquentem* arbori *comam* IV. 12. tribuit, sed hoc ipso in Carmine v. 7. *Nequicquam, tacitum cubile clamare* dicit, hoc, credo, etiam licuit M. Argentario, qui fortasse scripsit: *μητέρα δ' οὐκ ἔλαθεν κλίνη λάλος*, intelligens, sicut ille, *τὸν ἦχον τῆς συνουσίας*, quem dicit Scholiastes Aristophanis ad Plut. 1083. de quo vide Appendicem.

12 — 14. NAM NI PRAEVALET etc.] Exhibui hos tres versus, misere corruptos, sicuti expressi sunt in Edd. Saec. XV. certo in Ed. 1472. et Partheniana. Ac ver-

Quare quicquid habes boni malique,
Dic nobis. Volo te ac tuos amores
Ad coelum lepido vocare versu.

sus quidem 12, in omnibus libris, quorum Variantes in manibus habeo, eodem modo legitur, v. c. in Paris. B. Guelf. C. Laurent. XI. et reliquis Italicis, nisi quod Codd. XII. XIII. XXIII. cum Riccard. *in ista praevalet* habent et, *tacere.* Guelf. A. *Num ne praevalet nihil facere.* sed correctum: *Nam mi praevalet ista nil tacere.* Guelf. B. *Nam in ista tacere praevalet nil.* Monstri instar habet Paris. A. *Nam in ista taceres. praevalet nidus*, cum correctione tamen, qualem modo enotavi e Guelf. A. Muretus, nec miror, hunc versum pro subditicio habet, adeoque e tribus duo facit:

Nam cur tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?

At ita primaria sententia perit: *praestat eloqui* amores, *quam tacere*, quae dominatur in omnibus eiusmodi carminibus. Catullus ipse LX, 18.

Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquela.

Conf. Horat. I, Carm. 27, 10. in primis vero carmen simillimum Propertii I, 9. quod sic concluditur:

Quare, si pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

Sed haec sententiae conclusio tribus posterioribus continetur Catulli versibus, eique praemuniuntur tres priores. 12 — 14. Enimvero quorsum referes posterius hoc *Nam* v. 12. post prius illud *Nam* v. 6? Ad verba, inquit, *nec tacere posses:* nam *tibi sum amicissimus*, cui nil reticeri debet. Haec claudicat ratio. Noli dubitare, quin *Nam ni* vel *Nam mi* mutari debeat in *Atqui*,

cui tandem respondet *Quare* v. 15. ea ratione, qua scribit Catullus Carm. XXI, 9—12.

> Atqui, *si id faceres satur*, tacerem.
> *Nunc ipsum id doleo, quod esurire*
> Ieiunus *puer et sitire discet.*
> Quare *desine* —

Nimirum in antiquo libro vocem *atqui*, qua passim utitur Catullus, perplexis litteris ita scriptam fuisse suspicor, ut legi posset *amni:* quod quum sensu cassum esset illo loco, mutatum est in *Nam ni.* — Reliquum est, ut demonstrem, quo modo hic versus cum sequentibus copulari queat, qui item varie scripti reperiuntur. Pro *non* recte, credo, nonnulli substituerunt *nunc:* pro *pandas* Paris. A. *pandā.* Commelini liber in margine *pādā,* quod sumo equidem pro *pandans.* Nec dubito, quin v. 14. recte Meleager pro *Nec tu* receperit *Noctu.* *Pandare latera* pro *flectere, inflectere* Latine dici, recte ponit Muretus, et *lateribus* Flavii *exfututis* quid melius respondere possit, quam *virilis laterum flexio* in Ciceronis Orat. c. 18. *Nullae* argutiae *digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans et* virili laterum flexione. Hunc locum laudat Quinctilianus XI, 3, 122. postquam *pandare* membra vel *posteriora* ipse paullo ante posuit. Vide ibi Spaldingium. Ergo Catullus, duas quaestiones una periodo complectens. (sicut Graeci, v. c. οἷος ὢν οἵων ἐρᾷς) pro, *Cur latera pandes* et *quid ineptiarum facias,* mea sententia elegantissime scripsit:

> Atqui *praevalet, ista nil tacere,*
> *Cur* nunc *tam latera exfututa* pandans,
> Noctu *quid facias ineptiarum!*
> Quare *quicquid habes boni malique*
> Dic nobis. *Volo te ac tuos amores*
> *Ad coelum lepido vocare versu.*

ANIMADVERSIONUM

AD

CATULLI CARMINA PRIORA

APPENDIX.

Videamus primum de titulo, qnem ita constituerunt Broukhusius et Verburgius: CAI VALERI CATULLI *Veronensis ad Cornelium Nepotem Liber.* De praenomine, ait quidem Harduinus ad Plinii H. N. Lib. XXXVII. 6. (21.) in omnibus codicibus manu exaratis Catullum *Quintum* appellari: sed res non apparet. Abest praenomen a quatuor Codd. Bibl. Laurentianae: in uno Riccardiano est, *Q. Catulli Veron.* Liber incipit ad Cornelium. Unus Guelferb. C. habet *Cai.* quod temere Scaliger e Cuiaciano mutavit in *Quinti.* Scite enim monet Is. Vossius, librarios Catullum confudisse cum *Catulo* et, quum huic omnium consensu praenomen fuerit *Quinti*, idem affinxisse Catullo. Quod adeo verum est, ut in libro quodam MS. cuius exstat Collatio cum editione Dousae in apparatu Santeniano, ad extremum Catullo adscriptum sit epigramma Q. Catuli Lutatii, quod legitur apud Gellium XIX. 9. in Codice sic:

Ffugit mi animus credo ut solet ad *Theotimum*
Devenit. sic est. perfugium illud habet.
Quid si interdissem ne non illuc fugitivum
Mitteret ad se intro sed magis eiiceret.
Ibimus quaesitum *verbum* ne ipsi teneamus.
Formido quid ago da Venus consilium. *)

*) Simili in errore versantur editores novissimi Iuvenalis, confundentes cum Q. Catulo Catullum Mimographum vel Urbicarium, (cui epigramma illud tribuit etiam Fabricius Bibl. Lat. T. I. p. 87. ed. Ern.) ad Sat. VIII. 185. *Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti Sipario,* clamosum *ageres ut* Phasma Catulli. His praeivit Scholiastes scribens: „Q. Lutatium Catullum dicit, qui Voranum servum furacissimum habuisse fertur, de quo hic posterius (Sat. XIII, 111.) *scurra Catulli.* De quo etiam illud traditur, cum deprehensus a nummulario esset, cuius de mensa nummos subtractos in calceos sibi infercíverat, quidam iocans in eum, *Belle,* inquit, *si te nummularius in ius vocet, tu ei aes ablatum ex calceo abiiceres.*“ Haec nihil attinent Catullum Vrbicarium, quod vidit iam Schrevelius, sed pertinent ad Q. Catulum, cuius servum furacem etiam Horatius I, Serm. 8, 39. dicit *Voranum,* monente contra Rupertium, qui *Coranum* substituit, Cramero; qui rursus in eo errat, quod Cruquiano Commentatori adscribit, quae sunt Porphyrionis verba. Cruquianus commentator in utraque Editione Antverp. 1579 (1578) et 1611 eadem refert. At huic posteriori Editioni adiunctum est Auctarium veteris commentatoris, quem Porphyrionem esse Dousa ipse profitetur in praefatione. Hoc non animadversum istam peperit confusionem. Porphyrio igitur, quem sequitur Coel. Rhodiginus XIX, 9. (prorsus neglexit Heindorfius) longe

Quod epigramma ita fortasse in veteri libro scriptum exstitit:

Effugit mi animus, credo, ut solet ad *Theotimum*
Devenit. Sic est: perfugium illud habet.
Quid? *ni* interdissem, *nemo ne illunc* fugitivum
Mitteret ad se intro sed magis eiiceret.
Ibimu' quaesitum. verum ne ipsi teneamur,
Formido. quid ago? da, Venu', consilium.

sane elegantius illud dictum ita refert: quidam iocans, *Belle*, inquit, *si te nummularius ille* exchalciaverit, *cum aspiratione scilicet primae syllabae, simul ut* χαλκὸν, id est, *aes ablatum ex calciamento obiiceret.* Caeterum Q. Catulus Callimachi epigramma XLIII. non ad verbum sed universe ad sensum convertit ita, ut primo statim disticho complecteretur Callimachi primum simul et tertium, tertio autem adiiceret aliquid, quod in graeco exemplo, ut nunc est, desideratur. Nec secundum Catuli distichon respondet secundo Callimachi, si lectionem admiseris, quae exstat apud Gellium: *Quid* si non *interdixem*, ne *illunc fugitivum Mitteret ad se intro sed magis eiiceret?* Atqui non Theotimo solum interdixerat amator, ne fugitivum illum admitteret, sed pueris omnino omnibus: καὶ μὲν ἀπεῖπον πολλάκι· τὴν δρῆστιν μὴ ὑπόδεχθε, νέοι. Igitur credibile est, Catulum scripsisse, quod, duce librario Tibulli, supra posui, *nemo ne illunc fugitivum Mitteret ad se intro* etc. mutato etiam *si* in *ni*. Est autem *nemo ne* idem quod *ne quis* omnino, ut apud Propertium II, 19, 32. *Absenti* nemo ne *nocuisse velit*; et apud Tibullum IV, 7, 8. Ne *legat id* nemo, *quam meus, ante, velim.* Tertium Callimachi distichon misere depravatum est ab initio. Nam Cod. Palat. exhibet οὐκισυνιφησον. ad

Catulli igitur praenomen non Q. fuit sed C. quod plane confirmat Appuleius Apol. T. II. p. 405. Oudend. nec illud tamen casu secundo scribendum cum Broukhusio litteris minusculis *Caji*, interiecta littera barbara, quam Veteres ignorant; immo ne maiusculis quidem CAI, vel GAI. Nam si VALERI scribitur, quidni etiam CAI? Par est utriusque nominis ratio. Sed quum Veteres ipsi sibi non constent in educenda littera I, e duabus brevioribus *ii* orta: quod post Norisium accurate demonstrat Cortius ad Sallust. Catil. 1. p. 5. atque adeo duplex *i* in genitivis istis prisco aevo scriptum reperiatur, evitanda hodie penitus est ista inconstantia, scriben-

quas litteras proxime accedit Bentleii emendatio: *οὐκ εἷς ἐς τὸν ἔφηβον;* Sed vereor, ne ille librarium potius emendaverit quam poëtam. Nam nomen pueri desiderari, recte statuunt Scaliger et Valckenarius. Ille igitur *Κηφισσὸν* infert, hic *Εὐξίθεον.* Alii aliter. Vid. Iacobsii Apparat. Crit. ad Anth. Pal. p. 746. Equidem non video, quo modo Catulus in *Theotimum*, nomen rarum et mere graecum, incidere potuerit, nisi invenisset apud Callimachum *Θεότιμον.* Huic nomini librarius fortasse adscripsit *ἔφηβον* vel *συνέφηβον.* quod illatum ab alio in contextum prorsus obliteravit *Θεότιμον.* Adscribam tamen epigramma graecum, cui postremum distichon deesse videtur, quo commodius comparari possit cum latino, sicut legitur in Cod. Palat.

ἥμισύ μευ ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον, ἥμισυ δ', οὐκ οἶδ',
εἴτ' Ἔρος, εἴτ' Ἀΐδης ἥρπασε· πλὴν ἀφανές.
ἦ ῥά τιν' ἐς παίδων πάλιν ᾤχετο; καὶ μὲν ἀπεῖπον
πολλάκι· τὴν δρῆστιν μὴ ὑπόδεχθε, νέοι.
οὐκισυνιφησον· ἐκεῖσε γὰρ ἡ λιθόλευστος
κείνη καὶ δύσερως οἶδ' ὅτι που στρέφεται.

dumque *Caii, Valerii* etc. Primus ex poëtis, ait Bentleius, qui hodie exstant, Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime, et post eum alii omnes geminum *i* usurpant. Atqui nuper Struvius de Declin. et Coniug. Latin. ad p. 13. hoc minime sublestae fidei exemplum protulit e Lucret. V. 1004.

Inproba *navigii* ratio tum caeca iacebat.

Nam alterum exemplum, quod ibidem laudat, VI, 433.

Paullatim, quasi quid pugno *brachiique* superne
Coniectu trudatur —

sicut etiam Wakefieldus edidit, Bentleii observationem confirmat magis quam subvertit, si quidem *brachium* primam syllabam productam habet, scribique poscit *brachique*. Nec tertio exemplo vis probandi maior inest VI, 743.

Remigii oblitae pennarum vela remittunt.

Complures enim libri habent *Remigio*, unde Wakefield. fecit *Remigiom*, Struvius ipse *Remigium*. Quamquam scriptura *Remigioblitae* mihi quidem persuadet, Lucretium scripsisse, *Remigii oblitae*. Iahni collectanea ad Ovid. XV, Metam. 728. non vidi. Ergo audiamus Lucilium p. 327. ed. Dous.

Quare servandi numeri et versus faciendi,
Nos *Caeli, Numeri,* numerum ut servemu' modumque.

Nunquam enim, ait Charisius, qui versus illos laudat p. 60. Putsch. *Nunquam hoc intulisset, nisi et* Caelii *et* Numerii *per* II *huius* Numerii *faciendum crederet.* Et hoc idem Grammaticus saepius inculcat v. c. p. 11. et p. 54. etiam Caec. Vindex ad Lucilium provocans p. 2318. Putsch. et apud Cassiodorum de Orthograph. p. 517. Genev. Priscianus p. 735. „Frequenter, ait, invenimus, veteres in huiuscemodi genitivis, id est, geminantibus i, subtrahere ex eis alteram — *hoc autem faciunt*

metri causa:" id est, quod dicit Lucilius, *numerum ut servent modumque.* At etiam in prosae orationis scriptoribus sic exaratos invenimus genitivos istos v. c. *Ingeni, Peculi, Aedifici* etc. Ea scilicet consuetudine, qua etiam Dativi et Ablativi per unum *i* sculpti reperiuntur v. c. in Inscriptione tab. Placent. *Vlvis, Vettis, Naevis, Coelis* etc. p. 35. ed. Wolf. Atqui littera I, ut scribit Quinctilianus I, 4, 11. *sibi insidit:* id est, per συνίζησιν quamdam in se coit; (hoc enim exprimit formula, *sibi insidere*) sive ista littera bis ponatur deinceps et tamen simul pronuncietur, quod censet Spaldingius, sive semel ponatur et simul tamen, paullo fortasse latius, pronuncietur, ut v. c. *Χῖος* pro *Χίιος*, *Δίφιλος* pro *Δϊΐφιλος*, *Ἶφι* pro *Ἴφιι*. Addit Quinctilianus: *Coniicit* enim est ab illo *Iacit.* Ubi scribi etiam potest *Conicit.* Nimirum in verbis compositis *Adiicere, Coniicere* etc. syllaba naturaliter brevis ista duorum *ii* coitione non fit longa sed brevis manet, sicut in *Adicere, Conicere, Subicere,* scribiturque *Adiicere* etc. si praepositio sive prima syllaba producenda est. Hoc demonstrat Gellius IV, 17. et usus comprobat. Nam ut Martialis X, 82, 1. *adicit,* media brevi, ponit, ita Iuvenalis XV, 17. *abicit,* monente Spaldingio. Adde Manil. IV, 44. Atqui hic duo *ii* in unum coaluere, primum *i* vel initiale verbi *Iacio*, et alterum ex compositionis ratione ortum, mutato scilicet *a* in *i.* Hinc concludit Gellius, in versu scribendum esse *Obiicit, Coniicit, Subiicit,* si primis horum verborum syllabis uti velis pro longis. Accedit Grammaticus adhuc ineditus: *Praepositio* quanta fuit in appositione, tanta est in compositione. Notant aliqui *Ad: Ab: Ob:* et *In:* et *Sub:* quae cum *iacio* composita corripiantur. Sed ratio compositionis exigit, ut *a* in *i* vertatur, prima: *i:* per con-

sonantem servata. ut sicut *facio: officio* dicimus, sic *iacio: obiicio* dicamus.

ad Cornelium Nepotem] Edd. 1472 et 1475 ad *Cornelium Gallum.* Hunc errorem iam confutavit Parthenius. Hic etiam singulari studio composuit vitam Catulli, spreta illa, quae legitur in Ed. 1472. Nos eam hoc loco repetamus propterea, quod simillima est Tibullianae cum epigrammate Domitii Marsi, et ab eodem auctore profecta videtur.

Vita Catulli ex Ed. a. **1472.**

Valerius Catullus, scriptor lyricus, Veronae nascitur Olympiade CLXIII. anno ante natum Salustium Crispum diris Marii Syllaeque temporibus, quo die *Plotinus* latinam rhetoricam primus Romae docere coepit. Amavit hic puellam primariam Clodiam, quam Lesbiam suo appellat in carmine. Lasciviusculus fuit et sua tempestate pares paucos in dicendo frenata oratione superiorem habuit neminem. In iocis apprime lepidus, in seriis vero gravissimus extitit. Erotica scripsit et epithalamium in Manlium. Anno vero aetatis suae XXX. Romae moritur, elatus moerore publico.

Haec sine ulla varietate leguntur etiam in Ed. Rheg. Lep. 1481 v. c. Olympiade CLXIII. pro CLXXIII. porro *Plotinus*, cui substituendus est *Plotius*; apud Suetonium de Clar. Rhetor. 2. *Lucius Plotius Gallus.* Quod vero sequitur „*frenata oratione*“ haud temere mutaverim in *effrenata* oratione. Dictum illud videtur pro *vincta* oratione. Etiam in Vita Tibulli offendimus locutionem paullo insolentiorem, sed eam tamen bene Latinam. Huic alibi tertiam Propertii, eodem stilo ab auctore haud dubie vetusto compositam ex eadem Ed. adiiciam.

CARMEN I.

Quatuor priores huius carminis versus certatim laudant grammatici aliique scriptores, quibus nuper accessit Virgilii vetus interpres, editus a Maio ad Ecl. VI, 1. p. 4.

Prima Syracosio dignata est ludere versu —

„Dignata est. Adroganter dictum, quasi potuerit maiora scribere *quam bucolicon*, quod ex facili compositione . . . Nec sicut olim lusit Anacreon vel veronensis Catullus:

Cui dono lepidum novum libellum
Arido modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Item Horatius:

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum.“

Hic omnia illa quae post vacuum spatium, punctis notatum, leguntur, non pertinent ad verbum, *Dignata est*, sed ad ea, quae sequuntur, *ludere versu.* Quod satis demonstrat locus: Nec sicut olim *lusit* Anacreon. At haec male composita sunt, Anacreon *vel* Catullus. Num Anacreon simile carmen composuit idque exemplo, quod imitaretur, fuit Catullo? Nugae. Agit Scholiastes non de Anacreontis sed de Horatii quodam loco, mendosaque est in hac sede vox *sicut*, mutanda haud dubie in *si quid.* Grammaticus, ut dixi, illustrare volebat Virgilii locutionem, *ludere versu*, et hoc vel simili modo pergebat scribere: „*sicut* Horatius (IV, 9, 9.)

Nec *si quid* olim lusit Anacreon,

vel veronensis Catullus", qui *nugas* dicit sua carmina. In iisdem angustiis versatur Horatius apud Scholiastem Iuvenalis XV, 135. de pupillo:

cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.

Schol. *faciunt incerta.* *Ut sagaces falleret hospites, discrimen obscurum*. Sic editur hic locus. Addit Cramerus: „obscurum, quid his velit glossographus. an *iudices* loco *hospites* scripsit? sed nec sic clara res est." Immo et res clara est, et certissima lectio *hospites*. Est enim locus Horatii II, Carm. 5, 21. de Cnidio Gyge:

Quem si puellarum insereres choro,
Mire *sagaces falleret hospites,*
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

Vs. 1.

CUI dono] Non consentiunt librarii in huius vocis scriptura, aliis *Quoi*, aliis *Cui*, aliis denique *Qui* exhibentibus et hoc loco et alibi. Qua de re egregie scribit Malaspina, laudatus a Broukhusio: „Ego quidem sic existimo, librarios non sane vetustissimos: sed tamen non valde ab illa minus barbarie contaminata aetate: in varia multipliciquc scribendi forma et ratione (crebro enim ea mutata est) non admodum curasse, quod tamen curandum fuit, ut sua cuique scriptura servaretur: utrum *Quoi* an *Cui* facerent: *Causa* an *Caussa* — Posteriores librarios, quo imperitiores fuerunt quam veteres, eo magis religiosos in scribendo fuisse puto: hincque factum esse, ut in hoc loco (Ciceronis) *Quoi* tot adhuc libri retineant. Verum de hac voce, quid Fabius ipse sentiat, non oberit adpinxisse, sic enim lib. primo (7, 27.) „Illud nunc melius,

quod *Cui* tribus, quas posui, litteris enotamus: in quo, pueris nobis, ad pinguem sane sonum *Quoi* utebantur: tantum, ut ab illo *Qui* distingueretur.“ Quod autem ait, *Ut ab illo* Qui *distingueretur*, ita intelligo. Donatus in Andria (I, 1, 140.) ait, Veteres *Cui* per *Q*. scripsisse: posteriores, ut a *Qui* recto distingueretur, *Quoi* voluerunt scribi: novissimi, eadem puto de caussa, *Cui:* quem sonum probat Fabius.“ Illam Donati observationem confirmat non modo Cod. Patav. apud Statium, in quo pro *Cui* legitur *Quin*, id est, *Qui*, sed etiam Codd. Laurentt. XII. XIII. XXIII. cum Riccard. in Carm. II, 3. Voss. item quartus Tibulli I, 1, 4. *Qui* exhibentes pro *Quoi* vel *Cui*, quae forma, in tanta scribendi varietate, sola hodie exprimenda est, etiam de iudicio Schneideri Gramm. I. p. 333. Caeterum tres posteriores Terentiani Mauri versus, quos descripsit Verburgius, ita distinctos exhibet Santenii editio:

Quos dixi *modo*, *iam* pedes videmus
Diversos capiti trium locatos.

Hic quaeri possit, quid impulerit Santenium, mutare veterem interpunctionem et separare voces *modo iam*. Nempe putavit ille, non posse copulari particulas illas e consuetudine latina. At copulavit eas tamen Tibullus I, 1, 25.

Iam modo non possum contentus vivere parvo.

Immo separavit. Nec putaveram, frugibus inventis, etiamnunc repertum iri, qui glandibus vesci malit et construere cum Cyllenio, Iam, *modo non*, possum: ubi cogitando infertur, quod fieri nequit, Iam, *modo non poteram*, possum; vel, si cogitando inferri posset, tamen etiam ex hac ratione scribendum foret, *Iam* possum, *modo* non —

poteram. Nunc scripsit Tibullus, quod omnes Latinitatis numeros explet:

Iam possum, *modo* non contentus, vivere parvo.

Vs. 2.

Arida modo pumice expolitum.

Editiones veteres, quas Vossium expressisse narrat Verburgius, non sunt Aldina a. 1502 antiquiores. Haec enim habet *Arida.* Veteres, *Arido.* Et haec lectio praeferenda foret, si Codices numerari non pendi deberent. Maxima enim pars habet *Arido*, etiam Ambrosiani, teste Maio. Unus tamen Abbatis de Terran, scriptus a. 1463. cum Guelferb. B. C. *Arida.* Huic lectioni succurrit auctoritas Servii et ratio Menagii, interposita particula *modo* corrumpi, quem dicit Broukhusius, rhythmum. De loco in Priapeis videndus est Burmannus ad Anth. Lat. T. II. p. 506.

Vs. 3.

Corneli] *Phagita*, quem in Corneliorum numero refert Verburgius, qualis et unde genus, qui fuerint eius penates, prorsus equidem ignoro. Gellii locus de Nepotis Chronicorum libris exstat libr. XVII, 21. Ausonii Epist. XVI. cuius inscriptio (Idyllii VII.) in fronte operis collocata a Scaligero et Tollio, plena haec est: Ausonius *Latino Pacato Drepanio filio.* Francisci porro Scotti Itinerarium Italiae denuo edidit frater eius Andreas Amstel. 1655 auctum cum suis tum Hieronymi Capugnani observationibus. Et hic quidem, non Scottus, Veronae monumenta recensens, haec narrat mirifica p. 91. „Palatiis publicis et privatis sumptuosissimis ornatur (Verona), inter quae Praetorium primarium forma tetragona et spatiosa. In hac est aula adeo magna, ut Palatii speciem habeat, ad publicas

res tractandas, Conciliumque cogendum civitatis. In eius tecto in ultima coronide *Cornelii Nepotis, Aemilii Macri* veterum Poetarum, (sic) *Plinii* Historici, et *Vitruvii* architecti statuae marmoreae sub dio collocatae sunt. Apud haec *Hieronymi Fracastorii* statua in satis eminenti arcu posita conspicitur. Hi omnes Veronenses!"

Vs. 4.

Meas esse aliquid putare nugas.

Infra Carm. XIV. (XVI.) *ineptias* dicit haec carmina ludicra. Poterat etiam *iocos*, qui tamen, sicut illae paullo latius patent. Suetonius Illustr. Gramm. c. 21. de C. Melisso: Atque, ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Iocorum* inscribuntur, *componere* instituit. — Ubi nescio quis in formula *componere libellos* offendit. Macrobius II. Saturn. 1. Cicero autem quantum in ea re valuerit quis ignorat? qui vel liberti eius *libros*, quos is *de Iocis* patroni *composuit*, quos quidam ipsius esse putant, legere curavit. Eiusdem generis est, quod Tacitus scribit Agric. 3. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce *memoriam* prioris servitutis ac *testimonium* praesentium bonorum *composuisse*. Sed hoc etiam nuper quidam, nisi fallor, accommodare conatus est Liviano loco: iuvabit tamen rerum gestarum *memoriae* principis terrarum populi pro virili parte et me ipsum *consuluisse*. Heinsius ad Ovid. IV, ex Pont. 16, 30. *iocos* vel *ineptias* C. Ciln. Melissi fuisse suspicatur *Apologos Aesopicos*, quos Martialis etiam, sicut epigrammata sua VII, 12. *iocos* dicit III, 20, 5.

An aemulatur improbi iocos Phaedri? Verburgius in fine annotationis designare videtur Plauti Trin. IV, 2, 91.

Nimium graphicum hunc nugatorem!

sumens pro adiectivo *nimium* iuxta *graphicum*. Et recte quidem. Sic Stich. V, 4, 17. *nimio liquido Libero*. Vide notata ad Tibullum III, 6, 62. p. 535. Nugatorem *lepidum* invenies Curc. IV, 1, 1. — *Phaleuci*, scriptura est Verburgiana, quam nusquam nec in aliis mutavi.

Vs. 6.

Omne aevum tribus explicare chartis.

Quae ad hunc locum scribit Verburgius, non unius aestimanda sunt assis. Primum ille confundit, quae accurate distinguit Scaliger, *Chronica* Nepotis cum *Annalibus*. Qua in re consentientem habet Tzschuckium ad C. Nepotis Fragm. XI. Nam quod Iornandes refert e Cassiodoro p. 706. Genev. In extrema Britanniae parte Memma, quam *Cornelius* etiam, *Annalium* scriptor, narrat metallis plurimis copiosam etc. hunc igitur locum Tz. non Tacito sed Nepoti ascribendum censet, „potuisse enim Iornandem *Chronica* etiam *Annales* vocare.“ Quod etsi non plane negaverim, tamen recte distinguit Scaliger ita: „Chronicorum scriptio omne omnium gentium aevum complectitur, Annales tantum unius nationis gesta“. Sed nemo unquam Nepoti Annales tribuit praeter Ach. Statium et Scaligerum ipsum, qui librum eorum, (non Chronicorum, quod scribit Verburgius) decimum quintum a Grammaticis citari affirmat. Vellem unum alterumque Grammaticorum locum indicasset vir summus. Laudatur a Charisio p. 114, 14. Cornelius Nepos in Illustrium decimo quinto: (paullo ante libr. XVI.) alibi simpliciter *Nepos*, nunquam simpliciter *Cornelius*, qui ubi nude ponitur, semper, quod sciam, intelligitur *Tacitus* v. c. apud Schol. Iuvenalis ad II, 99. de Galba, Othone et Vitellio:

Horum bellum scripsit *Cornelius*. Ergo etiam Iornandes Corn. Tacitum designavit, non Nepotem, et Catullus Nepotis Chronica, non Annales, monente iam Parthenio: „Quum dicit *omne aevum*, plane indicat Cornelii Nepotis Chronica, quorum meminit Gellius in Noctibus Atticis“ XVII. 21. Quam extremo loco proponit explicationem Verburgius, ea multis mecum videbitur subabsurda. Lin. 12. pro *onus* lege *olus*.

Vs. 7.

Doctis, Iupiter, et laboriosis.

Neminem adhuc vidi, qui moneret, Guarinum edidisse,

Doctis *et pariter* laboriosis.

Iupiter, ait, exclamatio est, qua et in elegis usus est,

Iupiter, ut tristi lumina saepe manu,

et alibi,

Iupiter, ut *Χαλύβων* omne genus pereat.

Parentis tamen emendatus codex non *Iupiter* sed *et pariter* habet, ut dicat, Cornelium laborem simul et doctrinam in scriptis suis explicuisse, quorum alterum ad sensa alterum ad verba referri debet. Frustra! Verburgius his locis adiiciens exempla graeca ob oculos habuisse videtur Aristoph. Nub. vs. 153. Br. (pro 133.)

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ! τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν.

Vs. 8 — 10.

Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est
Qualecunque, quod * * * *
Plus uno maneat perenne saeclo.

Sic hunc locum expressit, non uno nomine suspectum, Verburgius. Primum *qualecunque* idem est, quod *quicquid libelli*, ergo superfluum; deinde, quae inferri vulgo solet, *patrona Virgo*

monachum potius redolet quam Catullum: postremus denique versus longe est ineptissimus. Illud tamen *Qualecunque* ferri fortasse possit, si assumatur plurimorum librorum, Laurent. XI. Guelf. A. B. Regii B. Datiani, et Edd. veterum a. 1472. Venet. 1475. Reg. Lep. lectio vs. 8.

Quare habe *hoc* tibi, quicquid est, libelli
Qualecunque —

Quod confirmare etiam videtur Martialis VII, 26.

Apollinarem conveni meum, Scazon,
Et si vacabit, (ne molestus accedas)
Hoc qualecunque, cuius aliqua pars ipse est,
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures. —
Quanto *mearum*, scis, amore *nugarum*
Flagret: nec ipse plus amare te possum.

Sed *patrona virgine* quid facias? Haec enim est antiquior lectio, profecta haud dubie ex uno eorum exemplarium, unde manarunt reliqua tantum non omnia. Habent eam Regii A. B. Datianus et Italici omnes, (e quibus Laurent. XIII. superne adscriptum habet *o musa*) discedentibus Guelff. A. et C. quorum alter *paterna* exhibet, alter *patrima*, sicut correxit Scaliger et in contextum etiam admisit Broukhusius, caeterum, quo sese vertat, dubius. Complures scripti editique pro *quod* habent *quidem*. Ed. 1472.

Qualecunque quidem patrona virgo.

Sic etiam Guarinus, de quo falsa refert Sillig. At Parthenius cum Vicent. *patroa;* quam vocem mere graecam Catullo cum Vossio obtrudere nefas. Reliquas virorum doctorum emendationes indicarunt alii, nemo tamen adhuc editorum Verburgianam,

Qualecunque quod, o *pater leporum* —

Haec ista est emendatio, quae a temporum illorum aequalibus excepta est omnibus cachinnis, traducta in primis a P. Burmanno in Carmine ad Phoebum

et octodecim Musas, vs. 16—21. ubi simul severam agit et acerbam huius Speciminis censuram. Sane non convenit locutio illa Corn. Nepoti, nec ei convenit exemplum Aurelii, qui Carm. XXI. dicitur *pater esuritionum,* hoc est, *pater,* dominus, *coenae sordidae;* quamvis hoc exemplo etiam Handius utatur Observatt. Critt. in Catulli Carmina p. 57. ut confirmet librorum quorundam lectionem Carm. XII, 8.

est enim *leporum*
Disertus *pater* ac facetiarum.

Ubi legitur vulgo, etiam in Ed. 1472 *puer*, quod praeferendum videtur. Nec tamen hic locus praetereundus erat Verburgio, si talem periclitari coniecturam nec, quod perierat perditum ducere volebat cum Mureto, cuius in libro hic erat lacuna.

Venio nunc ad versum ultimum, quem longe ineptissimum supra dixi,

Plus uno maneat perenne seclo,

vel saeclo. *Maneat*, ait, *perenne*, hoc est, in perpetuum, in aeternum, *plus uno saeculo.* Quis ita scribit? Certe non Horatius de carmine, *quod et hunc in annum Vivat et plures*, I, 32, 2. nec laudatus a Bentleio ad Carm. Saec. 26. Ovidius V, Metam. 227.

Quin etiam monumenta dabo *mansura per aevum:*

nec Cinna apud Suetonium Grammatt. 11.

Saecula permaneat nostri Diana Catonis.

At fortasse ita scripsit Callimachus Fragm. CXXI,

ἔλλετε νῦν, ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπώσας
Χεῖρας . . . ἵνα μοι πουλὺ μένουσιν ἔτος.

Nam Hemsterhusius inter alia inseri etiam et legi posse censet *ἵν' ἀΐδιοι πουλὺ μένωσιν ἔτος.* Atqui his aut eadem inest temporis repugnantia aut, si alterum sumitur pro *aevis omnibus*, alterum su-

perfluit. Quare Valckenarius ad Elegiaca Callimachi p. 276. *εὔφημοι* pro *ἀΐδιοι* item cum Hemsterhusio reponendum censet. Sed hoc incertum, illud autem Catullianum ineptum. Quod intelligens Parthenius locum ita expedire conatur: „*Perenne* adverbium est, et erit ordo, virgo-maneat *plus perenne*, id est, *perennius* uno saeclo.“ Non ita scribitur Latine nec separari potest *plus* ab *uno saeculo*, ut sit, *plus quam unum saeculum*. Quum igitur *Qualecunque* illud auctoritate Martialis hoc quidem loco firmari vix ac ne vix quidem possit, versus autem ultimus usquequaque laboret, dubium mihi neutiquam videtur, haec omnia profecta esse non a Catullo sed ab eo, qui intulit etiam *patronam Virginem*, mea sententia, monacho, qui quum magnam caperet ex his carminibus voluptatem eaque ab interitu vindicari cuperet, vel animi causa vel ut aliis, quibus ne talia describerentur cavendum erat, fucum faceret, hanc primo statim carmini impressit notam, qua facile induci possent illi, ut crederent, agi in hoc volumine de quavis potius alia re quam de amoribus Lesbiae et Ipsithillae. Handius tamen, qui versus istos obelo item suo expungit Observ. Critt. p. 25. *patronam Virginem* ab interpolatore positam esse cum Parthenio censet pro Lesbia. Quod mihi secus videtur.

CARMEN II.

Omnem veri pulchrique sensum procul habuisse videntur, qui lepidissimum hoc Catulli de passere Lesbiae carmen allegorico et eo quidem obsceno modo interpretari haud erubuerunt. Hos nunquam animadvertisse dicas, quantam pueri puellaeque, adde etiam provectioris aetatis homines, e consue-

tudine animalium, cicurari non recusantium, capiant voluptatem, quanto ea complectantur amore, quanto defuncta prosequantur luctu. Rem ipsam commemorat Plautus Captiv. V, 4, 5.

Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem haec mihi advenienti upupa, qui me delectem, data est.

Hinc res traducta est ad homines dilectos, qualicunque officiorum genere morem aliis gerentes, v. c. a Pindaro Pyth. II, 30. ad Cinyram, Veneris cultorem, quem ἱερέα dicit *κτίλον Ἀφροδίτας*, hoc est, ut interpres explicat, *τὸν συντεθραμμένον καὶ συνήθη καὶ εἰθισμένον τῇ χειρί·* et ab Herodoto IV, 114. ad Amazonas ferocientes, quas Scythae paullatim, ut scribit ille, *ἐκτιλώσαντο*. Hinc ipsa eiusmodi animalium nomina inter blandimenta mutuo se amantium reperiuntur v. c. apud Aristoph. Plut. 1012.

καὶ νὴ Δί', εἰ λυπουμένην γ' αἴσθοιτό με,
νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο.

Quem locum, corruptum a librariis, feliciter restituerunt Faber et Bentleius ope Plauti Asinar. III, 3, 76.

Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum, hoedillum me tuum dic esse vel vitellum:

et ibidem v. 103.

Dic igitur me anaticulam, columbam vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

At interpretes male seduli, ubi inter amantes aviculae cuiusdam mentionem fieri vident, statim ad rem obscenam abripi se patiuntur, sicut Dousa *turturem* Plaut. Bacch. I, 1, 35. prorsus concolorem

esse ait *Passeri illi* non *passeri* Catulliano. Hic igitur in Politiani, tamquam Epicuri, castra se coniecit, sequente Is. Vossio, cuius tamen in interpretando Catulli carmine sinisteritatem longe superavit Verburgius, advocatis adeo in subsidium anseribus Theodorae. *Quale*, inquit, *officium anseres praestitisse dicantur Theodorae Iustiniani* (uxori), *norunt qui Procopii Anecdotorum nondum editum partem legerunt.* Ex his colligat aliquis, Verburgium in manibus habuisse codicem Procopii, parte aliqua, quae in Anecdotorum editionibus desideretur, auctiorem. Sed tantum abest, ut codicem ille talem viderit, ut ne locum quidem ipsum, quem designat, legendo cognovisse videatur. Nihil enim obstabat, quo minus librum, quo pars illa — nondum edita — iam tum, quum haec scribebat, quod factum esse suspicor a. 1750.) edita exstabat, indicaret. Exstat autem in Menagianis Tom. III, p. 254 — 259. Nimirum Nicolaus Alemannus, qui Procopii Anecdota e codice Vaticano omnium primus edidit Lugd. 1623. eo loco, ubi agitur de moribus Theodorae, non unam sed duas particulas omisit et, ut fieri assolet, pro auctoris verbis stellulas, lacunae signa, interposuit. Has lacunas nullus postea editor explevit, sed hiant ac dissident ibi editiones adhuc omnes. v. c. Eicheliana p. 54. Quare gratiam apud bonarum litterarum studiosos initurum se esse putavit Bernardus Moneta, si verba Procopii omissa ab Alemanno e tenebris in lucem protraheret et eo loco, quem indicavimus, cum interpretatione latina ederet. Rem in transcursu tangunt Fabricius Bibl. Gr. Tom. VII, p. 561. ed. nov. et Harlesius Introd. in histor. Ling. Gr. Tom. II, P. I. p. 434. at utroque longe accuratius is, qui labentis cadentisque imperii Romanorum historiam summa cum eruditione et elegantia enarravit,

Eduardus Gibbon, T. VII, p. 66. ed. Lond. 1802. Qui quum non dubitaverit obsceniores quasdam locorum illorum lacinias Operi inserere historico, quid est quod nos impediat, agentes de Catullo, loca describere integra, quum praesertim liber, quo continentur, paucorum sit in manibus, nullaque melius ratione demonstrari possit, quid sibi voluerit Verburgius. Sed his fragmentis locus infra assignandus est, ne interrumpant annotationem ad Catullum. — Pag 14, lin. 13. lege, *quem si.* (hoc est, *sinu*) *tenere* etc.

Vs. 7—8.

In solatiolum sui doloris,
Credo, dum gravis acquiescat ardor.

Ita hunc locum, mea sententia, egregie restituit Verburgius, nactus postea adstipulatorem Doeringium, qui, sicut ille, corrigit, *In* solatiolum, versu tamen 8. ita:

Credo, *ut tum* gravis acquiescat ardor.

Nec negaverim, potuisse sic scribere Catullum. Magis tamen placet Verburgii emendatio, quam ipse dicit Codd. Ms. lectionem. Ego in omnibus fere libris exaratum invenio, *Credo, ut tum* vel *cum*. Guelf. B. *Credunt, quum — acquiescit.* Illud autem *in solatiolum* doloris dictum est eo modo, quo scribit Horatius Ep. I, 23.

Libenter hoc et omne militabitur
Bellum *in* tuae *spem* gratiae.

Vs. 10.

Et tristis animi levare curas! —

„Post hoc carmen," ait Guarinus, „in codice antiquissimo et manu scripto ingens sequitur fragmentum. nos tamen coniecturis omissis quae scripta sunt interpretabimur." Ubi *carmen* pro

versu et *fragmentum* pro *lacuna sive*; quam Statius dicit, ἐλλείψει sumendum est. In reliquis tamen libris nulla, quod sciam, lacunae signa deprehenduntur. Sed excidisse aliquid post hunc versum mihi etiam fit probabile. Quocirca huic versui lineolam apposui nec delevi v. 11. verbum *est*, quod quidam libri omittunt.

Vs. 13.

Quod zonam soluit diu ligatam.

Cod. Laur. XII. *negatam*. quae lectio notatur etiam in margine Cod. XXIII. et Riccard. Sed vulgatam, per se satis certam, confirmat Priscianus p. 546. Putsch. Locutionem autem, *zonam solvere*, perverse quidem interpretatur Scaliger. Sed omittere non debebat Verburgius, quae ille addit, se ipsum corrigens: „tamen scimus et de illis, quibus virginitas minuitur, apud Graecos usurpari. Theocritus:

λῦσε δέ οἱ μίτρην καὶ οἱ λέχος ἔντυον Ὧραι."

Hemsterhusius in annotatione quadam, nisi fallor, inedita, hunc locum ita tractat: λύειν ζώνην vel μίτραν, quod male intellexit Petrus Faber Semestr. Lib. III, p. 39. duplici potestate Graeci usurpant: primum de virgine, quae prima vice soluto, ut florem impertiat, cingulo, viri notitiam habet, Homer. Od. λ. 244. quam vim latini scriptores plurimum sequuntur, ut Catullus Ep. II. *Quod zonam solvit diu ligatam*, id est, quod effecit, ut Atalanta, postquam illibatam diu virginitatem servasset, Hippomeni nuberet. Ad eum locum vid. Scaliger et Is. Vossius. Conf. Ovid. Heroid. II, 116. Varro apud Nonium p. 47. novus maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum: quod Cinxiae Iunoni dedicabatur, ut Festus docet in voce *Cingulo* et *Cinxia*. Hinc λυσίζωνος virgo vitiata

vel marito tradita. Hesychius in voce. Deinde poni solet de muliere quae parturit, Callimach. in Iov. 21. et in Dian. 21. ubi nonnulla Spanhemius, plura Beverovicius Ep. Quaestt. 39. Eam ob causam λυσίζωνος Εἰλείθυια apud Theocrit. XVII, 60. Lucina, quae partus aperit, et λυσιζώνης (vel Λυσιζώνου) Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις, Schol. Apoll. Rh. I. 288. Inde est, quod Hesychius εὔζωνος interpretatur εὔτοκος.

CARMEN III.

Si nihil aliud, certe hoc Catulli carmen, quo passeris obitus defletur, istos allegoricae interpretationis studiosos editores cohibere debebat, quo minus in sententia permanerent. Tamen allegoriam suam persequuntur. Atqui plena est Anthologia Graeca epigrammatum in animalia morte consumpta, nec desunt similia latinorum poetarum exempla v. c. Ovidii elegia in psittacum Corinnae et Stellae carmen in columbam Violantillae, memoratum Martial. I, 8. et VII, 14. cui supra adiecimus inscriptionem in lusciniam, dum caput abluit, in poculo submersam. Adde eiusdem generis carmen, ex quo versum laudat Nonius XI, 65. sub nomine Catulli: *Properiter*. Catullus:

Animula miserula properiter abiit,

vel *obiit*, ut legitur apud Diomedem p. 513. qui hunc versum tribuit Sereno. Recte. Nam ad idem carmen pertinere videtur versus laudatus a Terentiano Mauro v. 1464. et, addito Sereni nomine, a Martiano Capella V, p. 169.

Perit, abit, avipedis animula leporis.

Recentiore aetate nullum animal magis a poetis

celebratum est, quam catella Aldi, in cuius obitum quae certatim scripta sunt carmina, partim leguntur in opusculo: Lacrymae poeticae Aleandri aliorumque in obitum Aldinae catellae ed. Parisiis 1622. 8. partim latent adhuc in bibliotheca Marciana, teste Morellio in Epistolis Septem variae eruditionis p. 34. ubi e multis unum exstat editum Hyporchema Hugonis Grotii.

Ab hoc humanitatis sensu plane alienus erat Verburgius, cuius reliquas animadversiones, quas Carmini etiam tertio allevit, excutere taedet. Quare hoc negotium committamus P. Burmanno, qui in Sapientia Hyperboreali partim prosa oratione partim ludicro carmine tres in primis exagitandos sibi sumpsit illorum temporum doctores Batavos, Westhovium, Westerhovium et Verburgium, ita ut in carmine ad Phoebum mimica quadam arte exprimeret metrica vitia, quae illi in poematis latinis admiserunt plurima, Verburgium autem in notis subiectis deformaret tamquam Catulli, adde etiam Ciceronis, interpretem longe ineptissimum. Commemoratis igitur illis sic pergit v. 27. versuum ipse suorum interpres:

Nec virtute minor, quo vate Amstela superbit,
Statorem Phoebi praesidiumque vocans,
Dignus laude *pater* Verburgius ille *leporum,* [1])

1) pater leporum] Ita merito titulo insignitus fuit Is. Verburgius, postquam in primo carmine Catulli, (quem paraverat edere commentariis Poetae huius nequitiam ac proterviam prolixe lascivis explicationibus superaturis, quo respicitur in sequentibus versibus) pro vocibus illis, quae summorum Criticorum ingenia adeo exercuerunt, *o Patroa Virgo,* ex vestigiis vulgatae lectionis ac Codicum MSStorum emendandum coniecit, *o pater leporum.* En patrem leporum, dignum qui Ocni funem apud inferos trahat, comite et adiutore lepusculorum illo patre et auctore

Cui vitam debet Tullius ipse suam. 2)
Quem tua ab Elysiis si vallibus umbra rediret,
Scriptaque tot maculis foeda, Catulle, videns,
Lascivos numeros superasse, proterve, doleret,
Et melius Veneris posse docere modos. —

Schroedero. Quid vero ab hoc Commentatore in Catullum literarum elegantiorum cultoribus sperandum fuisset, ex folio illo notarum suarum, quod publico dedit, typis descripto sciunt qui id viderunt. Eius obscoenitatis et impudentiae, quae in illo specimine luculentissime ubique elucent, sed in caussa fuerunt, cur reliquae eius notae in lucem protrahi prohiberentur, praecipua haec sunt capita: ut cum in secundo Catulli carmine ad passerem Lesbiae, ut probet passerem illic nequiori sensu intelligendum, coniectat passerem Lesbiae praestitisse simile officium, quale anseres Theodorae Iustiniani tradit Procopius in Anecdotis. tum quod in tertio carmine ad verba illa Catulli: suamque norat Ipsam tam bene, quam puella matrem, ita commentatur: Nosse et bene nosse habent significationem turpiculam. Belgice vertas: *Hy wist zoo wel* etc. Quasi filia matris partes pudendas inspexisset. Hoccine est lascivum poetam nequitia et impudentia vincere conari? Sed turpiter quoque se dat et ridiculum se praebet, quod veneres Romanas ieiunitate Belgica pueris ac mulierculis studeat explicare. Praeterea summos viros carpendi et procaciter tractandi libido omnem illic faciunt paginam. Qui specimen legerunt, non ignorabunt quam petulanter Scaligerum, Vossium, aliosque excipiat. Sed bonum factum, quod abortivus hic foetus non tolli sed primo statim partu abiici iussus sit.

2) Cui vitam debet Tullius] Edidit nempe Ciceronem cum notis Verburgius, de quo opere Eruditi in Actis Lipsiensibus, peritissimi harum rerum arbitri, iudicaverunt, eum fuisse *egregium Ciceronis commaculatorem,* quorum testimonio addi meretur, quid de dexteritate Verburgiana senserit Vir Doctissimus ac humanissimus Ioh. Daviesius in praef. ad Cicer. de Finibus: *Marci Antonii Mureti notas, quae divulgatae sunt Ingolstadii* MDCII. *non multum quaesivi, cum,* nisi pessima quaeque descripserit Cl. Verburgius, *nihil tanto nomine dignum repraesentarent.* At Schroedero in

Vindiciis notar. suar. ad Senec. pag. 8. ob id habendus videtur *vir indefessae industriae omnique politiore literatura tinctus.* Ita scilicet mulus mulum fricat. Verum ut intelligant omnes quid Verburgio debeat Cicero, brevi specimine hic velut *ἐν παρόδῳ* significabimus. In totum librum primum Epistolarum ad Atticum unica tantum conspicitur nota: in observationibus vero ad librum secundum omnis eruditio est in bis laudato Broukhusio ad Propertium: in librum tertium sunt duae observationes eiusdem notae: in librum quartum ne unica quidem nota, et sic ad omnes libros; ut facile eius ad Ciceronem notae possent quaternione conscribi et, quod bonae frugis ibi invenitur, vix impleret chartulam trium pollicum longam ac latam. Vide ergo, Lector, quam *indefessa industria* et *quanto politioris literaturae flumine tinctus* ad Ciceronem commentandum aut potius commaculandum accesserit Verburgius.

Capitis noni Ἀνεκδότων

sive

Historiae Arcanae Procopii

loci duo e codice ms.

Vaticano suppleti.

Post haec verba, *καθῆσθαι εἰώθει*, adde:

Τέως μὲν οὖν ἄωρος οὖσα Θεοδώρα ἐς κοίτην ἀνδρὶ ξυνιέναι οὐδαμοῦ εἶχεν οὐδὲ οἷα γυνὴ μίγνυσθαι. ἥδε τοῖς κακοδαιμονοῦσιν ἀνδρείοις τινα μισητείαν ἀνεμίσγετο, καὶ ταῦτα δούλοις, ὅσοι τοῖς κεκτημένοις ἑπόμενοι ἐς τὸ θέατρον, πάρεργον τῆς οὔσης αὐτοῖς εὐκαιρίας, τὸν ὄλετρον (ὄλεθρον) τοῦτο εἰργάζοντο ἔν τε μαστρω-

πείῳ πολύν τινα χρόνον. ἐπὶ ταύτῃ δὲ παρὰ φύσιν ἐργασίᾳ τοῦ σώματος διατριβὴν εἶχεν. [1])

Ibidem post ἀνακαγχάζειν.

... Ἀποδυσαμένη τε τά τε πρόσω καὶ τὰ ὀπίσω τοῖς ἐντυγχάνουσι γυμνὰ ἐπιδεῖξαι, [2]) ἃ τοῖς ἀνδράσι θέμις ἄδηλά τε καὶ ἀφανῆ εἶναι. ἐς δὲ τοὺς ἐραστὰς ἐχλευάζετο βλακεύουσα καὶ νεωτέροις ἀεὶ τῶν μίξεων ἐνδιαθρυπτομένη ἐπιτεχνήσεσι παρασθήσασθαι [3]) τὰς τῶν ἀκολάστων ψυχὰς ἐς ἀεὶ ἴσχυεν. Ἐπεὶ οὐδὲ πειρᾶσθαι πρὸς

1) Haec sic latine convertit Moneta: Tunc adhuc immatura Theodora neque viro in matrimonium collocari neque ut mulier copulari poterat; foedo tamen interim modo cum nefariis paediconibus miscebatur iisque servis, qui heros in theatrum secuti, obiter dum per tempus licebat, huic pesti operam dabant. Neque parum temporis in hoc praepostero sui corporis ministerio apud lenones posuit. — Sed ut sententia existat, quam postremis verbis inesse intellexit Moneta, locus ita constituendus est, ut interpungatur post εἰργάζοντο, caetera corrigantur hoc modo: ἔν τε μαστρωπείῳ πολύν τινα χρόνον ἐπὶ ταύτῃ τῇ παρὰ φύσιν ἐργασίᾳ — εἶχεν.

2) Haec cum iis, quae editores expresserunt, sic cohaerent: καὶ τοιαύτη τις ἦν, οἷα ῥαπιζομένη μέν τε καὶ κατὰ κόῤῥης πατασσομένη χαριεντίζειν τε καὶ μέγιστα ἀνακαγζάζειν· ἀποδυσαμένη τε — ἐπιδεῖξαι. Ubi notanda est forma χαριεντίζειν pro χαριεντίζεσθαι, quam solam habent Lexica nostra.

3) Lege, παραστήσασθαι.

τούτων [4]) ἐντυγχανόντων ἠξίου, ἀλλ' ἀνάπαλιν αὐτὴ γελοιάζουσά τε καὶ βωμολόχως ἰσχιάζουσα [5]) τοὺς παραπεπτωκότας ἅπαντας ἄλλως τε καὶ ἀγενείους ὄντας ἐπεῖρα. Ἥσσων γάρ τις ἡδονῆς οὕτως ἁπάσης οὐδαμοῦ γέγονεν, ἐπεὶ καὶ ἐς ξυναγώγιμον δεῖπνον πολλάκις ἐλθοῦσα σὺν νεανίαις δέκα ἢ τούτων πλείοσιν ἰσχυί τε σώματος ἀκμάζουσι λίαν καὶ τὸ λαγνεύειν πεποιημένοις ἔργον ξυνεκοιτάζετο μὲν νύχθ' ὅλην τοῖς συνδείπνοις ἅπασιν. Ἐπεὶ δὲ παρὰ τὸ ἔργον τοῦτο ἀπείποιεν, ἥδε παρὰ τοὺς ἐκείνων οἰκέτας ἰοῦσα τριάκοντα ὄντας, ἂν οὕτως τύχοι, [6]) ξυνεδυάζετο μὲν τούτων ἑκάστῳ, κόρον δὲ οὐδὲ ὣς ταύτης μὲν τῆς μισητείας ἐλάμβανε. Καί ποτε ἐς τῶν τινος ἐπιφανῶν οἰκίαν ἐλθοῦσα μεταξὺ τοῦ πότου, θεωμένων αὐτὴν, ὥς φασὶ, τῶν ξυμπο-

4) *πρὸς τούτων.* Praestat legere *πρὸς τῶν* vel potius, *πρός του τῶν ἐντυγχανόντων.*

5) *ἰσχιάζουσα, coxas procaciter motans,* ut vertit Moneta. Hoc verbum in Lexicis nostris non comparet. Notavit tamen Stephanus in Indice sub v. *Ἴσχις* haec: „pro *ἰσχιάζειν*, quod in v. l. esse dicitur, *inter eundum in utramque partem declinare,* Hesychius habet *Ἰσχάλειν.*" Nimirum ille hoc verbum explicat, *ἐπὶ τῇ πορείᾳ πολὺ ἐφ' ἑκάτερα ἐκκλίνειν.* Atqui plane ita Suidas interpretatur *Ἰσχιάζειν*, eique accedit Photius. Ergo etiam Hesychius scripsit *Ἰσχιάζειν,* et hoc verbum, cui adhuc scriptoris alicuius auctoritas defuit, in ordinem redigendum est. Theognostus apud Bekkerum Anecd. Gr. p. 1384. *Ἰσχιάζειν, ἀναβάλλειν τὸ ἰσχίον.*

6) *ἂν οὕτως τύχοι.* Rara constructio, quam ferendam esse negat Hermannus ad Viger. p. 301. ed. III.

τῶν ἁπάντων, ἐς τὸ προῦχον ἀναβᾶσα τῆς κλίνης ἀμφὶ τὰ πρὸς τῶν ποδῶν ἀνασυράσασά τε τὰ ἱμάτια 7) οὐδενὶ κόσμῳ, οὐκ ἀπηξίωσε τὴν ἀκολασίαν ἐπιδείκνυσθαι. Ἤδε κὰκ τριῶν τρυπημάτων ἐργαζομένη ἐνεκάλει τῇ φύσει δυσφορουμένη, ὅτι δὴ μὴ τοὺς τίττους αὐτῇ εὐρύτερον, ἢ νῦν εἰσι, τρυπῴη, ὅπως δυνατὴ εἴη καὶ ἐκείνῃ ἐργάζεσθαι. καὶ συχνὰ μὲν ἐκύει, πάντα δὲ σχεδὸν τεχνάζουσα ἐξαμβλύσκειν εὐθὺς ἴσχυε. Πολλάκις δὲ καὶ ἐν τῷ θεάτρῳ ὑπὸ θεατῇ παντὶ τῷ δήμῳ ἀπεδύσατό τε καὶ γυμνὴ διὰ μέσον ἐγένετο, ἀμφὶ τὰ αἰδοῖα καὶ τοὺς βουβῶνας διάζωμα ἔχουσα μόνον, οὐχ ὅτι μέν τοι ᾐσχύνετο καὶ ταῦτα τῷ δήμῳ δεικνύναι, ἀλλ' ὅτι ἐνταῦθα παντάπασιν περιέναι 8) οὐδενὶ ἔξεστιν ὅτι μὴ ἀμφὶ τοὺς βουβῶνας διάζωμα ἔχοντι. Οὕτω μέν τοι τοῦ σχήματος ἔχουσα, ἀναπεπτωκυῖά τε ἐν τῷ ἐδάφει ὑπτία ἔκειτο· θῆτες δέ τινες, οἷς δὲ τὸ ἔργον τόδε ἐνέκειτο, κριθὰς αὐτῇ ὕπερθεν τῶν αἰδοίων ἔῤῥιπτον, ἃς δὴ οἱ χῆνες, οἱ ἐς τοῦτο παρεσκευασμένοι ἐτύγχανον, τοῖς στόμασιν ἐνθένδε κατὰ μίαν 9) ἀνελόμενοι εἴσθεον.

7) Agnosco in his Theodoram, *Mollia nudatae tollentem tegmina surae,* ut scribit Catullus de Ariadna. Nec tamen oratio Procopii inde ab *ἀμφὶ* bene procedit. Moneta vertit: ima tunica nullo pudore circumsubducta, libidinem suam prodere non dubitavit.

8) Fort. *παριέναι.*

9) *κατὰ μίαν.* Notavit formulam Vigerus c. IX. Sect. 4. Reg. 3. Caeterum hic ille locus est, qui obversabatur Verburgio, homini ridiculo, eumque etiam descripsit Gibbonus, addens: I have heard that a learned prelate, now deceased, was fond of quoting this passage in conversation. Pro *εἴσθεον* scrib. *ἤσθιον.*

Ἦδε οὐχ ὅτι ἐρυθριῶσα ἐξανίστατο ἀλλὰ καὶ φιλοτιμουμένη ἐπὶ ταύτῃ δὴ τῇ πράξει ἐῴκει· ἦν γὰρ οὐκ ἀναίσχυντος μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀναισχυντοποιὸς [10]) πάντων μάλιστα. Πολλάκις δὲ καὶ ἀποδυσαμένη σὺν τοῖς μίμοις ἐν τῷ μέσῳ ἑστήκει, λορδουμένη τε καὶ τὰ ὀπίσω ἀποκοντῶσα [11]) τοῖς τε διάπειραν αὐτῆς ἔχουσι καὶ τοῖς

10) Etiam haec vox desideratur in Lexicis.

11) Hic locus laudatur a Suida in v. *Λορδουμένη*. φησὶ Προκόπιος περὶ Θεοδώρας τῆς Ἰουστινιανοῦ γαμετῆς· Ἀποδυσαμένη ξὺν τοῖς μίμοις ἐν μέσῳ ἑστήκει, λορδουμένη τε καὶ τὰ ὀπίσω ἀποκοντῶσα. ἤγουν κεκαμμένη. Ubi Kusterus sic: Locus hic hodie apud Procopium non exstat, quoniam pertinet ad lacunam capitis IX. *Histor. Arcanae*, ut Maltretus recte observavit. Eo enim capite Procopius narrat, Theodoram in scena pudicitiam suam prostituisse et Mimis in Theatro operam suam mercede locasse: cui argumento fragmentum hoc apprime convenit. — Hactenus recte. Quod vero addit: „Scribendum puto, *ἀποκοντωθεῖσα*, i. e. si proprie interpreteris, *conto traiecta* vel *transfixa*. Metaphorice autem dicitur de coitu venereo: quoniam *κόντος* interdum pro membro virili accipitur, uti *δόρυ, ἔγχος* et similia:" in hac quidem re habet consentientem Monetam, qui vertit, *et pone quasi conto traiecta*, sed uterque, quod de Kustero scribit Toupius, ridicule hallucinatur. *Ἀποκοντοῦν* enim est, monente illo, *proiicere*. Quod vero ipse addit Toupius: Porro hic locus, qui in Procopio hodie non comparet et lacunam facit, ita est scribendus et interserendus Arcan. Hist. p. 42. ed. Aleman. *Καὶ τοιαύτη τις ἦν, οἷα ῥαπιζομένη μέν τε καὶ κατὰ κόρρης πατασσομένη χαριεντίζειν τε καὶ*

οὔπω πεπλησιακόσι τὰ ἐκ τῆς παλαίστρας τῆς αὐτῇ εἰωθυίας βρενθυομένη. Οὕτω δὲ ἀκολάστως ἐς τὸ σῶμα τὸ αὐτῆς ὕβριζεν, ὥστε τὴν αἰδῶ οὐκ ἐν τῇ τῆς φύσεως χώρᾳ, κατὰ ταὐτὰ ταῖς ἄλλαις γύναιξιν, ἀλλ' ἐν τῷ προσώπῳ ἔχειν ἐδόκει. Οἱ μὲν οὖν αὐτῇ πλησιάζοντες ἔνδηλοι ἀπ' αὐτοῦ ἦσαν, ὅτι δὴ οὐ κατὰ νόμον τῆς φύσεως τὰς μίξεις ποιοῦντες.

μέγιστα ἀνακαγχάζειν· καὶ ἀποδυσαμένη ξὺν τοῖς μίμοις ἐν μέσῳ ἑστήκει, λορδουμένη τε καὶ τὰ ὀπίσω ἀποκοντῶσα· (ἀποκοντοῦσα) *Quin et vestes cum mimis exuta in medio stabat, lumbis fluctuantibus, et rem suam rursum prorsum succutiebat:* hoc igitur contextus restituendi periculum quam longe a vero abludat, fragmentum Procopii ipsum satis superque demonstrat. Hoc etiam, ut nunc video, in transcursu notavit Heinrichius Commentat. I. in Iuvenalis Satiras p. 36. nec ille immemor fuit Gibboni.

P. 44. Aristophanes Plut. 1083.

οὐκ ἂν διαλεχθείην διεσπεκλωμένῃ.

Ad quem locum Scholiastes scribit: σπεκλοῦν γὰρ τὸ συνουσιάζειν, παρὰ τὸ πλέκεσθαι· σπέκλωμα γὰρ ὁ ἦχος τῆς συνουσίας. Hemsterhusius: minime dubitandum, quin dederit σπλεκοῦν γὰρ et σπλέκωμα, quod quum explicat τὸν ἦχον τῆς συνουσίας, adludere mihi simul videtur ad ληκεῖν, λακεῖν, ληκᾶσθαι, quorum eadem in re fuit usus apud Comicos. Haec propter M. Argentarium adieci, qui potuit etiam scribere κλίνης λάκος.

M. TULLII CICERONIS
ORATIONIS PRO M. TULLIO
QUAE EXSTANT
CUM COMMENTARIIS ET EXCURSIBUS
PH. EDUARDI HUSCHKE.

Cum primum Tullianae thesauri eloquentiae, tenebris tot per secula occulti, ut deperditi ab omnibus iudicarentur, nostris temporibus Angeli Maii ac deinde Amedei Peyroni studio in lucem protraherentur et typorum ope divulgarentur, id mihi, quod plerisque, ut opinor, solidae iurisprudentiae cultoribus, accidit, ut eos quasi advenas quosdam, ex remotissima mihique carissima terra post difficillimum navigium et naufragio facto ad nostras oras advectos, laetabundus salutarem hospitaliterque exciperem. Fore enim existimabam, ut, qui ceteris hominibus, ad antiquitatem istam, tanquam ad πατρίδα γαῖαν respicientibus eique quicquid in iis inest disciplinae animique artibus subacti, acceptum ferentibus, suavissimos attulerant nuntios, ii etiam laeti nonnihil haberent, quo severae Themidis filios exhilararent, praesertim cum ex ipso foro Romano et a iudicum subselliis huc advenissent. Neque haec fefellit me mea opinio. Perlustrans enim ista orationum pro Scauro, pro Tullio ceterarumque fragmenta, non pauca inveniebam, quibus iuris Romani cognitio augeretur multique nostrae scientiae loci, adhuc obscuri difficilesque illustrarentur atque expedirentur: quod prae ceteris tamen ad illam, quae pro M. Tullio dicta est, orationem spectat, gravem illam quidem exposita iudicii parum cogniti origine consilioque demonstrato, abundantem comparationum cum aliis actionibus copia, insignem

differentiarum et similitudinum expositione, omninoque in medio quasi iure civili ita versantem, ut multa nos doceat nova et ad hunc diem fere inaudita. Accedente vero deinde accuratiore huius orationis lectione et singulorum diligenti consideratione mox animadvertebam, quaedam hic esse ita comparata, ut criticam adhuc desiderarent scobinam, alia, de quibus a peritissimis varie iudicari posset, alia, quae certe non ab omnibus facile intelligerentur, alia denique, quae opportunitatem saltem darent utiles notas adspergendi et res eiusdem generis minus notas exponendi. Haec ego cum mecum reputarem, iamque incepissem et de tota actionis, quam Tullius instituisset, natura et de singulis huius orationis locis quaedam notare, ecce supervenit mihi studenti magis hisce rebus quam operanti patruus meus longe carissimus petens a me comiter postulansque, ut commentationem aliquam conficerem, philologis pariter ac iurisconsultis proponendam et in collectione, quam pararet, opusculorum antiquas litteras illustrantium, recipiendam: cumque ei dicerem, quae de orationis pro Tullio laciniis aliquando edendis iam obscure cogitassem, facile mihi persuasit, ut cogitationem mutarem in consilium, et ad commentariolum meum perficiendum serio me accingerem. Obtemperavi igitur eius auctoritati, et quicquid otii hoc anno partim a forensibus negotiis partim a gravioribus iurisprudentiae studiis obtinere licuit, huic occupationi impendi. Cum vero opusculum meum ad finem iam fere perductum esset, nuntius affertur editionis Tullianorum fragmentorum a viro eruditissimo Carolo Beiero, professore Lipsiensi, iam perfectae ac divulgatae et cum nuntio paene simul ipsa editio. Quae quidem editio, cum primum eam inspicerem, paene effecit,

ut totum meum laborem inanem operamque perditam iudicarem; tantam enim videbam in ea quasi effusam doctrinam, tantum adhibitum acumen, praetereaque eorum pleraque, quae ego commentatus eram, iam occupata vel etiam melius exposita, ut si meum quoque commentarium prelo committerem, actum agere resque omnibus iam notas proferre mihi viderer. Interim tamen singula rimari, mea cum iis, quae ab illo dicta erant, comparare et quid ille rectius me, quid ego rectius illo, quid ambo pari modo explicuissemus scrutari, denique quid ex meis, rationibus sic subductis, relinqueretur, conquirere non gravatus sum, itaque apparuit, etiamsi pleraque a viro cum ingenii acumine omnino praestantissimo, tum in hisce litteris me sine dubio exercitatiore ita iam essent exposita, ut alium interpretem non admitterent, nedum desiderarent, particulam tamen restitisse aut ab illo non animadversorum aut a me rectius fortasse explicitorum, quam si publici iuris facerem, gratiam aliquam apud harum rerum studiosos inire possem. Potissimum autem in his rebus, quae ad ius civile spectant, tam multa male intellexit aut perperam protulit superior editor, ut haec pars omnino denuo retractanda videretur; quod non eo dico, ut laudibus huius incomparabilis viri detraham, hoc enim a moribus meis alienum, sed ut, qui factum sit, ut curae meae maximam partem in iure civili explicando versarentur, lectori aperiam: ceteroquin arbitror semperque arbitratus sum, eum, qui monumentum aliquod ex antiquitate superstes interpretandum in se receperit, omnium rerum, quaecunque lectorem remorari possint, religiosum interpretem agere oportere, et minus, quam promiserint, praestare eos, qui studium suum fortasse in verbis tantum, aut in rebus tantum ponant, altera

provincia aut detrectata, aut negligentius, quam par est, administrata.

Ex his igitur praemonitis iam intelliget lector, quid hic exspectare et debeat et possit: non messem scilicet maximam quidem partem, sed spicilegium tantum, idque ita institutum, ut quaecunque a superioribus editoribus recte dicta esse viderentur, tacite comprobans praetermitterem; ubi vero ab iis dissentirem, rem paucis demonstrarem meamque sententiam argumentis confirmarem. Spectaverunt autem curae meae haec tria maxime, primum ut textum orationis quam emendatissimum apteque distinctum exhiberem, deinde ut omnes nodos, quibus etiam doctiores hanc orationem legentes offendi possent, subiecta interpretatione solverem, aliis simul, si occasio ita ferret, animadversione haud indignis superadditis, postremo ut eas difficultates, quae nisi altius re repetita removeri non possent, propriis quibusdam excursibus ad calcem totius opusculi ablegatis expedirem. Novissimo quidem generi etiam ille locus, qui ad personas, tempus totamque caussam huius orationis pertinet, proprie est accensendus. Sed cum nemo his non praecognitis ad ipsam orationem cum fructu legendam accedere possit, hunc tractatum a ceteris segregavi et huic ipsi praeviae disputationi, qua ad orationis a nobis editae lectionem introitum quodammodo aperimus, ut partem adiunxi.

De textu ante omnia necessarium duco, ut eius foliorum utriusque codicis dispositionis, quae a Peyrono primum inventa, deinde aliis probata et a nobis retenta est, rationes reddam, praesertim cum Peyronus nihil fere de hac re dixerit, sed tantum ad Niebuhri viri praeclari iudicium provocaverit; Beierus vero rursus Peyroni de hac re sententiae simpliciter subscripserit. Quorum virorum aucto-

ritas tametsi valet cum apud omnes permultum tum apud me plurimum, tamen tanti non est aestimanda, ut rationis vice fungatur, probationemque argumentis efficiendam supervacuam reddat; semper enim, et merito, plus argumentis quam testibus creditur. Servata igitur nobis sunt ex codicibus Ambrosiano et Taurinensi haecce folia, quae in tabula subiecta cum versibus suis initialibus et finalibus designavi et ordinavi ita, ut et in Peyroni Beierique editionibus ordinata conspiciuntur, et ut ego ea ordinari oportere censeo.

Codicis Taurinensis incipit:	*Codicis Taurinensis* explicit:	*Codicis Ambrosiani* incipit:	*Codicis Ambrosiani* explicit:
Fol. I. Anteasichancc ausa	Fol. I. anteaconsului pri (Sex versus desiderantur)		
		Fol. I. oreputavitaad	Fol. I. facerecumq.
Fol. II. pecuniaeparet doloma	Fol. II. armatosdatum esset	Fol. II. eaconsuetudo	Fol. II. nam.p.fabius nu
		Fol. III. peremitagrum	Fol. III. sedetorareex (Desiderantur versus undecim)
		Fol. IV. mineciusmodi	Fol. IV. amiciincomm
Fol. III. turbaruntau dite	Fol. III. temdolomalo einser		
Fol. IV. goadditodolo maloacto	Fol. IV. consiliosine noctesine		
Fol. V. uisinedamno altero	Fol. V. sednonidsolu magitur		

Fol. VI.	Fol. VI.
egointellegoet	iudiciumdedit
tamen**	decete
Fol. VII.	Fol. VII.
risdamuisable	nimiamq.homi
gaea	num
Fol. VIII.	Fol. VIII.
bonidebentdi	telummanufu
cereatq.	gitma
Fol. IX.	Fol. IX.
tamenverumfa	umperiçulopot
ctum	estuteu

Iam primo folio Taurinensi eum, quem ei assignavimus, locum deberi, inde apparet, quod hoc folium aperte totius orationis initium continet. Huic deinde subiungere primum folium Ambrosianum, quanquam orationis tenore non ita unum alterum excipit, ut nulla intercapedo remaneat, tamen ideo non dubitavimus, quod quae ibi dicuntur et ipsa ad orationis exordium pertinent, iisque simillima sunt, immo ea paene continuant, quae in primo Taurinensi leguntur. In Taurinensis enim folii fine orator mutatae defendendi rationis excusationem inceperat, quam in primo Ambrosiano persequitur et ad finem perducit. Quodsi quaeras, quantum inter utrumque folium interciderit, sic hanc rem computandam esse reor, ut primum in codice Ambrosiano unum tantum folium periisse putandum sit; plus enim periisse putare, non sinit insignis eorum, quae in utroque folio leguntur, similitudo et affinitas. Iam cum folia Ambrosiana litteras circiter millenas et septingenas contineant, Taurinensia non facile supra millenas quingenas et quinquagenas, efficitur, ut fere centum et quinquaginta litterae inter utrumque folium interierint, quibus additis litteris versuum sex, qui in ipso folio primo Taurinensi desectione perierunt, fit numerus omnium litterarum inter haec folia adhuc

desideratarum non multum infra trecentas, quae rursus efficiunt versus codicis Taurinensis ferme tredecim. Ex qua quidem computatione utcunque incerta tantum certe intelligitur, plus hic interiisse, quam Peyroni Beierique quamvis ingeniosae restitutiones, vel ut hic sapienter dicit, hariolationes complent.

Iam cum primum folium Mediolanense hoc loco posuerimus, secundum et tertium, quae illud et se invicem non interrupto sermonis contextu excipiunt, ultro sequuntur. Quae vero hinc haurimus, eorum pars etiam in altero folio Taurinensi exstat, ut huius particulae duplicem codicem manu exaratum laudare possimus. Sic continuatur oratio usque ad verba §. 18. *Acerronius quomodo potuit se de tota re ex....*, nullius folii defectu interpellata, sed tamen sex lacunis aliquorum versuum foedata, quas generavit, quisquis ille folii tertii Ambrosiani posteriorem partem cultro desecuit.

Post tertium deinceps folium Ambrosiani codicis, sive potius post extremam huius folii lacunam suum sibi locum vindicat quartum eiusdem codicis folium, idque ita, ut nullum inter utrumque folium interiisse putandum sit; narratio enim facti in eo ita continuatur, ut quae perierunt, non majus quam sex illorum versuum desectorum spatium desiderare videantur. Hoc vero folio narratio paene ad finem perducta est, ut necesse sit, oratorem mox ad caussae confirmationem transitum fecisse, omniaque quae praeterea nobis servata sunt, si modo praecedentia recte disposuimus, ad hanc orationis partem pertinere. Et ita res se habet. Primum vero locum hic cum Peyrono, sed dissentiente Beiero, tenere iussimus frustulum aliquod huius orationis a Mario Victorino et Martiano Capella, quanquam ab utroque diverso modo servatum,

de quo tamen illo ipso loco, quo id inseruimus, de industria dicere commodius erit. Post hanc dein ex naufragio tabellam collocavimus folia codicis Taurinensis tertium, quartum et quintum, quae cum inter se ipsa orationis continuitate cohaereant, ipsa a se divelli non patiuntur et pro uno folio computari possunt: hic autem collocavimus idcirco, partim quod et ipsa caussam et controversiam constituunt, quo etiam fragmentum ex Victorino desumptum spectat, deinde quod istam de dolo malo disceptationem continent, quae, cum in hac caussa familiam duceret, merito etiam primum locum in confirmatione sibi vindicabat. Iam vero iis praesidiis, quae in ipsius formulae verbis adversarii quaesiverant, expugnatis et dirutis, orator ipsa quodammodo via artisque regulis ducentibus ad ea latibula pergebat, quibus in formula locum impetrare adversarii studuerant, sed non impetraverant, unde nunc ad recuperatores rem ita defendebant, quasi nihil referret, formulae ista inserta essent necne. Haec est de iniuria controversia, quo cetera omnia folia spectant. Si vero quaeramus, quo ordine folium sextum et septimum, quae duo rursus cum se excipiant, pro uno computamus, octavum et nonum ordinanda sint, primum dubitare non licet, quin sextum et septimum altera duo praecesserit: Quintii enim de iniuria obiectionem, de qua, ut dixi, in omnibus quatuor foliis agitur, primum in arenam producunt et generaliter exagitant; de ceteris duobus autem ei, quod paenultimum esse iussimus, propterea hic locus deberi videbatur, quod in hoc folio item de iure civili hominum caedes interdum permittente disseritur, in posteriore contra ad eam quaestionem, quam in hac disputatione postremam esse oportebat, scilicet an verum esset, quod asseveraverat Quintius, caussam

fuisse, cur Fabius M. Tullii servos trucidaret, orator deflectit. Ceterum tam inter haec duo folia, quam inter septimum et octavum et ante sextum non pauca desunt, quae qui ad certum modum redigere vellet, is certissime inanem operam insumeret. Tantum inter octavum et nonum folium paucos versus instaurare licuit fragmento, quod ex hac oratione Rufinianus rhetor in apophasi nobis servavit, cui quin hic locus competat, non dubitabit, quicunque argumentum ipsius cum novissima parte praecedentis folii contulerit.

Sic igitur singulis foliis percensitis nemini, spero, unquam in mentem veniet dubitare de eo ordine, quo viri harum rerum peritissimi utriusque codicis folia disponenda esse censuerunt.

Quid in singulis locis sanandis effecerim, ipsa lectio quemque docebit; ubi intelligetur, me et quam rarissime nec unquam sine lectoris admonitione a Beieri lectionibus discessisse. Cum tamen hoc consilium secutus sim, ut id tantum in textum reciperem, quod certissime a Cicerone profectum esse videretur, complurium versuum restitutiones, quarum pericula et Peyronus et Beierus fecerunt, in ipsa oratione omisi; easdem tamen, ne lector ingeniosorum commentis hominum fraudaretur, et quemadmodum sententia intercepta probabiliter excurrisset, animo concipere aliquatenus posset, in notis retuli: interdum etiam meos lusus addidi. In orthographia constituenda hac usus sum ratione, ut codicum scripturam, quamvis a nostra consuetudine alienam, toties tamen retinerem, quoties vel orthographorum veterum praeceptis vel alicuius aetatis usu defendi posset, quam rationem Beierus quoque secutus esse mihi videtur. Eiusdem viri exemplo quaecunque contra codicis fidem in textu proferenda erant, litteris, quas Angli Italicas nos

cursivas vocamus, exprimenda curavi. Tantum de textu.

Quod ad operam nostram illustrandae orationi navatam attinet, de adnotationibus et excursibus nostris nihil praeterea dicere habeo, quam ut ea, quae hic proposui, iis viris, quorum proprium de his rebus iudicium est, probentur optem. Omnia dicere nec volui nec potui; interdum etiam aliorum notas inserui, saepius tamen opiniones a nostris diversas, tantum retuli et, ut integras cognosceret, lectorem ad ipsas superiores editiones remisi. Igitur superest, ut disputationem de personis, tempore et argumento huius orationis, quam hoc loco attexere supra pollicitus sum, iam incipiam.

De personis iam omnia fere video occupata ab anterioribus editoribus. Actor in hac caussa petitorque fuit M. Tullius; patronus ipsius M. Tullius Cicero, facundissimus Romanorum; is, unde petebatur, P. Fabius, pro quo caussam oravit L. Quintius. De M. illo Tullio, qui a Capella in editione rhetorum latinorum Capperonneriana p. 434. perperam effertur *M. Rullus*, observante A. Maio in monito ad Orationem pro Tullio edit. Mediol. 1817. p. 36., et in inscriptione primi folii Taurinensis non minus vitiose *Tullus,* hoc solum scimus, nulla eum sanguinis proximitate cum Cicerone fuisse coniunctum; is enim eum vocat duntaxat (§. 4. huius orationis) hominem coniunctum secum non minus animo quam nomine, alioqui non praetermisurus illo loco, si etiam cognationis vinculum accessisset. Ex ceteris illius temporis Tulliis plerique de M. Tullio Decula, cos. a. u. 673. cogitaverunt, quos validis rationibus redarguit Heinrichius, vir doctissimus, editae huius orationis ab ipso et Cramero p. 58. Ipse Heinrichius laudat M. Tullium cognomine Albinovanum, eum, qui P. Sextium defensum

tunc a Cicerone, a. u. 697. postulavit de vi (vide Cic. in Vatin. c. 1.) quemque ipse Cicero ad Q. fratrem 2, 3. appellat quendam M. Tullium. Sed ut taceamus temporis rationem huic opinioni prorsus contrariam, quis credat, Ciceronem nostrum, quamvis variabilem hominem, studia sua brevi tempore adeo commutasse, ut eum ab adversarii iniuriis defenderet, cuius ipsius tela in amicum coniecta modo depulerat? Idem vir pereruditus oratoris libertos, M. Tullios, Tironem et Lauream, quorum posterior etiam intelligendus est ad Attic. ep. 8, 11. B., hinc alienos esse recte iudicavit. Equidem istum Tullium, Ciceronis debitorem, quem ex epistolis ad Attic. 15, 26 et 29. novimus, quemque, uti videtur, a se laesum Cicero nolebat, cum nostro eundem esse coniicerem, nisi in re tam incerta fateri se nescire quam futilem coniecturam pro veritate venditare, doctioris esse meminissem.

Quodsi pauca habuimus, quae de M. Tullio proferremus, de adversario ipsius, P. Fabio, non multum abest, quin nihil habeamus. Silent enim de P. Fabio omnes libri Ciceronis, silet, quanta mea est scientia, cuncta antiquitas; neque ab editoribus quicquam de eo dictum legi. Fuerit igitur iste obscurus quidam de plebe homo, quod iam ex praenomine ipsius intelligi potest; e nobilioribus enim Fabiorum familiis nullum facile commemores, qui Publii praenomine usus fuerit.

Contra L. Quintium, Fabii patronum, aliunde satis novimus. Est enim idem ille tribunus pl. seditiosissimus, qui in ipso hoc magistratu a. u. 680. Oppianicum in caussa Cluentiana potentissime adiuvit (vid. Cic. pro Cluent. c. 27—29.) unde plurima in eum dicta invenimus in ea oratione, quam oravit Cicero pro A. Cluentio octo post annis (a. u. c. 688.), quae omnia fere ad perversos hominis mo-

res tribuniciumque furorem tendunt. Audi ipsum Ciceronem sic de eo iudicantem, c. 28. *L. Quintius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere consuesset* — c. 29. *L. Quintius, homo cum summa potestate praeditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus* — c. 39. *Iam insolentiam noratis hominis: noratis animos eius ac spiritus tribunicios. Quod erat odium? dii immortales! quae superbia? quanta ignoratio sui? quam gravis atque intolerabilis arrogantia? Qui illud etiam ipsum acerbe tulerit (ex quo illa nata sunt omnia) non sibi ac defensioni suae condonatum esse Oppianicum: proinde quasi non satis signi esse debuerit, ab omnibus eum fuisse desertum, qui se ad patronum illum contulisset. Erat enim Romae summa copia patronorum, hominum eloquentissimorum atque amplissimorum, quorum certe aliquis defendisset equitem Romanum in municipio suo nobilem, si honeste putasset eiusmodi causam posse defendi.* Unde intelligimus, nisi malas ac paene desperatas caussas ad L. Quintium patronum pervenire solitas non esse, de quo ut dubitemus, si verum fateri volumus, nec haecce facit oratio. Sequenti deinde capite 40 toto hominem et loco ignobilem nec ullo virtutis merito excellentem, sed mollitie diffluentem et arrogantia tumentem ita omnibus orationis coloribus depingit, ut et humillimi et perditissimi hominis imago, a quo defendi magis summi discriminis quam honesti officii fuerit, nobis ante oculos ponatur. Quod ad oratoriam Quintii facultatem pertinet, habemus rursus Ciceronis iudicium in Bruto c. 62. *Complures*, inquit, *minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus, quo in genere nuper L. Quintius fuit.*

Postremo si de actionibus ipsius publicis plura discere cupis, adi Pighii Annal. ad a. u. 679. Tom. III. p. 305. et Fabricium Hist. Ciceronis a. u. 679.

De anno, quo haec oratio habita sit, superiores editores non modo certi quicquam affirmare, sed ne coniecturam quidem capere ausi erant. Beierus vero (edit. ipsius p. 4. not. 5.) hic quoque verum sine dubio iam vidit. Cum tamen veritas plurium in eandem opinionem consensu firmari soleat, maxime si quisque suo Marte ceterisque inscientibus inquisitum iverit, actum agere mihi non videor, si quae de hac re commentatus eram, etiamnum in publicum emitto. Igitur non ante consulatum Deculae et Dolabellae hanc orationem dictam esse, certo argumento est, quod his coss. Ciceronem Quinctium defendendo primum ad caussas forenses accessisse ex Gellio N. A. 15, 28. discimus. Sed et aliquot post Junium Lepidum et Aemilium Livianum coss. (a. u. 677.) annis hanc caussam oratam esse, sic mihi videor efficere. Iudicium vi bonorum raptorum, quo M. Tullius in hac caussa expertus est, ipsa testante hac oratione, primum composuit M. Lucullus praetor. Hic vero M. Lucullus, qui pleno nomine M. Terentius Licinianus Varro Lucullus dictus est, aedilitatem gessit cum fratre suo, magno illo Lucullo, anno 675, uti constat ex Plinio N. H. 8, 7. (Vid. Pighii Annal. Tom. III. p. 277.) et consulatum, testibus fastis, cum C. Cassio a. u. 681. (Vid. Pigh. l. c. Tom. III. p. 306.). Cum igitur inter aedilitatem et praeturam secundum leges annales ad minimum biennium (Cic. ad famil. 10, 25.) inter praeturam et consulatum triennium interiectum esse oporteret, consequens est, ut M. Lucullus a. u. aut 677, aut 678. praeturam administraverit: magis autem putaverim anno 677, et quidem iurisdictionem inter cives et peregrinos sortitum, quia

sic cum fratre, cui et ipsi illo anno praeturam obtigisse constat (Vid. Pigh. l. c. Tom. III, p. 286.) excepto consulatu in honoribus capessendis pari passu ambulasse deprehenditur. Quod vero iurisdictionem inter cives et peregrinos ei assignaverim, illa ratio est, quod anno suprascripto Cn. Aufidium Orestem urbanam praeturam obtinuisse ex Valerio Maximo VII, 7, §. 6. cognoscitur (Vid. Pigh. l. c.). Hinc igitur, dico, apparet, hanc orationem aliquot annis post consules supra commemoratos dictam esse, quod et eo confirmatur, quod Cicero idcirco M. Lucullum hoc iudicium proposuisse ait, quia bellis domesticis homines armis minus religiose uti adsuevissent. Bellum enim civile, quod proprie domesticum dicitur, tunc ante quatuor ferme annos sopitum erat, servile autem bellum, quod et ipsum domesticis bellis adnumerari debet, adhuc durabat.

Iam si adeo certum aliquem annum extricare volumus, unicum praesidium nobis suppeditat praetoris eius anni, quo haec caussa acta est, Metelli dico, mentio §. 39. huius orationis facta. Quanquam complurium Metellorum per illos annos praetorum memoria exstat, velut Q. Metelli Celeris, praetoris eo anno, quo Cicero consul fuit, de quo vide Pigh. l. c. p. 321 et 322, Q. Metelli Nepotis, praetoris a. u. 694, de quo videndus Fabricius in vita Ciceronis ad annum 693, M. Caecilii Metelli, amici Verris, praetoris a. u. 685, in quem invehitur Cicero in Verr. Act. I. c. 9 et 10. (vid. Peyron. ad §. 39. huius orationis) nullus tamen horum omnium is esse potest, quem quaerimus. Non primus neque secundus propterea, quod tempore sunt remotiores et in eos annos incidunt, quibus Cicero in summum dignitatis gradum evectus plus auctoritatis suo sibi more adsumpturus erat, quam hac oratione sibi adsumentem videmus. Praeterea etiam edicti

de vi hominibus armatis compositionem ita commemorat, ut vix plus quam sex vel septem anni post Luculli praeturam praeterlapsi esse potuerint. Tertius vero ille M. Metellus, tametsi ceteros tempore nonnihil antecedit, tamen eam ob caussam huc vocari non potest, quoniam ei praetori repetundarum quaestio obvenit, is contra, qui hoc iudicium dedit, ius inter privatos dixerit oportet. Quid ergo est? Memorantur nobis ex ista tempestate etiam alii Metelli non praetores quidem, sed consules, quos tribus quatuorve annis ante praetura functos fuisse necesse est. Hi sunt Q. Caecilius Metellus Creticus cos. cum Q. Hortensio a. u. 685. et L. Caecilius Metellus cum Q. Marcio cos. sequenti anno, de quibus fasti inspiciendi sunt. Nunc si utrumque consularem dignitatem mature post praeturam adeptum esse statuimus, tenuerunt praeturam alter a. u. 682. alter a. u. 683. De Numidico nihil definio. Sed quod ad fratrem ipsius Lucium attinet, hunc praeturam gessisse anno 683, testimonio probatur Asconii Pediani, qui cum referat, L. Metellum a. u. 684. praetorem i. e. propraetore Siciliam rexisse, apparet, praeturam ipsius in annum praecedentem reiiciendam esse. Huic igitur anno, urbis conditae 683, Ciceronis, tunc inter quaesturam et aedilitatem agentis, 36, iure hanc orationem asserere mihi videor. Numidici enim incertum esse praeturae annum iam monui; ceterum alios hoc tempore Metellos honoribus functos non esse, spondet nobis idem Asconius in Verr. Act. I, c. 9. tres tantum Metellos honoribus claros illo tempore fuisse affirmans. Eiusdem vero Metelli praeturae etiam Beierus etsi minus operose pariter tamen vere hanc caussam et orationem assignavit, in eo tantum deceptus, quod illam praeturam in a. u. 682. incidisse existimavit. Sed

ne hoc quidem idem recte, quod iudicium recuperatorium a praetore urbano dari non potuisse, perperam opinatus (de quo alias), ex recuperatoribus huic actioni addictis Metellum praetorem peregrinum fuisse collegit. Immo certissime urbanam praeturam gessit. Quo enim modo duobus civibus Romanis, quales Tullium et Fabium fuisse iam nomina eorum produnt, praetor peregrinus ius dicere potuit? Ceterum quantopere annus a nobis inventus undequaque quadret atque conveniat, ita quilibet sentit, opinor, ac cernit, ut pluribus id demonstrare necesse non sit. Unum tantum paullo reconditius argumentum addam. Cicero in oratione pro Cluentio c. 40. de Quintio eo, quem in hac caussa adversarium habuit, *Nam Quintius quidem*, ait, *quam causam unquam antea dixerat, cum annos ad quinquaginta natus esset?* Quae verba cum pertineant ad a. u. c. 680, quo anno Quintium tum tribunum pl. pro Oppianico dixisse, iam supra retulimus, apparet, quam pulcre etiam huic loco supputatio nostra conveniat; simul autem discimus, Quintium, cum hanc caussam defenderet, quinquagenario paullo fuisse maiorem.

Novissimo loco ipsam caussam, quae huic orationi materiam praebuit,* strictim conplectamur. Modo et hic praemonuerimus, si perfectam aliquam imaginem rei gestae lector a nobis depingendam desideret, coniecturis nobis interdici non debere. Lacunae enim nonnullae spatio quidem modicae, sed loco, quo incidunt, incommodissimae, eam ipsam orationis partem, qua narratio continetur, ita laceraverunt, ut nunc ea quoque, quae remanserunt, obscura facta sint, idoneumque sensum, nisi restitutis, ad sententiam saltem, iis, quae interciderunt, praebeant nullum. Mihi itaque res sic se videtur habuisse. M. Tullius habebat in agro

Thurino fundum a patre sibi relictum, cui erat adfinis alia possessione C. Claudius senator. Et quamdiu hic quidem vicinum fundum possidebat, nulla de finibus agrorum controversia emergebat. Postea vero fundum suum vendidit P. Fabio, sordido homini, qui pecuniam in Asia et Macedonia nescio quomodo quaesitam in fundo tuto ponere properabat. Emit autem homo non minus stultus quam avarus tam insanis pretiis, ut pecuniam potius abiecisse quam posuisse dici posset. Quod ut ipse sensit, circumspicere coepit, quemadmodum damnum suum repararet. Et primum quidem totius negotii eum poenitebat; fundum ergo iterum proscripsit; emptum autem eum habebat cum Acerronio quodam, honesto, ut videtur, viro. Cum igitur nemo ad emptionem accederet, huic socio suo, ut, eodem sine dubio aut maiori quam quo ipse emerat pretio, fundum redimeret persuasit. Persuasit autem eo facilius improbus homo, quod in tabella proscriptionis alliciendorum emptorum caussa maiorem fundi modum, quam revera ipsius erat, ut venalem designaverat, inclusa scilicet centuria quadam Popilliana vel populiana, quae portio erat fundi Tulliani, sed ita sita, ut inscio ad suum fundum pertinere videretur. Haec fraus in proscribendo fundo admissa Tullio a procuratore suo mature Romam nuntiatur. Appellat Acerronium, ibidem tunc agentem. (Nam Fabius in villa versabatur). Is a socio se fraudatum ne somnians quidem, tunc sane adroganter, quod commodum fuit, respondit. At fines Fabius auctor Acerronio nondum demonstraverat. Mittit igitur ad procuratorem litteras et ad villicum Tullius, caverent a fraudibus Fabii, et, si fieri posset, curarent, ne nisi se praesentibus Fabius fines demonstraret. Huic domini voluntati obtemperantes petunt a Fabio, ut se, cum fines

ostensurus esset, advocaret. Ille se facturum negavit: illis absentibus fines demonstravit. Neque tamen hanc centuriam populianam vacuam tradidit; nam cum servi M. Tullii tum, cum fines demonstrarentur et traditio perficeretur, eam tenerent, ingredientes facile repulerunt. Et Acerronius quidem, quomodo potuit, se de tota re excusavit; mox enim socii fraudes perspexit; multumque postea sibi gratulatus est, ubi ex negotio cum homine eiusmodi gesto semiustulatus effugit. Fabius vero emptori de auctoritate obligatus et acerbe ferens, quod artes suae sibi tam male cessissent, dolo vim addere Tullioque vindicandi sui gratia insignem calamitatem infligere constituit. Adducit igitur in saltum homines electos maximis viribus, armis instruit, omnique violentiae generi adsuefacit, ceterum odium occulens, opportunitates nocendi captaturus. Interim etiam Tullius in Thurinum venit, sed palam non clam profectus, ut appareat non insidiarum et rixarum caussa, sed ut suum defenderet a vicini iniuriis, a quo qualia exspectari deberent, res nuper gesta ostendebat, in fundum suum se contulisse. (Vide locum Julii Victoris ex rhetorica ipsius, quem infra ad §. 55. dabimus.) Quo comperto Fabius fraudes suas praeventas iam intelligens, occasionem non opperiri sed ipsum sibi facere vique aperta adversus Tullium agere statuit. Cum igitur quodam die servum M. Tullii in populiana centuria animadverteret, quid ei in suo esset negotii, compellat. Servus, si quid vellet disceptare, dominum adiret, respondet. Proficiscitur igitur cum Acerronio (nam is quoque ibi tum erat) ad Tullii villam Fabius; rem exponit, Tullium suum tenere vociferatur, id se vindicaturum iactat, appellat, ut aut ipse Tullium deduceret, aut ab eo deduceretur. Tullius se deducturum dicit: vadimonium Fabio Romam

promissurum. Manet in ea conditione Tullius. Disceditur. Verum enim vero vim istam imaginariam iuris civilis praevenit Fabius solida vi armisque. Proxima enim nocte iam fere lux cum appropinquaret, veniunt in aedificium, quod erat in centuria populiana, servi P. Fabii, introitum sibi vi manuque aperiunt, homines magni pretii M. Tullii adoriuntur, caedem atrocem faciunt, tectum villamque disturbant. Nuntiatur res M. Tullio, qui confestim post patratum facinus, ut testatum fieret, ad amicos mittit, iudiciumque id, in quo Cicero hanc orationem habuit, praeparat. De cuius iudicii vi ac natura cum infra proprio commentariolo exposuerim, non est, quod hic verba faciam. Illud tantum monemus, actionem datam esse a Metello praetore, iudicasse recuperatores, qui cum priore actione amplius pronunciassent, Cicero altera actione verba faciens, sic ut nunc legimus, exorsus est.

ORATIONIS

PRO M. TULLIO

QUAE EXSTANT.

1 *Actionem priorem sic* a*dieram*, *Recipe*ratores, *ut nunquam dic*turos adversarios arbitrarer, tan-

ACTIONEM etc.] Codex T. habet: ANTE SICHANCCAUSAM|A***** S*****RA|TORESUT**********TU|ROS etc. Peyronus edidit: *Antea sic hanc causam adieram*, Reciperatores, *ut numquam dic*turos etc. et notat, primi versus litteras praeter initialem incertas esse omnes, duo sequentes versus ita evanuisse, ut vix vestigia supersint earum litterarum, quas modo repraesentavimus. Beierus legit: Antea sic hanc causam a*gere statu*eram, *Recipe*ratores, *ut nunquam dic*turos etc. Sed is primum initialem versum, qui in codice est oblitteratus et a Peyrono tantum restitutus pro indubio accepit, deinde vero alteri versui, qui litterarum quatuordecim tantum vestigia habet, restituit litteras viginti et duas, unde coniectura ipsius stare non potest. Nostram restitutionem non minus quam Peyronianam codicis vestigiis insistere vides; in qua illud *Antea* ut nimis incertum displicuit. Significare debebat orator, se de priore actione loqui. Admonendi autem sumus, in quavis actione, quotiescunque ampliata esset caussa, semper actorem primo, reum secundo loco dixisse. Altera igitur actione iam ad ea respondere actor poterat, quae reus priore actione protulerat, quod hic fieri videmus. Res est idcirco memoratu digna, quod ex hoc antiquissimo actionum ordine is, quo nos utimur, originem ducit. Actio enim est id, quod nos hodie vocamus *Schriftenwechsel.* Hoc tantum mutatum est postea, ut cum munera praetoris et iudicis in unum coaluissent, neque formulae cum exceptionibus et replicationibus et duplicationibus, ut antea, impetrarentur, ipsis advocatorum orationibus exceptiones,

tam caedem et tam atrocem ad familiam suam pertinere. Itaque animo soluto a cura et a cogitatione veneram, quod intelligebam, facile id me testibus planum facere posse. Nunc vero, posteaquam non modo confessus est vir primarius L. Quin|*ctius*
— — — — — —| borabam, ut, quod arguebam,

replicationes, duplicationes continerentur, unde etiam his nominibus insigniri coeperunt. Deinde etiam eloquentia labente, quasi scriptae quaedam orationes in usum venerunt. Ceterum et antea, ut nunc, plerumque semel caussa ampliabatur, interdum saepius (utriusque exempla dabit Brisson. de form. V, 214.), raro omnino non, (vid. pro Caec. 3.) velut si ex nominibus factis vel ex stipulatu de chirographo condicebatur. Et hoc quidem ius ad nostra remansit tempora, tantum quod, quae antea iudicis arbitrio rectius relinquerentur, postea certis quibusdam agendi generibus consignata sint, unde actionum ordinariarum et summariarum extstitit discrimen. Exemplum condemnationis primam statim actionem secutae est in fragmento orationis Scipionis, quod a Benedictinis descriptum in libro, qui inscribitur *Nouveau traité de diplomatique* Tom. III. tab 59. p. 437. dicitur esse desumptum ex collectione grammaticorum seculi octavi et noni, quae contineatur MS. Regio Paris. 7530. Est autem cum alio fragmento Gracchano coniunctum, ita: *Ut apud Gracchum: Pueritia tua adulescentiae, adulescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicae flagitium. Sic et apud Scipionem: Vi adque mentu' gratis* (Lege: *metu ingratis*) *cum illo sponsionem feci, facta sponsione ad iudicem adduxi, adductum primo coetu damnavi, damnatum ex voluntate dimisi.* Sequuntur paucula verba ipsius grammatici mox abrupta, et nullius momenti: at codex, qui talia dedit, sine dubio est dignissimus, qui quam primum diligentius excutiatur.

ADVERSARIOS] Fabium et patronum ipsius Quintium.

L. QUINCTIUS] De Quintio supra dixi. Vir primarius dicitur cum irrisione. Ceterum inde a litteris *ctius* in codice incipit lacuna sex versuum, quam Peyronus sic replevit: Quin|*ctius verum etiam eius testes profitentur apertissime, video aliam mihi defensionis viam esse ineundam. Antea enim in eo la*|borabam etc. Beierus

id factum esse ostenderem; nunc in eo consumenda est oratio, ut ne adversarii, quod infitiari nullo modo potuerunt, cum maxime cuperent, id cum confessi sunt, meliore loco esse videantur.
2 Itaque tum vestrum difficilius iudicium, mea facilis defensio fore videbatur. Ego enim omnia in

vero reposuit: Quin[*ctius, sed ipse P. Fabius non dubitavit hoc, quod arguitur, confiteri, longe alia ratione ad agendam causam venio, atque initio veneram. Tum enim de eo la*]borabam etc. Idem, quare Peyroni restitutio admitti non possit, egregie ostendit. Sed et quae ipse excogitavit, ieiuniora sunt, quam ut Cicerone digna censeri possint. Quomodo enim cliens, si patronus ipsius confessus est, possit iam non confiteri? sin autem et ipse confessus esset, (at plerumque clientes omnino nulla verba in iudicio faciebant) quis hoc tantopere miraretur? Quae vero sequuntur, sane nimium sunt verbosa et inania. Itaque haec fortasse erunt aptiora: Quin|*ctius, sed et iuvari hac confessione causam suam putavit, video aliam mihi defensionis viam esse ineundam. Antea enim in eo la*|borabam etc. Haud dubie Quintius illam defensionem, quae est in facti negatione, ultro abiiciendo, eo maiorem vim et auctoritatem argumentis suis ex iure petitis comparare annisus erat. Qua re commotos recuperatorum animos ut rursus leniret atque adduceret, ut in caussa sua pristinam fiduciam ponerent, hoc usus est Tullius exordio. Sed tam haec quam ea quae sequuntur apud Ciceronem multo manifestiora fient, si orationis pro A. Caecina initium contuleris, nostrae initio omnino simillimum. Itaque verba c. 2., quae huc maxime spectant, adscribere iuvat. *Verumtamen cum illorum caussae actionem considero, non video, quid impudentius dici possit: Cum autem vestram in iudicando dubitationem, vereor ne id, quod videntur impudenter fecisse, astute et callide fecerint. Nam si negassent, vim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent, et id, quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent: sperarunt, id quod assecuti sunt, se iniecturos vobis causam deliberandi et iudicandi iustam moram ac religionem.*

tes | *tibus* — — — — — — — | quid est facilius, quam de eo, qui confitetur, iudicare? mihi autem difficile est, satis copiose de eo dicere, quod nec atrocius verbis demonstrari potest, quam re ipsa est, neque apertius oratione mea fieri, quam ipsorum confessione factum est.

Cum in hac re, quam commemoravi, mihi 3
mutanda ratio defensionis | — — — — — — — |

IN TESTIBUS] Desiderantur sex vel septem potius versus (septimus enim in codice incipit tes*tibus*) quos Peyronus restituit sic: in tes|*tibus ponebam, quorum ipse consensus quasi conflatus iudicandi moram vobis iniiciebat. At confessio adversarii in me rei difficultatem transtulit. Etenim* | quid etc. Beierus vero supplevit: in tes|*tibus ponebam antea nunc in confessione adversarii: cuius in vi audaciae, in iudicio impudentiae obsistere non nostri ingeni, vestri auxili est. Nam* | quid etc. Sed, ut dicam, quod sentio, sive sententiam spectes sive verba, quibus expressa est, Itali restitutio ei, quam Germanus protulit, longe praestare mihi videtur. Neque spatii litteris nunc vacui modus ei obstat, ut nesciam, quo pacto Beierus sic de ea pronunciare potuerit: „Supplementum istud neque facere ad rem videbatur et lacunae spatium excedere."

QUAM IPSORUM CONFESSIONE] Verissime: confesso reo, de facto probando sermo esse amplius non potest; sed tamen potest esse controversia, iuris videlicet. Ex quo apparet, hanc confessionem non esse eandem cum illa, quae fit in iure i. e. coram praetore, lite nondum contestata; in iure enim confitentem reum intellige fateri se debere, et ita iudicis sententiam supervacuam reddere, unde etiam pro iudicato est et actione iuris civilis, quae appellatur confessoria, convenitur: e contrario confessus in iudicio iudicis sententia perpetuo absolvi aut condemnari debet, tantumque probandi onere actorem levat.

DEFENSIONIS] Sequentem lacunam septem versuum Peyronus in hunc modum replevit: *tum erga P. Fabium paulo remittendum est de illa lenitate, qua priore actione omnia sua tanto studio vel dissimulaveram vel excusaveram ut non* etc. De mente et litterarum numero prorsus assentior Peyrono, sed in verbis haereo.

minus diligenter illius existimationem, quam rem M. Tulli viderer defendere. Nunc, quoniam Quinctius ad causam pertinere putavit, res ita multas, falsas praesertim et inique confictas, proferre de vita et moribus et existimatione M. Tulli, multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere, si minus eius famae parcere videbor, quam antea
4 consului. Pri|*ore*———————— ————————|

Primum dubito, an recte dixeris *de lenitate remittere.* Remittitur enim de his, quae natura sunt astricta et intensa; qui etiam de lenitate remittit, bonitate et benignitate videtur diffluere. De asperiore igitur tantum dicendi genere remitti potest (quod et Beierus ad h. l. sentit) ut Cic. in Caecil. 15. *Ne is quidem,* ait, *tantum contendet in dicendo, quantum potest; sed consulet laudi et existimationi tuae, et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse videare.* Malim igitur: *paulo temperanda est nimia illa lenitas* vel simile quid. Deinde in illo *omnia sua* vix agnoscas Tullianam sermonis proprietatem. Praestat fortasse: *qua antea famam illius tanto cum studio vel dissimulando vel excusando foveram, ut non* etc. Beierus restituit: *est, tum obliviscendum parumper in P. Fabio illius lenitatis meae, qua usus priore actione animum a laedendo revocaram ipse et reflexeram, ut non* etc. Verum hic non intelligo, quid sibi velit istud *parumper,* quod ad temporis rationem refertur, et pro *in P. Fabio* dictum mallem *in P. Fabium.* Sed et in sequentibus plus sine dubio Cicero dixerat, quam hic expressum est. Nam qui duntaxat non laedit, etiam parcit tantum alterius famae; Cicero vero adeo famae ipsius consuluerat.

SI MINUS EIUS FAMAE] Non parcit alicuius famae, qui omni modo eum insectatur et perstringit, ne ea quidem parte, qua laudem meretur, inconcussa relicta; consulit contra, qui etiam augendae alterius existimationi incumbit, ne vitiis quidem vituperatis. Unde existimari poterit, quam diverse Fabius hac et priore Ciceronis actione affectum se senserit.

PRIORE] Quantum hic probabiliter exciderit, supra p. 84. disquisivimus. Peyronus utrumque folium hoc supplemento coniunxit: Pri|*ore actione summopere cavi ab offen-*

ore putavit ad officium suum pertinere, adversario nulla in re parcere; quid me oportet Tullium pro Tullio facere, homine coniuncto mecum non minus animo, quam nomine? Ac mihi magis illud laborandum videtur, Recuperatores, ut quod antea nihil in istum dixi, probare possim, quam in eo repraehendar, quod hoc tempore respondeo. Ve-

dendo Fabio: sed quando Quinctius, mutato defensionis ten|ore etc. Alia multa invenit Beierus, ex quibus haec in textu posuit: Pri|*ore actione omnis aculeos orationis meae reconditos habui; sed quoniam ipse Quinctius, in actione illa pri*|ore etc. Ubi repetita illa *in actione illa priore* non cuivis forsitan satisfacient. Quid Cicero in isto lacunae spatio dixerit, ex iis verbis apparet, quae supra legimus: *multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere.* Quibus ex caussis duae tantum nobis supersunt: officium amicitiae erga Tullium et patrono conveniens industria. Ut tamen sententiam eam saltim perficiamus, cuius non nisi postrema verba Ambrosianus codex continet, tale quid putaverim praecessisse: *Nam si L. Quinctius, dicens pro homine a se alienissimo, vulgari tantum quorundam patronorum more* etc.

TULLIUM PRO TULLIO] Argumentum a nominis similitudine, nostris temporibus ineptum, illis aptissimum. Nominis enim paritate gentiles se agnoscebant. Vid. Festus v. *Gentilis.* Gentiles dico sensu latiore, quo etiam dixit apud Festum Cincius et quo non tantum patricii, qui gentes habebant, sed et manumissi et a manumissis oriundi, qui gente continebantur, ita appellantur. Angustiore sensu gentiles definit Cicero Top. 6. Ceterum paene omnes plebeiae familiae quamvis clarissimae, si modo patriciae gentis nomine utuntur, etiam ei genti antiquitus infuisse putandae sunt, ita ut ex ea exitus iis sit probandus. Certe haec fuit defensio Claudiorum patriciorum in memorabili illa caussa a Cicerone de Orat. I, 39. relata, mihique non improbabilis, dum Marcelli sibi et ipsis, quamvis plebeiis, iura gentilitia contra mores maiorum vindicabant. Hinc intelligitur, etiam omnes Tullios, sive Marcellorum sive patriciorum Claudiorum caussa vicerit, inter se quodammodo gentiles fuisse.

RECUPERATORES] De recuperatoribus vide excursum.

REPRAEHENDAR] „Cum diphthongo scribunt vetusti

rum et tum id feci, quod oportuit, et nunc faciam, quod necesse est. Nam cum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum datum M. Tullio diceremus: alienum mea natura videbatur, quidquam de existimatione P. Fabi dicere; non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi

codices, vide Niebuhrii *Fragmenta* p. 47." PEYRON. Adde Brisson. *παρέργ.* 49. Fabri thesaur. scholast. crud. v. *prehendo,* ubi Camerarius istam scripturam per diphthongum hoc defendisse dicitur, quod verbum deducendum esset a praepositione *prae* et casco verbo *hendo* s. *fendo,* quod non est sine ratione.

QUOD OPORTUIT etc.] Oportet, quod boni viri officium exigit; necesse est, quod evitari non potest. Sic in Verr. 4, 39. — *tanquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset.* Et ibid. 5, 14. *Haec ipsa aedilitas, non quia necesse fuerit, alicui candidato data; sed quia sic oportuerit, recte collocata esse videatur.*

QUIDQUAM DE EXISTIMATIONE] Quod idcirco iniquum est, quoniam existimatio totam hominis dignitatem respicit et tam patrimonii quam personae libertatisque iura complectitur, damnum contra ad solum patrimonium pertinet. Atqui naturali aequitati adversatur, ut res maior serviat minori, mei denarii caussa civis de statu suo deiiciatur. Sed addit Cicero: *non quia res postulare non videretur.* Erat enim indignum facinus, quod in hoc iudicium veniebat, quare etiam praetorum edicta iam tum sine dubio eos notabant, qui vi bonorum raptorum damnati essent. L. 1. D. de his qui notant. infam. §. 2. I. de poena tem. litigant. Peyronus ad h. l. laudat pro Caec. 2. Sed in caussa Caeciniana interdicto de vi armata disceptatum est, quod, ut omnino nullum interdictum, non infamat. L. 13. D. de vi. Nam principio interdicta ex solis sponsionibus vim capiebant, quae cum ad pecuniam tantum spectarent, non poterant infamare, ut nec alia ulla stricti iuris actio ex contractu veniens. Ceterum naturaliter etiam interdictum de vi propter facti atrocitatem maculam adspergit, quam ob caussam libertis adversus patronos, liberisque adversus parentes denegatur. Cic. l. c. L. 1. §. 43. D. de vi.

TAMETSI POSTULAT CAUSA] Pro Quint. 3. dixit: *Tametsi causa postulat, tamen quia postulat non*

postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. Nunc, cum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum verecunde modiceque faciam, tantum ut, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius iudicare, nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat.

Unum hoc abs te, L. Quinti, pervelim impe- 6
trare (quod tametsi eo volo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco, quia aecum est, postulo), ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut his aliquid ad iudicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuae modus, sed nox tibi

flagitat, praeteribo. quae lectio adhuc in paucis reperta libris manuscriptis (vid. ed. Oxon. a. 1783. Tom. IV. sub finem) iam nostro loco mirifice confirmatur. Vulgares libri omittunt illa: *tamen quia postulat,* usitato errore, quem miror Graevium non primo aspectu agnovisse.

VOLO — POSTULO] Proprie verbis usus est; velle enim est appetentis tantummodo, ut etiam in animalia cadat; et appetimus naturaliter, quae nobis commoda sunt: at postulatur id, quod aequum est nobis praestari, ut apud Terentium in Andria I, 2, v. 20. *Dehinc postulo, et, si aequum est, te oro, Dave —.*

ITA TIBI MULTUM] Verbosas nimis et paene infinitas Quintii orationes videtur etiam notare Cicero pro Cluent. 39. his verbis: *Quodsi per quos dies Iunium accusavit, Fidiculanium accusare voluisset, respondendi Fidiculanio potestas facta non esset.*

SED NOX] „Hinc liquet, nullum litigantibus a recuperatoribus praestitutum fuisse ad dicendum tempus, quod plerumque ad similitudinem iudiciorum publicorum etiam in privatis fieri consuevit. Vide Iac. Menardum ad orat. pro Quinct. c. 9.“ CRAMER. Sed si illud ipsum c. 9. orationis pro Quintio inspicimus, inde apparet, liberae reip. temporibus nunquam a iudice, raro a praetore, et ne ab eo quidem nisi nimium gratioso eiusmodi iniuriam decretam esse. Ait enim ibi Cicero: *Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, ut te in ius adducerent, ut nobis tempus, quamdiu diceremus, praestitueres: quam*

finem dicendi fecit. Nunc si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo. Neque hoc id-

rem facile a praetore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum ius et officium partesque docuisses.* Scilicet primarium iudicis officium est caussam discere a patronis quamvis late orantibus, deinde, si nimium evagentur, admonere et in viam revocare, uti hodie quoque usu venit. Temporis praefiniendi ista iniquitas publica tantum utilitate excusari potest. Ceterum etsi privata iudicia a clepsydra libera non fuissent, tamen quod ad Quintianam et hanc attinet caussam dici non posset, oratorum circumscriptionem a publicis iudiciis ad privata interdum esse translatam. Nam in ipsis publicis iudiciis invaluit illa demum lege de ambitu ea, quam Magnus Pompeius tulit in tertio consulatu, quem solus gessit, a. u. c. 703. Vid. Cic. Brut. 95. de Orat. 3, 34. Auct. de causs. corrupt. eloqu. 38. Plin. epist. 1, 23. 2, 11. 4, 9. 6, 2. Bach Histor. iurispr. Rom. lib. II. cap. II. sect. I. §. LXXXVII.

FINEM DICENDI] Nota est ex Gell. N. A. 17, 2. lex duodecim tabularum, dicens: *Ante meridiem causam conscito, quom perorant ambo praesentes: post meridiem praesenti stlitem addicito. Sol occasus suprema tempestas esto.* Quibus verbis lex non praetorem, quod plerique omnes autumant, sed iudicem alloquitur. Nam primum *Causam*, inquit, *conscito* (sic enim legendum) i. e. discito ab utraque parte; praetor autem caussam non discit, sed lege agi iubet: *cum perorant ambo praesentes,* i. e. intentioni vel confirmandae vel infirmandae orationibus operam dant: peroratio vero semper fit apud iudicem praecedente caussae collectione usu inducta (Gai. 4, 15.), non apud praetorem. Deinde: *Post meridiem praesenti stlitem addicito* h. e. iudicato; nam lis est pecunia, quae ad litandum i. e. ad mitigandum alterum datur, et ut dicimus fundum addicere et similia, sic et litem iudex addicere dici potest. Festus quoque, *Addicere*, ait, *est damnare;* praetor vero nec damnat nec coram eo lis est, quae tantum ad iudicem spectat. Accedit etiam illud *praesenti.* Curare enim debet iudex, ne absentibus partibus iudicet, alioqui res iudicata non tenet. L. 47. pr. D. de re iudic. Tit. C. Quomodo et quando iudex sententiam proferre debeat etc. (7, 43.). Ad praetorem vero hoc item apte referri non potest. Vides igitur decemviros, sapientissimos viros, plerumque

circo postulo, quod te aliquid censeam praeterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere, verum ut semel unaquaque de re dicas; quod si facies, non vereor, ne dicendo dies eximatur.

noluisse litem ei diei, qua coepta erat, supervivere, simulque naturam quodammodo imitantes, litis processum solis cursui accommodasse; quo exoriente conveniebatur, paullum se tollente, caussa breviter demonstrabatur, ad meridiem assurgente, lis peroratione fervescebat, inclinante, iudex secum reputabat, occidente, litem addicebat. Ceterum etiam si vigentior esset lis, quam quae eodem die mori posset, certe cum sole interim occidere et sopiri iusserunt: *Sol occasus suprema tempestas esto,* quae verba etiam referuntur a Festo v. *Supremum,* Varrone de L. L. 5, 2. et 6, 3. Macrob. Saturn. 1, 3. Censorin. de die nat. c. ult. Plin. H. N. 7, 60. Haec igitur lex etiam Ciceronis aevo observabatur; certe lex Plaetoria (Varr. l. c. Censorin. l. c.) eam non abrogavit, sed adiecit tantum, ut id quoque tempus esset supremum, quo praetor in comitio supremam pronuntiasset. Postea paullatim in desuetudinem abiit. Certe Augustus teste Sueton. cap. 33. in noctem iuri dicundo operam dare consuerat. Sed is pro imperio. Inferiorum temporum testimonium est, quod Augustinus adv. Donatistas, qui noctu prolatam a Marcellino contra se sententiam calumniabantur, solitum saepe fieri refert, ut iudices ad multam partem noctis sederent. Vide Casaubonum ad Sueton. l. c. Denique animadvertendum est h. l., quod ait Cicero *nox tibi finem dicendi fecit.* Etenim lege iam *sol occasus* suprema tempestas esse iubebatur, quae est prima vespera, ut Plautus loquitur Curcul. I, 1. v. 7.

Si media nox est, sive est prima vespera,
Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum.

Qui locus aperte ad XII tabularum legem effictus est.

QUAM ORNATISSIME etc.] Irridere hic Ciceronem Quintianarum orationum exilitatem et ieiunitatem, neminem fugiet, qui meminerit illius de Quintio iudicii, quod supra p. 90. retulimus.

UT SEMEL UNAQUAQUE etc.] Rursus pungit inconditam Quintii rudemque eloquentiam. Est enim illud quoque, ipso tradente Cicerone Rhetor. 1, 20. ex praeceptis

artis oratoriae, *ut semel unumquodque dicatur, neque ab eo, in quo proxime desitum sit, deinceps incipiatur.*

NE DICENDO etc.] i. e. ne lis recuperatorum sententia ideo hodie terminari nequeat, quod post solis occasum rem iudicare legibus non liceat. Ceterum non est novum, quod existimasse videtur Heinrichius p. 64., ut, qui rem, quae publice agebatur, impedire vel saltem protelare vellent, longa oratione usi, *diem eximerent:* haec enim est propria huius rei appellatio. De M. Porcio Catone hoc refert Gell. N. A. 4, 10. ex Atteio Capitone, cuius verba adscribam: *C. Caesar consul M. Catonem sententiam rogavit. Cato rem, quam consulebatur, quoniam non e rep. videbatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendae longa oratione utebatur eximebatque diem dicendo.* Quem tunc Caesar pro magistratus potestate vocato viatore in carcerem duci iussit, sed senatu divinae virum auctoritatis prosequente a proposito destitit. Eandem rem narrat Valer. Maxim. II, 10. §. 7. verbo tamen alio usus; ait enim: *cum dicendo diem extraheret,* quemadmodum etiam locutus est Caesar de B. C. 1, 33. et Cicero saepius, de quo vide Manut. ad epist. ad Attic. 4, 3. Alia exempla tempus in curia dicendo eximere conatorum exstant apud Cic. ad Attic. 4, 2. 3. ad Q. fratr. 2, 1. Scilicet et SCta post solis occasum fieri, generali illa et ad omnes publicas actiones pertinente lege XII tabularum vetabantur. Sed Heinrichio et in hoc non possum adsentiri, quod putat, dilato iudicio rem necessario ad tertiam actionem novasque orationes venisse, ut hoc modo is, quicum ageretur, cum quavis actione secundo loco diceret, in noctem dicendo efficere potuisset, ut omnino nunquam iudicaretur. Equidem non dubito, quin recuperatores, cum primum rem satis cognossent, si tempus eo die ad pronunciandum sufficere non videretur, litigatoribus duntaxat ad sententiam audiendam diem locumque praefiniverint. Quorsum enim repetita actio eius rei, quae iam satis erat exposita et tantum non verbo iudicata? Denique si tantum valuisset haec dicendi calumnia ad iudicium ducendum, existimari potest, vehementius Ciceronem, quam hic facit, de eiusmodi fraude conquesturum fuisse. Sane interdum etiam comperendinatum fuerit; periculum enim erat, ne iudex interea ea quae a caussarum patronis dicta erant, oblitus, praestituto die, nisi re denuo acta, iudicare non posset.

Iudicium vestrum est, Recuperatores, QUANTAE PECUNIAE PARET DOLO MALO FAMILIAE P. FABI VI HOMINIBUS ARMATIS COACTISVE 7

IUDICIUM VESTRUM EST] Cave hic audias Beierum, hoc iudicium arbitrarium fuisse statuentis. Quem infra refellemus. Quod vero idem de iudicio absolutorio dixit, omnino non intellexi.

PARET] Fortasse prisco more formularum scribendum PARRET, si verum est, quod refert Fest. v. *Parret, quod est in formulis, debuit et producta priori syllaba pronuntiari et non gemino r scribi, ut fieret paret, quod est inveniatur, ut comparet, apparet.* Ceterum hoc esse solemne formularum verbum, nisi aliunde nossemus (vid Petron. Satyr. 137. ibique Erhard.) nunc certe ex Gaii Institutionum commentariis didicissemus. Vid. Elvers Promptuar. Gai. h. v.

ARMATIS COACTISVE] Ad hunc locum doctam et uberem neque tamen per omnia veram animadversionem Heinrichii lectori recolendam commendo. Cuius sententia eo redit, ut quantum ad formulae subtilitatem, perpetuo dicendum fuerit *coactis ve* non *coactis que*, quanquam neque copulativa particula reprehendi debeat, neque in hac oratione §. 9. neque in Caeciniana, propterea quod his locis orator ad rem, quemadmodum gesta erat, accommodate dixerit. Ego non negaverim quidem, in praetoris edicto formulaque fuisse *coactisve,* neque tamen in universum multum retulisse puto, diceretne quis *coactisque* an *coactisve,* neque Ciceronem tam cogitate unum alterumve quoque loco posuisse. Verissimum enim est, quod dicit Paullus L. 53. D. de V. S. *Saepe ita,* inquit, *comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur et disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis.* Neque id mirum: nam copulativa etiam id significari potest, ut quod de hoc *et* altero enuntietur, in utrumque separatim cadat, ut in illa stipulatione, *per te non fieri, quo minus mihi heredique meo ire agere liceat.* L. 6. D. Quod vi aut clam. L. 2. D. de rivis. L. 92. 132. D. de V. S. Disiunctiva vero oratio sic quoque intelligi potest, ut disiunctio magis verba quam rem spectet, et quasi subaudiatur: vel, ut clarius loquar; quod tum maxime locum habet, si posterior vox plenior est. Hinc factum est, ut interdum eadem oratio alias disiuncta alias coniuncta inve-

DAMNUM DATUM ESSE M. TULLIO. Eius rei taxationem nos fecimus; aestimatio vestra est; iudicium datum est in quadruplum.

8 Cum omnes leges omniaque iudicia, quae paulo graviora atque asperiora videntur esse, ex improborum iniquitate et iniuria nata sunt; tum hoc iudicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam constitutum est. Nam cum multae familiae dicerentur in agris longinquis et pascuis armatae esse caedesque facere, cumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed ad summam rempublicam perti-

niatur. Uno exemplo defungar. Qua in formula apud Ulp. 20, 9. Liv. 1, 24. et in L. 1. §. 4. D. ad l. Cornel. de fals. est: *tabulis cerisve (cerave)* eadem in formula Gaius 2, 104. habet: *tabulis cerisque*. Et utrumque recte. Heinrichii opinionem nec §. 9. stare sinit, ubi ipsum hoc iudicium de vi coactis armatis*que* hominibus appellatur. Ceterum de praetoris sententia et horum verborum interpretatione in ea disputatione, quam de hoc edicto et iudicio infra adtexuimus, anquisitum reperies.

TAXATIONEM] De taxatione quoque iudici praescribi solita proprium excursum confecimus, quem vide.

CUM OMNES — NATA SUNT] Verissima sententia, alibi quoque a Cicerone enunciata. Cf. Rhetor. 2, 41. pro Caec. 2.

PAUCIS HISCE ANNIS] Ex nostra computatione post Luculli praeturam anni quinque vel sex effluxerant.

MULTAE FAMILIAE] Quaenam familiae intelligendae sint, possis dubitare; et occurrunt publicanorum, de quorum factionum audacia et temeritate lege Ulp. L. 12. pr. §. 1. 2. D. de publican. Nisi propter pascuorum commemorationem malis de saltuariorum familiis cogitare, quas latrociniis suis vias publicas saepe infestasse narrat Liv. 39, 29.

AD SUMMAM REMP.] Cf. Rhetor. 1, 16. *Attentos autem faciemus auditores, si demonstrabimus, ea, quae dicturi erimus — ad summam remp. pertinere:* ibique Victorin. c. 47. qui Ciceronem saepius hac arte iudices attentos faciendi usum esse observat. De hac dictione autem *ad summam remp. pertinere* ad h. l. videndi Heinrichius et Beierus.

nere videretur; M. Lucullus, qui summa aequitate et sapientia ius dixit, primus hoc iudicium composuit, et id spectavit, ut homines ita familias suas continerent, ut nón modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti iure se potius quam armis defenderent. Et cum sciret, de damno esse 9
legem Aquiliam, tamen hoc ita existumavit, apud maiores nostros, cum et res et cupiditates minores essent et familiae non magnae magno metu continerentur, ut perraro fieret, ut homo occideretur,

M. LUCULLUS] De hoc respice, quae supra p. 91. diximus et cum iis contende Maii Heinrichiique notas ad h. l.

TAMEN HOC ITA EXISTUMAVIT] Heinrichius notat: „Quod subsequitur, *tamen hoc ita exist.* ego non satis expedio, ni legendum sit *hic* Lucullus.“ Sed iam Beierus recte monuit, *hoc* idem valere h. l., quod *hac de re.* Quae tamen idem vir eruditissimus ex Ruddimanni Institutionibus grammaticis huc refert, non satis videntur convenire. Verum non est tam rara apud Ciceronem haec pervenusta dicendi quasi incuria ac simplicitas. Pro Caec. 29. *Velim, Recuperatores, hoc totum, si vobis versutius, quam mea consuetudo fert, videbitur, sic existimetis, primum alium non me excogitasse* etc. In Verr. 3, 58. — *nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta, quicquid dixisses, te deterius esse facturum.* Rhetor. 2, 55. *Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam.*

HOMO OCCIDERETUR] Quicquid disceptet ad h. l. Heinrichius, non servum intelligendum esse, sed liberum hominem, verissimum tamen est, Ciceronis mentem solos servos complexam esse. Namque ad solos servos, non ad liberos homines iudicium de vi coactis armatisque hominibus pertinet; hoc enim in id, quanti ea res esset, conceptum erat; liberi autem hominis nulla est aestimatio. L. 1. §. 5. D. de his qui effuderint vel deiec. Deinde quod ait vir doctissimus, antiquis temporibus non mitiorem servorum conditionem sed duriorem cogitari debere, iniquissime insultat veteri isti ac nunquam satis laudandae Quiritium disciplinae. Intuere illud priscae virtutis exemplar, Catonem Censorium, qui, narrante Plutarcho (Cat. Censor. p.

349. A.) si quis servus capital admisisse diceretur, non antea de eo supplicium sumebat, quam damnatus erat etiam conservorum iudicio. Quicum confer quae leguntur in libris sacris his locis Iob. 31, 13. S. Paull. ad Coloss. 4, 1. ad Ephes. 6, 9. Audi etiam Senecam ep. 47. dicentem: *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? Dominum patrem familiae appellaverunt, servos familiares* (vid. Plin. epist. 5, 19.). Adde denique (ut alia taceam) celebrem illam comparationem servorum Romanorum et aliorum populorum in Excerptis legationum a Prisco institutam. Obiicias fortassé, quod lex Numae parricidas tantum puniverit, h. e. liberorum hominum occisores, docente Festo v. *Parici* (Paricidi) *Quaestores*. Verum id recte. Servi enim cum publice nulli sint, neque publica poena teneri debet is, qui tantum patrimonium alterius imminuit. Sic natura rerumpublicarum proditum est. Quantam illorum temporum corruptelam et nequitiam fuisse oportet, quae legem Corneliam provocaret, hominis cuiuscunque caedem publice vindicantem (LL. Mos. et Rom. Collat. 1, 3.)! nisi quod illa aetas his vitiis etiam magis excelluerit, qua vel ad dominos servos suos occidentes, (in quos tamen ipsa vitae ac necis tributa potestas clementiam exigere videbatur) poenam legis Corneliae porrigere e rep. esse visum est (Gai. 1, 53.). Nam corruptissima rep. plurimae leges. Quod ad iura privata attinet, quae, ut dixi, sola servos respicere rationis est, lex illa Aquilia itidem non summae tantum iustitiae sed iustissimorum temporum evidens documentum est. Haec enim lex non ad vindicandum dolum et occidendi libidinem coercendam, qua ista aetas in universum fuit immunis, sed ad damnum iniuria datum, quod in nullam non cadit aetatem post homines natos, reparandum pertinuit. Igitur quod a facilioribus fere insuper habetur legumque providentia vix dignum, imprudentiam et omnem licet minimam iniuriam, hanc tamen illa sua sanctione divinae iustitiae consentanea carere noluit. Postea demum collapsa illa prisca morum sanctitate omnisque generis vitiis gliscentibus, cum iam obliviscerentur homines, „nullum esse, ut ait Seneca (Declam. 291.), tam vilem hominis sanguinem, ut non manus inquinet, tum demum cohibendae hominum improbitatis audaciaeque caussa asperum iudicium de vi hominibus coactis armatisve desiderari coepit.

idque nefarium ac singulare facinus putaretur,
nihil opus fuisse iudicio de vi coactis armatisque
hominibus; quod enim usu non veniebat, de eo si
quis legem aut iudicium constitueret, non tam pro-
hibere videretur, quam admonere. His tempori- 10
bus cum ex bello diuturno atque domestico res in
eam consuetudinem venisset, ut homines minore
religione armis uterentur, necesse putavit esse, et
in universam familiam iudicium dare, quod a fa-
milia factum diceretur; et reciperatores dare, ut
quam primum res iudicaretur; et poenam gravio- 11

LEGEM AUT IUDICIUM] Alterum ad ius civile alterum ad praetoris edictum pertinet. Lex enim non iudicium sed ius constituit, praetor non ius sed iudicium.

ET IN UNIVERSAM FAM.] „I. e. propter universam familiam, in dominum. Cur autem universam dixerit, optime declarat Ulp. L. 2. §. 14. D. d. t. [vi bon. rapt.] *haec actio etiam familiae nomine competit: non imposita necessitate ostendendi, qui sunt ex familia homines qui rapuerunt vel etiam damnum dederunt.*" CRAMER. Rem recte quidem sed strictius exposuit vir summus Cramerus. Haec igitur accipe. Si servus noxam nocuisset, duplici olim ratione ex diversis legibus actiones instituebantur. Ex duodecim tabulis etiamsi sciente domino deliquisset, semper noxalis tantum in dominum actio erat ad hoc, ut dominus aut litis aestimationem sufferre aut servum noxae dare cogeretur; contra ex lege Aquilia ipsa scientia dominum in solidum obligabat et tantum si insciente eo servus nocuerat, noxalis competebat. Cuius diversitatis illa commoda ratio reddi potest, quod XII tabulae pleraque delicta poena privata coercebant, quae cum ex vindicta originem capiat, naturaliter ad personam eius, qui deliquit, refertur; velut poena furti manifesti, quae servo capitalis erat, iniuriae, quae lege XII tabularum talione plerumque vindicabatur, et damni iniuria dati, quod ante legem Aquiliam similiter punitum esse probabile est. Contra lex Aquilia, quae non tam vindictam spirabat, quam damnum iniuria acceptum resarciri volebat, hanc ob caussam nec personam eius qui damnum fecerat, sed magis patrimonii rationem inspiciebat. Cum igitur is dominus, quo sciente servus

damnum dederat, ipse culpa non careret, propterea etiam, quasi ipse delictum commisisset, sine noxae datione in solidum actionem adversus eum dari aequum erat; quodsi nesciente eo a servo nocitum fuerat, quoniam nemo ita servos suos continere potest, ut ne omnino sua ipsorum voluntate noceant, sola in servos actio relinquitur, in qua actione noxae dedendi facultatem ipsa aequitas suggerit. Haec mihi utriusque fuisse legis ratio videtur. Aliam a Celso redditam et ab Ulpiano relatam reperis in L. 2. §. 1. D. de noxal. actionib. quam ipse, si tibi placet, expende. Mihi argutior quam verior visa est. His vero ex legibus proditis servorum nomine agendi generibus postea praetorum edictis hoc accessit, ut etiam quod dolo malo familiae alicuius damni factum esse diceretur, non imposita necessitate singulos servos in facti demonstratione nominandi, noxalis actio contra dominum intendi posset; nam ex antiquis legibus semper eum eosve, qui nocuissent, nominatim exprimere necesse fuerat, quod longe molestius erat. Quamobrem? vide expositum in Exc. I. Tantum ex his, quae adhuc dixi intelligis, etiam hac ratione heri deteriorem in hoc edicto conditionem factam esse, quam erat lege Aquilia, idque necessario ob illam rationem, quod servorum familiae in pascuis vagantes multaque facinora perpetrantes maxime praetorem commoverant, ut hoc iudicium constitueret.

IUDICIUM DARE, QUOD] Heinrichius loco *quod* substituere volebat: *si quid,* et Maius altera editione recepit contra utrumque codicem: *si quod.* Sed utraque mutatione non orationis tantum sed et sensus integritas laeditur. Supplendum enim est, (ut iam recte monuit Beierus, conferens infra §. 53.) *de eo,* ut simul significetur, quanti ea res sit, tanti dari actionem. Propriam esse hanc orationem praetorii edicti, ex quavis fere edicti parte cognosci potest. Velut L. 1. §. 1. D. de dolo malo: *Quae dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, et iusta causa esse videbitur, iudicium dabo.* Adde L. 1. §. 1. D. Depositi. L. 25. D. de rebus auctorit. iud. possid. Paull. S. R. III, 8, §. 3. Unum tantum ex ipso Cicerone eiusve aequali exemplum exscriptum praeterea subiicere liceat. Ad Herenn. 1, 13. — *quod genus M. Drusus, praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit, S. Julius non reddidit.*

QUOD — FACTUM DICERETUR] Heinrichius hic infeliciter coniecerat. Verba ista *factum esse dicetur* tam

rem constituere, ut metu comprimeretur audacia; et illam latebram tollere DAMNUM INIURIA, quod

crebro recurrunt in praetoris edicto, ut, quod discimus ex Valerio Probo apud Gothofred. p. 1477., tribus litteris F. E. D. notari consueverint. Sed quare maiusculis haec verba Beierus exprimeret, caussa non fuit. Neque enim sunt pars formulae a praetore impetrandae, in qua verba edicti: *damnum factum esse dicetur* sic potius immutabantur: *quantae pecuniae damnum factum esse paret.* Vide supra §. 7. et Gai. 4, 46 et 47.

UT QUAM PRIMUM] Quod quemadmodum effectum sit recuperatoribus datis, in diatriba ad calcem huius orationis subiecta ostendemus. Compara interim §. 41.

POENAM GRAVIOREM] Quam quae constituta erat lege Aquilia. Nam et legis Aquiliae actio aliquatenus erat poenalis (§. 9. I. de l. Aquil. §. 19. I. de action. L. 23. §. 8. D. Ad l. Aquil.) primum, quod in inficiantem dabatur in duplum (Gai. 3, 216. 4, 171. §. 1. I. de poena temere litig.), de quo hic Tullium sensisse, intelligimus ex §. 41., deinde quod omnimodo ex primo capite aestimatio fiebat tanti, quanti ea res in eo anno, ex tertio, quanti in diebus XXX proximis plurimi fuerat. (Gai. 3, 214 et 218. pr. §. 9. 14 et 15. I. de l. Aquil. L. 2. pr. L. 21. pr. et §. 1. L. 23. §§. 2—6. L. 25. §. 5. L. 29. §. 8. D. Ad l. Aquil.) Similiter igitur etiam vi bonorum raptorum actio et rei persecutionem et poenam continebat, sed poenam longe graviorem; de quo infra dicendi locus erit.

ET ILLAM LATEBRAM] Cicero hic ad eam orationis suae partem recuperatores quasi praeparat, qua gravissimum adversariorum (ut his certe visum) argumentum, inde desumptum, quod iure suo Fabius Tullio damnum dedisset ob eamque caussam absolvi deberet, confutaturus erat. Vide infra §. 41. Ait igitur, consulto praetorem ista verba DAMNUM INIURIA in edicto de vi armatis hominibus omisisse, ne in hac actione ii, unde peteretur, istis verbis, dum iniuria se nihil fecisse assevcrarent, ut latebra quadam uterentur. Quod an vere Cicero, nunc non disquiro.

DAMNUM INIURIA] Sic haec verba recte primus Maius in altera editione excudi iussit, quem deinde ceteri editores secuti sunt. Hoc enim modo iuxta se posita saepissime et in edictis et in actionum formulis leguntur. In edictis, velut de publicanis, ubi praetor ait: *Item si damnum*

in aliis causis debet valere, et valet lege Aquilia, id ex huiusmodi damno, quod vi per servos armatos
12 datum esset |— — — — — — —| ipsi statuerent,

iniuria furtumve factum esse dicetur, iudicium dabo. L. 1. pr. D. de publican. Quod ad actionum formulas attinet, notissimum est, ipsam legis Aquiliae actionem plerumque iudicium vel actionem *damni iniuria* nominari; quod et Peyronus quibusdam exemplis ad h. l. laudatis probavit, et si plura cupis, infinitis probatum invenies a Brissonio de V. S. v. *damnum* num. 7. Ipse unum tantum locum adiiciam, ex quo appareat, illud *damnum iniuria* datum ex lege Aquilia paene in proverbium abiisse. L. 49. §. 1. D. Ad l. Aquil. ubi Ulpianus, *Quod dicitur,* ait, *damnum iniuria datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum, ut videatur damnum iniuria datum, quod cum damno iniuriam attulerit.* Praeterea vero Beieri ergo, qui in notis ad h. l. plura Gaii loca frustra tentavit, illud quoqne moneo, tam *damnum iniuriae* quam *damnum iniuria* recte dici. Vide Brisson. l. c. Illud est genitivus caussae; ad hoc subaudiendum: *datum.*

ET VALET LEGE AQUILIA] Nam qui iure damnum dedit, hac lege non tenetur. Vide exempla in L. 4. pr. et §. 1. L. 5. pr. L. 29. § 3. 4. L. 30. pr. L. 49. §. 1. D. Ad l. Aquil. §. 2. I. de l. Aquil. Sed rectius dixisset Tullius, hoc valere in omnibus caussis, ideoque et in vi coactis hominibus, quanquam, si id concessisset, universa haec de damno iniuria defensio concidisset. Namque, ut recte monet Gai. 3, 211. (ubi de damno lege Aquilia sine iniuria impunito loquitur): *nec ulla alia lege damnum, quod sine iniuria datur, reprehenditur.* Item Paullus generaliter *Nemo damnum,* inquit, *facit, nisi qui id fecit,* (facit) *quod facere ius non habet.* Quam sententiam etiam in stipulationibus locum habere constat. L. 96. D. de V. O. L. 24. §. 12. L. 26. D. de damn. inf. Neque fieri ullo modo potest, ut qui iure suo utatur, is dolo malo facere videatur, idque etiam ad hoc edictum infra probabimus.

DATUM ESSET] Desiderantur in Ambrosiano septem versus, quos quidem restituere nec ingenii tanti nec tantae contentionis foret, nisi ea, quae supersunt, verba vitio aperte laborantia moram iniicerent omnemque coniecturam incertam redderent. Neminem enim, opinor, fugit ad similitudinem praecedentis orationis etiam huic sententiae

quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere, homines occidere. Cum iudicium ita daret, ut hoc solum in iudicium veniret, videreturne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiae datum, neque illud adderet INIURIA,

subiici debuisse, quem in finem praetor illam latebram sustulerit; ex quo consequitur, ut vocula *ut* in codicibus exciderit. Sed ubinam? quaeritur. Suspicor, aut post *iniuria*, ut, ratione simul habita spatii litteris vacui, sententia in hunc fere modum excurrerit: *ut*, quod in aliis causis debet valere et valet lege Aquilia, id ex huiusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset | *quodque iure unquam dari posse ne putari quidem deberet, iudicio eximeretur, ne facinorosi homines* | ipsi statuerent etc.; aut post *Aquilia*, ut illud *id* in *ut* mutandum sit et sequutum fere fuisse putetur: *ut* ex huiusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset, |*quodque iure dari nunquam posset, perpetuo tenerentur improbissimi homines, ne alias*| ipsi statuerent etc. Sed prior ratio mihi longe magis arridet Ciceroneque nescio quo pacto dignior videtur. Neque illud me movet, quod in utroque codice vocula *ut* dicto loco desideratur. Plura enim menda ambobus codicibus communia reperiuntur. Quod ad superiorum editorum attinet opiniones, Peyronus lacunam inexpletam reliquit, tantumque ante *ipsi statuerent* duo vocabula: *ne privati* inseruit. Beierus vero hoc modo edidit: DAMNUM INIURIA. Quod in aliis causis debet valere et valet lege Aquilia, id ex huiusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset, [*manifesto depraehensum apparere iudicavit atque ideo de INIURIA non addidit, ne, qui haberent controversiam,*] ipsi statuerent etc. Verum ut singula non excutiam, quorum facile demonstrari possit ne ullum quidem huic loco satis convenire, quis ferat orationem in verbis DAMNUM INIURIA ita subito abruptam et praecisam, ut qui audiverit, non potuerit non opinari, Ciceronem morbo aliquo oppressum in ipsa propositione nondum ad finem perducta obmutuisse?

VIDERETURNE — DATUM] Beierus haec maiusculis litteris exprimenda curavit; sed tametsi verbum *videri* vere iudiciale fuit, quod et ipse Cicero Acad. quaest. 4, 47. ob-

putavit se audaciam improborum sustulisse, cum spem defensionis nullam relinquisset.

13 Quoniam quod iudicium et quo consilio constitutum sit cognostis, nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite.

14 Fundum habet in agro Thyrino M. Tullius paternum, Reciperatores, quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum eiusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet, quam iure defendere. Nam P. Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore, cui fundo erat adfinis M. Tullius, sane magno, dimidio fere pluris incultum

servat, et infinitis exemplis ex Cicerone partim petitis probat Brisson. de formul. V, 218., tamen a formulis alienum erat, et tantum ab ipsis iudicibus de re aliqua pronunciantibus usurpabatur. Hic igitur *videri* obtinet locum verbi *parere* formularum vere proprii, et omnino Cicero formulae non tam verba quam sententiam refert.

IN AGRO THYRINO] De hoc lege doctam Maii ad h. l. notam. Calabriae oppidum non fuisse Thurium s. Thyrium, verum Lucaniae potius, colligere mihi videor etiam ex Julii Frontini libro de coloniis, ubi colonias provinciae Calabriae recensens (apud Goes. p. 127.) agri Thyrini mentionem non facit.

QUEM SE HABERE] Ne putes hoc per hyperbolen dictum. Revera nihil est molestius, quam habere malum vicinum: adeo ut censuerit Gaius L. 35. §. 8. D. de contrah. empt. *Si quis in vendendo praedio confinem celaverit, quem emptor si audisset, empturus non esset, teneri venditorem:* scilicet, ut inemptum praedium fiat.

SANE MAGNO] Male Maius haec verba applicuerat ad verba proxime antecedentia, ut esset sensus: magna parte fundi fundo Claudii Tullium adfinem fuisse. Sed de recta huius loci constructione et distinctione iam monuerunt Cramerus, Heinrichius, Peyronus. Animadvertendum vero, non inconcinne haec duo verba *sane magno* a verbo *emit* disiuncta et postposita esse; nam in voce *sane* ea vis inest, ut orationis cursu inhibito diutius auditoris mentem in ea cogitatione immorari compellat, ideoque moram, quae fit verbo hoc modo ad finem reiecto, gratam reddat. Prorsus

exustis villis omnibus, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius | — — — — — — — — — — — | clam circumscripsisse isti a consulari Macedonia et Asia. Etiam illud addam, quod ad rem pertinet. Imperatore mortuo

similiter usurpatum invenies in hoc loco Senecae de morte Claudii sub finem: *Pusillum superturbatur, ut illum vidit canem nigrum (nam album canem in deliciis habere consueverat), villosum sane.*

PRETIIS] Codex *praetiis,* quod se in multis codicibus vidisse testatur Maius. Sed Beierus primae syllabae correptionem huic scripturae obstare recte monet. Accedit, quod vetus grammaticus Agraetius (Gothofr. Auctor. L. L. p. 1552.) pretium sine *ae* scribendum diserte notat, idemque ex Varronis (de L. L. lib. IV. ibid. p. 29.) etymologia a *peritis* colligi potest.

CLAUDIUS] Desiderantur decem versus, quos Beierus hoc modo supplevit: Claudius [*emerat. Agri cupidius empti pretium sero diligentius attendenti cum nimis magnum videretur, facile' est existumatu, quantum stomachi fecerit suspicio venditorem se*] clam circumscripsisse etc. Sed si haec fuisset deperditorum sententia, Cicero sane idem bis dixisset. Nam de hoc negotio Fabio perquam dispendioso postea demum incipit dicere, et cum ait: *Etiam illud addam,* demonstrat, se hactenus damnum ex Claudiani agri emptione Fabio enatum nondum commemoravisse. Praeterea desideratur in hac restitutione eius nomen, qui postea Imperator tantum appellatur. Quare rectius h. e. probabilius sic ego mihi videor supplere: Claudius | *emerat. Verum tamen rem sic tuto servare voluit; ex quo enim sub L. Octavio proconsule meruerat sic, ut augendae rei negotiando operam dare posset, iam saepius homines videbantur se*] clam circumscripsisse isti a consulari Macedonia et Asia etc. Apparet videlicet, Ciceronem id agere, ut ostendat, hominem pecuniae cupidum maxime si iam antea patrimonii iacturam mercimoniis fecisset, cum id quod servaverat, tuto positurus, rursus non posuisset sed abiecisset, eo perductum facile putari posse, ut damnum suum quacunque posset ratione resarciret.

IMPERATORE MORTUO] i. e. cum iam pecuniae nulla opera comparandae viae praeclusae essent. Imperator vero

pecuniam, nescio quomodo quaesitam, dum vult in praedio ponere, non posuit, sed abiecit. Nihil adhuc m|— — — — — — — — — —|am calamitate vicinorum corrigit et quod stomachum suum damno Tulli *ex*plere conatus est.

qui fuerit, certo dicere neque superiorum aliquis editorum ausus est, neque ego audeo. Beierus cogitavit de C. Claudio Nerone, qui a. u. 674. 675. Asiam pro praetore prorogato imperio obtinuerit, et hunc esse eundem cum Claudio illo senatore opinatur. Sed quemadmodum Fabius imperatore i. e. C. Claudio mortuo ab eodem C. Claudio fundum emere potuerit, non extrico. Quid ergo? Asiae hunc imperatorem praefuisse, inde potest existimari, quod sub ipsius imperio Fabius, qui infra dicitur pater Asiaticus, pecuniae quaerendae videtur operam dedisse. Adde quod paullo ante de consulari Macedonia et Asia legimus. Itaque si quid coniecturae dare licet, hunc imperatorem nostrum fuisse putem L. Octavium, quem, cum Ciliciam proconsul aliquamdiu rexisset, praevenit mors antequam de provincia decederet, a. u. 680. Vid. Pigh. Annal. Tom. III, p. 304. Qui annus etiam mirifice convenit ei tempori, cui supra hanc orationem assignavimus. Neque adversatur, quod Octavius Ciliciam administravit, hic Asia commemoratur. Nam, ut ait Varro, *Asia dicitur duobus modis; nam et Asia, quae non Europa, in qua est Syria, et Asia dicitur prioris pars Asiae, in qua est Ionia et provincia nostra Cilicia.* Ciliciam quidem ex hoc loco extrudere conatum Turnebum redarguit Sigonius de i. provinc. 1, 10.

ADHUC M] Lacunam decem versuum Beierus hoc modo replevit: m[*agnopere miror, quod stultitia sua impeditus, quoquo modo posset, se expedire voluit. Illud vero mirari satis non queo, illud indignor, quod suam stultiti*]am calamitate etc.

EXPLERE] Ita Maius et Peyronus, cum duae litterae in codice evanuissent, hoc verbum redintegraverant. Beierus nunc dedit: *re*plere, quod quidem et ipsum rectum est, sed tamen caussa non fuit, cur prius supplementum reiiceretur. Nam stomachum damno explere pariter hoc loco dicere poterat Cicero, ac pro S. Rosc. Amer. 52. dixit *avaritiam explere pecunia.*

Est in eo agro centuria, quae populiana no- 16
minatur, Reciperatores, quae semper M. Tulli fuit,

CENTURIA] „*Centuriam* (inquit Columella V. 1.) *nunc dicimus, ut Varro ait, ducentorum iugerum modum. Olim autem ab centum iugeribus vocabatur centuria; sed mox duplicata nomen retinuit.*“ MAI. Locum Varronis vide in lib. IV. de L. L. p. 7. Gothofr. eique simillimum in incertis rei agrar. auctoribus apud Goes. p. 292. Adde etiam Varr. de R. R. I, 10. §. 2. Ceterum audiendus est Siculus Flaccus de condition. agror. ibid. p. 20. *Centuriae autem non per omnes regiones ducenta iugera obtinent, in quibusdam ducentena dena invenimus quadragena* (Goesius ex coni. legit: *dena, invenimus et quadragena*; sed probabilius emendabitur geminationis ope: *dena invenimus usque ad quadragena*). Plura de centuriis apud rei agrariae auctores demonstrabit index Goesianus.

POPULIANA] Codex, qui infra ter habet *populiana*, hic dicitur habere popiliana, quemadmodum etiam Heinrichius et hic et infra emendaverat. Idem quoque vir eruditissimus, et de litterarum *u* et *i* crebra permutatione eiusque origine egregie disputat et ita inauditum esse nomen Populiorum, ut Popiliorum notissimum observat. Sed quid vetat, quo minus fuerit ignotissima aliqua familia Populiorum, sicut fuit, praeter regem Pompilium, quidam *Plautus Pompulius* pauperculus magistratus sexti saeculi, cuius nomen non semel legitur in Marinii papir. diplomat. e. g. p. 177. aut quid vetat, quominus Popilii et Populii aeque promiscue scripti sint, ac *Minutii* et *Minitii*, de quibus vid. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 319. Verum nihil moveor. Nam ipsa nominum formandorum ratio, quae primis Romani nominis temporibus certissima fuit, Populios aspernatur. Est enim hoc nomen ex infinita eorum nominum vi, quae in *ilius* desinunt, et a quodam simplice verbo derivantur. Sic *servus* dedit *Servilius, Quintus Quintilius, sextus Sextilius, manus Manilius, lucus Lucilius,* sic etiam *popus* (pupus) *Popilius* (quod nomen Sigonius minus recte a *popillus* ducit). In omnibus his nominibus nunquam, dum incorrupta stetit antiquitas, *i* cum *u* commutatam invenies. Ergo si ab homine quodam hanc centuriam nomen accepisse statuimus, scribendum erit: *Popiliana,* vel, ut Ferrar. ad Philipp. 8, 8. hoc no-

quam etiam pater pos|— — — — — — — — — — —| posita esse et ad fundum eius convenire. Ac primum quod eum negoti totius et emptionis suae poenitebat, fundum proscripsit; eum autem emptum habebat cum socio Cn. Acerronio viro

men scriptum mavult *Popilliana.* Sed utcunque vere haec sint disputata, tamen a certissima, uti videtur, codicis scriptura discedere nolui. Nihil enim impedit, quominus aut, quod Beierus ad h. l. statuit, a planta, quae *populia* dicitur, haec centuria nomen invenerit, ut scribendum esset *populiana,* aut, quod mihi placet, ea, quae principio fuerit centuria Popiliana, perversa sed in ista regione vulgari pronunciatione paullatim in Populianae appellationem abierit. Quod idem accidit civitati, cui nomen Forum Popilii; vid. Plin. H. N. 3, 15. et Goes. Script. rei agrar. p. 134. Eadem enim etiam Forum Populi dicta est, testibus Goes. Script. rei agrar. p. 105. Itinerar. Hierosolom. ed. Wesseling. p. 616. et tabula Peutingerana. Neque hoc vitio librariorum, ut putat Cellar. Geogr. ant. Tom. I. p. 674. quem refellit hodiernum istius oppidi nomen *Forlipopoli.* Ceterum in dubia re a Beieri lectione: *c. populiana* interim non discessi.

PATER POS] Ingeniose Beierus hanc lacunam sic explevit: pater pos[*sederat sine ulla unquam controversia. Iste demum vicinus novus improbae spei eo securior, quod M. Tullius abesset, coepit inhiare, cum ei centuria populiana videretur satis commode*] posita esse etc. Ceterum Cicero, apud quem, ut ait Sulpitius Victor, ubique in narratione iam comparent semina argumentorum, ideo hoc addit, ut Fabii avaritiam et audaciam insigniorem auditoribus reddat; idem fere secutus praeceptum, quod Quinctilian. Inst. Orat. VII, 5. in possessoriis interdictis commendat. *In sponsionibus,* ait, *quae ex interdictis fiunt, etiamsi non proprietatis est quaestio, sed tantum possessionis; tamen non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse docere oportebit.* Nam etiam in vi bonorum raptorum actione non requiritur, ut in bonis sit res corrupta vel ablata, sed sufficit, si ex bonis est. Vid. §. ult. I. de vi bon. rapt. L. 2. §. 22. D. Vi bonor. raptor.

EUM AUTEM EMPTUM] Hoc ita intellige, Acerronium

op|*timo* — — — — — — — — — — — — — —| modum 17
proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane adroganter, quod commodum fuit, respondit. Neque

quidem emendi agri societatem cum Fabio coiisse, Fabium tamen solum emisse mancipioque accepisse. Nam etiamsi Fabius in emendo dixisset: Fundus ille est mihi et Acerronio emptus, tamen persona Acerronii ex abundanti addita habenda foret, et nihilominus totius fundi emptio ad ipsum pertineret. L. 64. D. de contrah. empt. Sane Fabius pro socio deinde compelli poterat, ut fundum communicaret, quod postea etiam factum quodammodo videtur.

VIRO OP] Beierus versus undecim, qui hic perierunt, sic restituere tentavit: viro op[*timo. Is Romae versabatur, quum subito nuntii M. Tullio veniunt a villa, P. Fabium fundi illius finitumi maiorem, quam ipse nuper cum Cn. Acerronio emisset*] modum proscripsisse etc. Ingeniose quidem; sed mea sententia hic iam dictum fuisse oportet, Acerronium istum fundum rursus a Fabio emisse; quod quin factum sit, dubitare nos non sinunt verba *illis absentibus* etc. §. 17. quae Beierus male ad C. Claudium retulit. Itaque haec forsitan restitutio probabilior erit: viro op|*timo: cum igitur nemo emere vellet, huic socio fundum impegit. Is tum Romae agebat, cum Tullio nunciatur, novos vicinos maiorem, quam ipsorum esset, fundi* | modum etc.

HOMINEM APPELLAT] Ecquis quem? Recte sine dubio Beierus contra priores editores monuit, Acerronium a Tullio appellatum cogitari debere. *Appellare* autem, ad iniuriam respiciens vocabulum, apte hic positum est. Cornel. Front. (apud Gothofr. p. 1333. v. 50.) *Appellatio,* ait, *appellantis vox est in ministerio et appellat ad potentiorem propter iniuriam, ut cum invocat auxilium magistratus, vel cum pecuniam reposcit.*

QUOD COMMODUM etc.] i. e. se non excusavit, sed quicquid primum in mentem veniret, excusationis caussa finxit; ut ille apud Terent. Phorm. I, 2. p. 81 seq.

—— —— —— *Omnia haec*
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum:
Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.

Similiter Cic. pro Flacc. 9. — *et in tabulis quodcumque commodum est, referre soleant.* et aliis locis.

dum fines auctor demonstraverat. Mittit ad procuratorem litteras et ad vilicum Tullius |— — — — — — — — — — —| facturum negavit; illis absentibus fines Acerronio demonstravit: neque tamen
18 hanc centuriam populianam vacuam tradidit. Acer-

NEQUE DUM FINES] De finium demonstratione quaedam habet Heinrichius ad h. l. Sed cum huius rei ratio tam a iudicibus nostris quam a doctioribus iurisperitis negligatur, proprio excursu eam exponere constitui; quem vide. Auctor est Fabius.

AD PROCURATOREM] Etiam de procuratorum antiquiore historia, occasione data, infra quaedam in medium proferemus.

TULLIUS] Lacuna, quae sequitur, decem versuum, a Beiero hoc modo expleta est: [*adirent C. Claudi procuratorem, ut ipsis praesentibus fines emptoribus ostenderentur. Is vero nescio qua contumelia suspicionis offensus hoc se*] facturum etc. Sed vehementer vereor, ne haec non procedant. Quid enim hic faciemus C. Claudio, quem fundum iam vendidisse possessionemque Fabio tradidisse, inde discimus, quod Fabius, non Claudius, fundum iterum proscripserat, et Fabius, non Claudius, M. Tullio vicinus factus, eum damno afficere voluisse dicitur? Ne multis, evidens est, omnia quae hic de proscriptione, finium demonstratione, vacua possessione tradenda commemorantur, non ad negotium inter Claudium et Fabium, sed inter Fabium et Acerronium contractum spectare. Itaque hoc fortasse supplementum rei accommodatius videatur: | *caverent finiumque demonstrationi interessent admonet. Hi Fabium adeunt, et cum fines demonstrarentur, se advocaret, verecunde petunt; at ille se* | facturum etc.

VACUAM TRADIDIT] „Venditus ager vacua possessio est, antequam traditus emtori, isque ingressus est possessionem. Hoc in Pandectis vulgatum nunc primum legimus apud Ciceronem. Sed in ipsa re, hac quidem parte orationis summa est obscuritas.“ HEINRICH. Cave credas viro doctissimo, cui in his rebus, de quibus inter ICtos quoque dissentitur, erravisse ignominiosum non est. Verum enim non est, hic primum apud Ciceronem de vacua possessione legi. De qua iamdudum legimus de Orat. 3,

55. ad Herenn. 4, 29. quae loca etiam laudavit Savinius Comment. de possess. p. 139. ed. noviss. praeterea Paradox. 6, 2. pro Rosc. Amer. 9. Adde etiam Liv. 30, 28. Quinctil. Declam. 12, 4. Porro etiam vacua possessio non dicitur venditus ager antequam emptori traditus est; sed fundi possessio, quae a nemine tenetur, ut recte definit Brissonius v. *vacuus*. Primum igitur observa, vacuam possessionem tantum esse fundorum, qui etiam proprie possidentur, numquam mobilium rerum: idque ita natura comparatum est. Nam mobiles res cum nos sequantur, ipsae magis a nobis traduntur, quam earum possessio. Neque hic ut vacua sit possessio, praestari potest; cum eas naturaliter nemo praeter nos teneat vel tenere possit. Contra fundi proprie non traduntur, sed possessio fundorum, h. e. efficitur tantum, ut is cui traduntur, in fundo *sedem ponat*, sive ut nemine prohibente ingredi et ingressus omnes a fundo arcere possit. Sed hoc rursus fieri non potest, nisi vacua possessio tradatur; nam cum cuilibet pateat fundus, etiamsi tu unam glebam pedibus calces, tamen securus esse non potes, ne alia parte erumpat, qui adhuc fundum tenuerit et te ingredi conatum repellat. Ideoque illud quoque receptum est, quod dicitur, nisi vacua tradita sit possessio, fundum nec emptori habere licere nec stipulatori in bonis fieri: quare et venditor et promissor fundi ex empto et ex stipulatu tenentur, ut emptorem stipulatoremve in vacuam fundi possessionem inducant. L. 3. §. 1. D. de action. empt. et vend. Gai. 4, 131. Vacui autem appellatio pertinet ad omnem, qui prohibere potest, ut etiamsi insciente venditore latrones fundum occuparint, vacuum non intelligi putem; quomodo enim, quaeso, possum dici possedisse eam rem, quam obtinere non potui? Quo magis idem dicendum de his, qui ventris nomine vel rei servandae caussa in possessione sunt, quoniam hi praeter facultatem et caussam habent alterum non admittendi. L. 2. §. 1. D. de act. empt. et vend. Unde patet, minus recte sensisse Savinium, qui (Comment. cit. p. 140.) hoc tantum ad emptiones et venditiones fundorum pertinere statuerit, cum pertineat ad omnes caussas, ex quibus rem habere licere vel etiam dari oportere praestatur. Deinde nec illud recte idem vir summus ponit, id tantum vacuum non intelligi, quod ab alio animo possideatur et quod vere ab alio possideatur. Immo magis ad solam corporalem possessionem referendum est. Animus enim a venditore ad emptorem in fundis non difficilius

ronius, quomodo potuit, se de tota re ex | — — — — — — — — — — — —| mine eiusmodi semustilatus effugit. Adducit iste interea in saltum homi-

quam in rebus mobilibus transfertur; sed in corpore differentia est, quare etiam quantum ad hanc speciem non multum refert alius possideatne an in possessione sit: itemque praesens sit an absens; nam fundorum possessionem, sive naturaliter sive civiliter possideamus, absentes procuratore non relicto semper solo animo retinemus, mobilium rerum nonnisi fere custodia. Ut igitur ad hunc, quem tractamus, locum redeamus, hic ideo vacuam possessionem Acerronius adeptus non erat, quoniam *illis* i. e. procuratore et villico Tullii absentibus et ignorantibus fines demonstraverat possessionemque tradiderat; quibus re nunciata facile repulsus est. Hic enim, ubi per alios possessio administratur, eorum tantum in possessione amittenda corpus et animus spectandus est, uti praeclare ostendit Papinianus L. 44. §. 2. L. 46. D. de acquir. possess. quem nostri non solent capere. Alia species, in qua colonus (is vero fortasse praesens) emptorem a venditore in possessionem missum non admiserat, emptorque aeque possessionem non adeptus visus erat, proponitur a Papiniano L. 18. pr. D. de vi.

RE EX] Beierus hanc postremam huius folii lacunam ita replevit: de tota re ex[*cusavit, cum primum potuit; Fabio autem statim renuntiavit (maluit enim rei quam existumationis facere iacturam) atque ex societate cum ho*]mine eiusmodi etc. Quo in supplemento postrema sententia est praeclara et huic loco unice conveniens. In priore eius parte illud *potuit* in eadem enunciatione bis positum aurem offendit; neque mihi Cicero in honorem Acerronii honesti forsitan viri, quem tamen supra (§. 16 et 17.) paullo asperius tractaverat tantum dixisse hoc loco videtur, quantum a Beiero restituta verba continent. Sed possunt facile alia substitui, utputa: de tota re ex|*cusavit apud Tullium; cum Fabio autem socio suo ac venditore rerum ad se non pertinentium quid egerit, non comperi. certe vehementer gratulari sibi potest, si ex negotio cum eiusmodi ho*|mine semustulatus effugit. Ex sequentibus apparet, Acerronium spem istius fundi ex emptione comparandi nondum abiecisse et cum Fabio simul aliquamdiu in agro Claudiano, quem Fabius cum eo fortasse communicaverat, versatum esse.

nes electos maximis animis et viribus, et îs arma,
quae cuique habilia atque apta essent, comparat:
prorsus, ut quivis intellegeret, non eos ad rem
rusticam, verum ad caedem ac pugnam comparari.
Brevi illo tempore Q. Cati Aemiliani hominis ho- 10
nesti, quem vos nostis, duo homines occiderunt;
multa alia fecerunt; passim vagabantur armati;
non obscure, sed ut plane intellegere viderentur,
ad quam rem parati essent, agros, vias denique
infestas habebant. Venit in Thyrinum interea
Tullius. Deinde iste paterfamilias Asiaticus, bea-

BREVI ILLO TEMPORE] Cramerus tentabat: *brevi illi tempore*, quod Heinrichio placebat, sed *illo* commodum sensum praestat et est retentum a Beiero.

Q. CATI AEMILIANI] „Ignoti hominis nomen." PEYR. Cave vero, cum Heinrichio putes, Catium hunc vel Catum a quodam Aemilio adoptatum fuisse; immo Aemilius fuit, a Catio quodam adoptatus; hoc enim exigit mutandorum in adoptione nominum ratio, quam exposuerunt ii, qui de nominibus Romanorum scripsere.

NON OBSCURE] Iam recte contra Heinrichium monuit Beierus, verba *non obscure* pertinere ad *agros vias denique infestas habebant*, non ad praecedentia. Ciceronis videlicet mens haec est, servos Fabii eo postremo venisse impudentiae, ut facinora sua amplius ne celarent quidem, sed palam, quasi ad hanc rem se paratos intellexissent, agros viasque infestarent. Quod enim quasi munus et officium alicui iniunctum est, id cur abscondat caussae esse nihil videtur. Similiter illud *non obscure* de criminibus tanta audacia commissis, ut ne celanda quidem is, cui obiiciuntur, putaverit, positum invenitur in Supplemento orationis pro Flacc. §. 1. *Cum urbanam infamiam, cum Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae, quibus in provinciis* non obscure *versatus es, vitia et flagitia protuleris* etc. Item pro Cluent. 19. Neque *id* obscure *ferebat, neque dissimulare ullo modo poterat.*

ISTE PATERFAMILIAS ASIATICUS] Recte observat Heinrichius irrisionem esse hoc loco in singulis plane auream. Nam omnia hic secum pugnantia Cicero coniungit, quae singula persequamur. Primum *Paterfamilias* ad

tus novus arator et idem pecuarius, cum ambularet in agro, animadvertit in hac ipsa centuria populiana aedificium non ita magnum, servumque M. Tulli Philinum. Quid vobis, inquit, 'stic negoti immeo est? Servus respondit pudenter, at non stulte, dominum esse ad villam, posse eum cum eo disceptare, si quid vellet. Rogat Fabius Acerronium, nam ibi tum erat, ut secum simul veniat ad Tullium. Venitur. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium deduceret, aut

veterem illam morum sanctitatem et frugalitatem respicit, nesciam ullius praeterquam ex agricultura quaestus. A qua quam aliena fuerit Asia, provincia, ut ait Tacitus Agric. 6. dives et parata peccantibus, instar omnium demonstrat ex oratione pro Flacco locus, ubi Cicero ut Asianos testes aliqua certe ex parte luxuriae infamia liberaret, his sibi opus esse verbis ratus est: *Homines sunt tota ex Asia frugalissimi, sanctissimi, a Graecorum luxuria et levitate remotissimi, patresfamilias suo contenti, aratores, rusticani.* Cf. etiam pro Rosc. Amer. 41. Deinde *beatus*, i. e. cupiditatibus vacuus, suoque contentus, qualem poetas hic illic celebrasse notum est (Vid Horat. Carm. II, 18. Epod. 1.) nemini minus convenit quam Fabio, cuius pectus lacerabatur infelicis emptionis recordatione, oculi inhiabant angulis vicinorum, manus denique delicatae terebantur operibus rusticis. Sequitur denique, *novus arator et pecuarius,* quorum duram et operosam vitam eo magis horrebat Fabius, quo recentior erat ab Asiatica luxuria. Haec omnia tamen illustriora fiunt meo iudicio, si sic, ut ego feci, distinguas. Beierus edidit: *pater familias, Asiaticus beatus, novus arator et idem pecuarius.* Sed hac distinctione similia componuntur, non opposita, quemadmodum irrisionis ratio postulat.

'STIC — IMMEO] Recte observat Peyronus, oratorem vulgarem pronunciationem expressisse. Nam etiam hoc pertinebat ad imaginem hominis avari et prae cupiditate non sui perficiendam.

DEDUCERET] De deductione, quae moribus fiebat, consule Savinii dissertationem, quae inscribitur de lite vindiciarum et exstat in libro, cui titulus: *Zeitschrift für ge-*

schichtliche Rechtswissenschaft herausgegeben von Savigny, Göschen und Eichhorn Tom. III. p. 427-434. ubi totus hic iuris civilis locus tam egregie illustratus est, ut pauca tantum animadvertenda relicta sint. Primum igitur apparet ex hoc loco, Tullium et Fabium de centuria illa populiana ad centumviros agere voluisse; nam cum deductio pars sit solemnis sacramenti actionis duodecim tabulis introductae vel confirmatae, consequitur, ut lege agere voluerint, lege autem agebatur Ciceronis aevo de rerum corporalium dominio tum tantum, cum centumviri iudicaturi erant. Porro in hac sacramenti actione, de qua videndus est Gai. 4, 13 — 17. cum necesse esset, ut praesens ac manifesta iniuria legum praetorisque auctoritate quasi feriretur et iudicio constituto vindicaretur, institutum erat, ut ambo litigatores in ea re, de qua agebatur, in iure manus consererent. Et quod ad mobiles quidem res attinet, quarum possessio sola apprehensione acquiritur, iam satis iniuriae factum videbatur, si ab utroque apprehensa erant; at in praedio ut domino iniuria facta videri et de dominio agi posset, hoc non sufficiebat propterea, quod fundi possessio non apprehensione sed depulsione et defensione quaeritur. Quae naturalis diversitas a nostris ICtis plerumque ignorata maximi est momenti et permulta iura in rebus mobilibus et immobilibus diverse constituit, ex quibus haec tantum afferam. Ad tuendam possessionem rerum immobilium duo interdicta proposita fuerunt, unum retinendae possessionis, quod appellatur Uti possidetis (in una specie de superficiebus), alterum recuperandae, quod dicitur de vi; at in rebus mobilibus inter retinendam et recuperandam possessionem discerni non potest, sed unum tantum, quod hanc possessionem tueretur, interdictum, quod incipit Utrubi, et necessarium et utile erat. Item si quis in fundo meo eat agat aliudve quid faciat, neque dicere velit, quo id iure faciat, semper mihi competit negatoria actio, quae non aeque rei mobilis domino accommodatur, nisi is, contra quem agitur, sibi esse ius utendi vel utendi fruendi dixerit: nam aut vindicatio ei sufficit aut nulla actio competit. Sed ad rem redeamus. In fundis igitur, ut ea, quae ad vindicationem requiritur, iniuria admissa esse dici posset, opus erat depulsione unius alteriusve litigatorum tum, cum lege ageretur, facta, quae quoniam dicis gratia et amice fiebat, nuncupata est *deductio*. Et haec quidem deductio primis temporibus et ipsa in iure fieri solita est, praetore cum liti-

ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius; vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabius. Mature disceditur.

gatoribus ad fundum proficiscente. Propagatis vero Italiae finibus et auctis iurisdictionibus (sic enim *auctis* pro *datis* apud Gell. N. A. 20, 10, unde haec discimus, legendum est, similiter atque apud eundem 4,4. pro *spondebat daturum* — *spondebat ducturum*) praetores gravabantur imaginariae actionis celebrandae gratia tam longinqua itinera suscipere, ideoque primum ipsos litigatores deductionem peragere, tantumque fundi glebam, in quam deinde revera ante praetoris oculos vindicarent, in ius secum afferre iusserunt. Postea vero ICtorum auctoritate invaluit, ut ipsa quoque via tantum fingeretur eiusque quaedam imago, quam Cicero in oratione pro Murena c. 12. facete describit, in iure repraesentaretur, deductione iam antea, quam in ius iretur, facta: quo iure tum, cum haec oratio haberetur, Romani usi sunt. Quemadmodum vero in his a Cicerone irrisis scilicet solemnitatibus nihil non necessarium, nihil non sic ut fiebat aptissimum fuerit, id, hoc loco demonstrare longum est. Illud tantum, quod ad rem pertinet, moneo, nihil interfuisse, uter utrum deduceret; postea enim, cum praetor vindicias dicebat, i. e. alterum interim possessorem constituebat, non inanem istam solemnitatem inspiciebat, sed ex facto, utrius adhuc possessio fuisset, inquirebat, eumque nisi aperta aequitas reclamaret (Cf. L. ult. D. de rei vindic.), etiam durante lite possidere iubebat. Itaque verus iustusque possessor moribus deductus hoc modo retinebat possessionem, dum in vindiciis dicendis vincebat; quodsi solida vi expellebatur, ut ad interdictum de vi confugiendum ei esset, scilicet amittebat possessionem, quo spectant illa in c. l. med. orationis pro Caecina. Nihil adhuc dixi de Beieri, doctissimi viri, excursu huic materiae dicato: et mallem nihil dicendum esset. Quid enim aliud dicere possum, quam me acerbe tulisse, quod res a Savinio tam bene ac vere distinctas hic rursus confuderit? Cum quo fortasse infra, si otium dabitur, item excursu quodam amice disputabimus eiusque asserta refellemus.

VADIMONIUM FABIO] Hinc patet, Fabium actoris, Tullium eius, unde peteretur, partes in ea lite, quae tunc parabatur, suscepturos fuisse. Vadatur enim is, cuius interest, alterum in iure sisti, i. e. actor: reus vadimonium

Proxima nocte iam fere cum lux adpropin- 21
quaret, ad illud aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria populiana, servi P. Fabi frequentes armatique veniunt; introitum ipsi sibi *vi* manuque patefaciunt; homines magni pretii servos M. Tulli nec opinantes adoriuntur, quod*que* facile factu fuit, neque tam multos neque re-

promittit. Attende autem, quod dicitur *promissurum;* tunc scilicet vadimonium fieri solebat, cum deductio peracta erat, quia antea frustra in ius se venturum possessor spondebat. Certe praetor eum cum actore remisisset ad agrum, ut vindicias sumerent alterque alterum deduceret.

MATURE DISCEDITUR] Cum ait Cicero *mature,* non obscure significare videtur, iam tum Fabium consilium vim Tullio inferendi agitavisse, domumque ideo properasse, ut omnia ad nocturnum istum impetum necessaria procurandi facultas esset. Omnia enim agit, ut id, de quo hic maxime disceptabatur, dolo etiam factum esse, quod factum non negabatur, recuperatoribus persuadeat. Nihil igitur opus, ut cum Beiero suspicemur, legendum esse: *rata re d.*

SIBI VI MANUQUE] Sic primus Heinrichius ex codicis scriptura *sibimanuque* restituit, laudatis exemplis locorum, in quibus *vis manusque* coniunctim leguntur, quibus addesis Cic. de invent. I, 54. pro Sext. 1. Dubitare quidem possis, annon deleta syllaba *si*, quae ex antecedente male repitita nasci potuerit, legendum sit: *ipsi vi manuque* etc. ut hic fere idem acciderit, quod in Florentina L. 2. §. 17. D. Vi bonor. raptor. lectione, quae sic comparata est: *Haec actio vulgo tibi bonorum raptorum dicitur*, dum ceteri codices recte habent: *vulgo vi bonorum* etc. Sed aegre careremus voce *sibi;* syllabam vero brevissimam *vi* a vicina devoratam eo facilius concedemus, quod aliis quoque locis eandem similiter interiisse comperimus. Nam et L. 1. §. 29. D. de vi, pro *videri deiectum* legendum, ut plerisque recte visum: *vi videri deiectum;* et L. 1. §. 27. D. eod. tit. in illo *vim vi repellere licere* codex Florentinus *vi* omittit. Vide etiam infra §. 31.

QUODQUE FACILE FACTU FUIT] Etiam virtutis laudem iis detrahit. Caeterum unusquisque admonitus facile sentiet, haec verba in codice, in quo legitur *quod facile*

pugnantes multi armati paratique occidunt; tantumque odii crudelitatisque *hab*uerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent, ne, si quem semivi*v*um ac spirantem etiam relinquissent, minor *i*is honor haberetur; praeterea tectum vil-

ad praecedens *adoriuntur* incommode inferri, et ad sequens *occidunt* proprie pertinere. Nam cum quisque quemque facile adoriri possit, quid otiosius cogitari potest, quam illud hic observari? Sed aliquem occidere, hoc non perpetuo facile factu est. Ergo codicis lectio est vitiosa, quam una addita littera *q.* i. e. *que*, quae hic eo facilius excidere potuit, quoniam haec coniunctio copulativa intra paucos versus sexies legitur, emendavimus. Illud etiam me non monente lector intelliget, omnia ista inde a *homines magni* usque ad *occidunt* uno spiritu esse legenda.

MINOR IIS HONOR] Cum codex habeat: *minorhishonor,* quilibet in veteribus codicibus non peregrinus largietur, aeque facile *minoris honor,* et *minor is honor,* et *minor his honor,* et *minor iis honor* legi posse. Itaque tota quaestio in sensu versatur. Qui in prima scriptura est nullus; in altera (quam Heinrichius, Peyronus et Beierus receperunt) perfrigidus. Quinam enim honor est in caede? quis maior in gurgulionibus insectis? et quonam alio honore is maior? An aliquid salis in hac sententia reconditum est? Mihi certe nullum videtur, nedum Tullianum. Rursus tertia lectio, quae a Beiero et ipsa defenditur, ea difficultate premitur, quod ad occisos honorem refert, quae sententia iterum paene inepta est, et si Ciceronis fuisset, saltem hoc modo verbis exprimi debuisset: *minor his honor habitus esse videretur.* Superest igitur, ut id, quod equidem reposui, lectori comprobem. Mea sententia haec est Ciceronis mens, servos Fabii idcirco tam crudeliter in familiam M. Tullii saevivisse, ut ne praemium fortiter factae caedi a domino positum, minus ferrent, si quosdam semivivos relictos nunciandum iis fuisset. Invidiam igitur Cicero conflat Fabio, qui egregio praemio ad caedem quam atrocissime faciendam familiam suam impulisset. Honor autem universe praemium significat, sed potissimum illud, quo qui rem bonorum laude dignam gesserunt, afficiuntur, ut revera praemium simul honori sit. Hoc igitur verbo usus et servos Fabii et Fabium insimulat,

lamque disturbant. Hanc rem tam atrocem, tam 22
indignam, tam repentinam, nuntiat M. Tullo Philinus, quem antea nominavi, qui graviter saucius e caede effugerat. Tullius statim dimittit ad ami-

quod tam atrox facinus etiam laudabile et honorifica dignum remuneratione existimassent. Quod vero de vocabuli honoris significatione dixi, multis confirmatur exemplis. Non. c. 4. (Gothofr. p. 666.) *Honor, praemium. Virgil. lib. V. (Aen. v. 249.) Ipsis praecipue ductoribus addit honores. Lucillius libro 30. Cuius cum vultu ac facie ludo ac sermonibus nostris, Virginis hoc pretium atque hunc reddamus honorem.* Adde Tibull. Carm. III, 1. v. 5. Sic et in iure nostro L. 6. pr. D. Mandati, *Si remunerandi gratia honor intervenit, erit mandati actio.* Cf. L. 1. §. 5. D. de extraord. cognit. L. 15. §. 2. D. de rei vindic. Sed et *honorem habere* hoc sensu saepe dicitur. Liv. 23, 11. *Pythio Apollini, rep. vestra bene gesta servataque, lucris meritis, donum mittitote, deque praeda manubiis spoliisque honorem habetote.* Idem 5, 25. *Honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum* etc. Denique ipse Cicero *honorem praemiumve* in publica caussa non semel posuit. Philipp. 8, 11. Etiam Graecos vocem τιμῆς hoc sensu usurpare, docet Oisel. ad Gai. epit. II, 9. §. 18. in Schultingii Iurispr. anteiust. p. 173.

DIMITTIT AD AMICOS] Heinrichius dubitavit, an recte haberet *dimittit*, non apposito, qui dimitteretur, nulloque exemplo hanc dictionem vindicari posse huic loco putavit. Sed ecce Livius 29, 37. eodem modo: *Lustrum,* inquit, *serius conditum est, quia per provincias dimiserunt censores, ut civium Romanorum in exercitibus quantus ubique esset referretur numerus.* Et quidni *dimittere* sic ponatur, quemadmodum simplex verbum *mittere* saepissime poni omnes concedunt, siquidem dimittere nihil est aliud quam in diversas partes mittere? Quod et Fr. C. Wolffius egregie, quamvis dubitante Beiero, ad h. l. adnotavit. Similiter etiam *summittere,* quod significat *clam mittere,* non additis hominibus, qui mittantur, Cicero dixit in Verr. II, 1. c. 4. 1. *Iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat.*

cos, quorum ea vicinitate tum illa bona atque honesta copia praesto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur, cum in amici comm| ——————

———————————————————————|

ILLA BONA] Ita codex et utraque Maii editio. Sed Cramero vox *illa* displicuit, legendumque visum est aut *illico* aut *illi,* quorum posterius Heinrichius unice approbavit, Peyronus et Beierus etiam in textum receperunt. Sed equidem nolui certissimam codicis litteram, quae et ipsa commodum praebeat sensum tam cito reiicere. Quid enim, si orator haec verba pronuncians, ad illos amicos, qui Tullium testimonio suo in hac caussa adiuverunt, digitum intenderit? Sed dubitare nos non patiuntur ea, quae in hisce laciniis statim sequuntur verba, in quibus Cicero similiter ut hic de honestis loquitur hominibus, qui sibi testimonium dixerint, sed quaedam non dixerint, quia ea nec vidissent nec scirent, quod ad alios quam ad hos amicos pertinere non potest. Illud quoque non praetermittendum, quod si diceretur: *illi praesto fuit,* sententia esset, illos amicos Tullio huiusce rei caussa illic praesto fuisse, quod valde ridiculum foret.

COMM] Alii aliter hanc vocem restituerunt, mihi restituere placet *commemoratione*, de quo statim. — In ea lacuna, qua hic hiscit oratio, Cicero primum rei gestae narratione finita, divisionem, quae a quibusdam (ad Herenn. 1, 3) pro peculiari orationis parte habita est, proposuit ac deinde ad caussam confirmandam perrexit. Iam cum appareat extremam codicis Ambrosiani partem a fine narrationis haud longe abfuisse, itemque folium tertium Taurinense circa initium confirmationis versatum esse, plus quam duo vel tria folia eius magnitudinis ac modi, cuius Taurinensia esse solent, hic interiisse non arbitror. Peyronus quidem particulam huius intercapedinis explevit fragmento a Victorino Comment. ad Cicer. Rhetor. lib. I. c. 57. servato in hunc modum: *Dicam vim factam a P. Fabi familia adversarii non negant. damnum datum esse M. Tullio, concedis: vici unam rem. Vim hominibus armatis factam, non negas: vici alteram. Dolo malo factum negas: de hoc iudicium est.* Sed quanquam omnes superiores horum fragmentorum editores in hoc sibi assentientes habeat, quod genuinum hunc ex ora-

tione pro Tullio locum esse existimat, mihi tamen res tam expedita esse non videtur. Neque enim sic, ut hic cernis, se habet locus apud Victorinum, sed is hoc modo verba Ciceronis suae orationi inserit: (apud Pithoe. p. 136. apud Capperonn. p. 155.) *Illa superior species cum proposuerit, quid conveniat, id ipsum ad se inclinat, ut pro se faciat id, quod adversarius confitetur.* Facit hoc Cicero pro M. Tullio (Obiter moneo, in Aldina Victorini editione p. 145. et hic et postea loco *M. Tullii* positum esse *Milonem* et loco *Fabii Clodium*, opera sine dubio et culpa editoris, Tullium et Fabium ignorantis) Dicam, *inquit*, vim factam a P. Fabii familia. adversarii non negant. *Hic proposuit, quod adversarii fateantur. Deinde ipsum* (L. *id ipsum*) *pro se fecit, dicendo*, Damnum datum esse M. Tullio concedis. Vici unam rem. *Item adiunxit alteram partem, in qua confessionem docet, cum dicit*, Vim hominibus armatis factam non negas. vici alteram. *Post quid in controversia sit proponit, cum dicit*, Dolo malo factum negas. de hoc iudicium est. — Ante omnia igitur, etiamsi haec verba neque sententias tantum Ciceronis fuisse concedatur, non constat, utrum uno tenore in Ciceronis oratione exstiterint, an, quod fere probabilius est, quaedam a Victorino omissa sint. Deinde nescio, quid sibi velit istud *dicam*, quod cum aliis quoque incommodum videretur, Heinrichius emendavit *dico*, Beierus vero primae et alteri enunciationi signum interrogationis apposuit, ut esset: *Dicam vim factam a P. Fabii familia? adversarii non negant. Damnum d. e. M. Tullio? concedis* etc. et cum intelligeret, ita distinctum fragmentum partitioni non convenire hinc sublatum infra §. 36. textui intulit. Sed et Heinrichii coniectura non multum proficit, et Beieri translatio nullo modo ferri potest; nam omnes, qui hunc locum retulerunt, qui sunt praeter Victorinum etiam Victor rhetor. c. 14. p. 78. ed. Mai. et Capella lib. 5. c. de partitione p. 434. Capperonn. eum ut exemplum partitionis usurpant, quam constat perpetuo confirmationi antecessisse. Vid. Cic. Rhet. 1, 21. 24. Postremo (ut alia mittam) maxime me offendit, quod haec partitio a Victorino laudata rei omnino non est accommodata. Nam et cum dixisset Cicero, vim factam a P. Fabii familia, adversarios non negare, iam tum addi debuisset: *vici unam rem*, quod Victorinus in sequenti demum parte addit; et istud enunciatum, quod

24 turbarunt. Audite, quaeso, in eas res, quas com-

Victorinus primo loco ponit, longe melius tertium obtineret. Ergo longe aptiora mihi videntur, quae Capella habet l. c. his verbis: *Damnum passum esse M. Tullium, convenit mihi cum adversario: hominibus armatis rem esse gestam, non infitiantur; a familia P. Fabi commissam, negare non audent. Iam dolo malo factum ambigitur.* quibus si suis locis interieceris: *vici unam rem, vici alteram, vici tertiam,* et in fine addideris *de hoc iudicium est,* non multum aberit, quin ipsa Ciceronis verba restitueris. Quod eo magis arbitror, quoniam Victor l. c. Ciceronis sententias eodem ordine protulit.

TURBARUNT] Cicero hic commemoraverat eas res, quas testes viderant, homines occisos, cruorem in locis pluribus, villam tectumque *disturbatum* (Cf. §. 21.). Immo siquis operam eiusmodi rei navare vellet, difficile non foret, totam lacunam, quae hic orationem interpellat, verbis replere. Dixerat enim Cicero, cunctae illi honestorum hominum copiae acerbam rem visam, cum amici in *commemoratione* tam indignae iniuriae moerorem et tristitiam viderent, sed et horribilem et exsecrandam, cum in eum ipsum locum adducti, ubi vis facta erat, inauditae crudelitatis vestigia conspexissent. — Hanc igitur rem gestam esse, hanc in iudicium deductam. Quam quidem ipsam sua potestate tam foedam esse ac tam atrocem, ut verbis foedior et atrocior reddi non possit, sed et adversariorum confessione tam manifestam et apertam, ut nulla oratione manifestior et apertior fieri possit. Itaque si hic orationi suae finem imponat, nihil omissum esse dici posse: verum ut et officio suo satisfaciat, neque consuetudine rerum defendendarum relicta, recuperatoribus minus honoris, quam talibus viris deberetur, tribuisse videatur, operam se daturum, ut aliquam saltim dicendi materiam reperiat, etiamsi ex miseris illis petenda sit cavillationibus, quibus adversarii desperatam caussam salvam praestare conati sint. Itaque si in verba iudicii inquirat, et ex his, quid concessum sit, quid probandum restet, seligat atque discernat, apparere, de hoc solum dubitari et verba fieri posse, an dolo malo factum sit. Nam damnum passum M. Tullium, convenire sibi cum adversariis, vicisse se unam rem; hominibus armatis rem gestam esse, eosdem non negare, vicisse se alte-

memoro, hominum honestorum testimonium. Haec quae mei testes dicunt, fatetur adversarius eos vere dicere; quae mei testes non dicunt, quia non viderunt, nec sciunt, ea dicit ipse adversarius. Nostri testes dicunt occisos homines, cruorem in locis pluribus, deiectum aedificium se vidisse; dicunt nihil amplius. Quid Fabius? Horum nihil negat. Quid ergo addit amplius? Suam familiam fecisse dicit? Quomodo? Vi hominibus armatis. Quo animo? Ut id fieret, quod factum est. Quid est id? Ut homines M. Tulli occiderentur. Quod ergo eo animo factum est, ut homines unum in lo-

ram; a familia P. Fabii vim commissam negare non audere; vicisse se tertiam, iam dolo malo factum ambigi, de hoc esse iudicium. Sed etiam de hoc sibi non magnopere laborandum fore. Quid ita? Nempe de factis eiusmodi, a quibus dolus malus separari nullo modo possit, ita constare, nihil ut supra possit. Haec enim partim comprobari honestissimorum hominum testimoniis, partim ipsa Fabii confessione, de quibus se deinceps dicturum esse. Quid igitur fecisse servos P. Fabii? *Homines occiderunt, villam disturbarunt. Audite* etc.

HOMINUM HONESTORUM] Hi sunt illa bona copia amicorum; quam iam antea dixerat *honestam* verbo in testibus laudandis solenni, non solum liberae reip. temporibus, sed etiam per totum medium aevum, cum barbari Romano sermone et ritu negotia gerere coepissent.

QUOD ERGO EO ANIMO] Locus cogitandi subtilitate et argumentandi vi insignis, cuius exemplo illustrari potest, quod Paullus L. 1. §. 2. D. de doli except. ait: *Sed, an dolo quid factum sit, ex facto cognoscitur.* Et Diocletianus et Maximianus AA. L. 6. C. de dolo malo: *Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit.* Similiter Imp. Hadrianus, cuius verba Ulpianus LL. Mos. et Rom. Coll. 1, 6. et Marcianus L. 1. §. 3. D. Ad L. Cornel. de sicar. referunt, rescripsit de dolo ex re esse constituendum; *nam,* inquit, *si gladium instrinxit, aut telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percusserit?* Obiter hoc moneo nonnullorum nostrae aetatis ICtorum caussa.

cum convenirent, ut arma caperent, ut certo consilio certum in locum proficiscerentur, ut idoneum tempus eligerent, ut caedem facerent, id si voluerunt et cogitarunt et perfecerunt: potestis eam voluntatem, id consilium, id factum a dolo malo
26 seiungere? Ad istuc totum DOLO MALO additur in hoc iudicio eius causa, qui agit, non illius, quicum agitur. Id ut intelligatis, Reciperatores, quaeso, ut diligenter attendatis. Profecto, quin ita sit, non dubitabitis.

27 Si ita iudicium daretur, ut id concluderetur, quod a familia factum esset; si quae familia ipsa in caede interesse noluisset et homines aut servos aut liberos coëgisset aut conduxisset; totum hoc iudicium et Praetoris severitas dissolveretur. Nemo enim potest haec iudicare, qua in re familia non

COGITARUNT ET PERFECERUNT] Recte; nam humano iure, cum hominum natura ex animo ac corpore sit composita, solus dolus, nisi factum accesserit, iniuriam non efficit (L. 225. D. de V. S.), aliter atque iure divino. Matth. 9, 4. 15, 19. Iacob. 1, 14. 15. Divinam enim naturam, quae est spiritualis, etiam solo animo offendimus.

ID CONCLUDERETUR] i. e. in iudicium deduceretur. Pro Quint. 21. *in hoc singulare iudicium causa omnis concluderetur.* Ulpianus L. 1. §. 4. D. Si quis ius dicenti non obtemper. *Hoc iudicium non ad id, quod interest, sed quanti ea res est, concluditur.* In lege Rubria de Gallia cisalp. col. 1. v. 42-44: *in eo iudicio, quod ex ieis, quae proxsume s. s. accipiantur, includantur, concipiantur, quae includei, concipei s. d. m. oportebit* etc. Cic. pro Caec. 22. iam laudavit Beierus. Cum vero iudici e formula iudicandum sit, is quoque formula *concludi* vel *includi* dicitur Cic. pro Rosc. Com. 4. Senec. de benefic. 3, 7. Attamen cum arbitrorum liberum sit iudicium, sic tantummodo de iudicibus, qui in stricti iuris vel in factum actionibus dati sunt, loqui possumus.

QUOD A FAMILIA FACTUM ESSET] Beierus haec maiusculis litteris expressit, nulla idonea suadente ratione.

NEMO ENIM POTEST etc.] Quanquam Ciceroni in eo,

interfuisset, in ea re eam ipsam familiam vi armatis hominibus damnum dedisse. Ergo id quia pot-

quod universa hac demonstratione evincere conatur, prorsus adsentiar, tamen vereor, ne quod hic asserit, magis caussae quam veritati inserviverit. Namque etiamsi sic esset compositum edictum, ut id demum, quod a familia factum esset, in iudicium veniret, et tunc ipsa familia non interfuisset, sed faciendum per alios dolo malo curasset, tamen non dubito, quin secundum actorem lis danda foret. Nam hoc iure utimur, ut parum intersit, suo corpore quis damnum dederit, an aliis dolo malo subministratis: immo quoties rei alicuius nomine iudicium adversus aliquem datur, toties si dolo eius factum est, quominus verbis alicuius constitutionis teneretur, perinde habetur, ac si in ipsa eius verba incidisset. Quod et naturali et civili rationi consentaneum est, et infinitis exemplis, si hoc loco attineret, comprobari posset. Sed quod initio dixi, id si exemplis tibi illustrari cupias, adeas L. 1. §. 8. et 11. D. Quod vi aut clam. L. 7. §. 4. D. Arb. furt. caes. L. 19. D. Rer. amotar. L. 1. §. 12. L. 3. §. 12. D. de vi. L. 15. §. 8. D. de iniur. L. 152. §. 1. et 2. L. 169. pr. D. de R. I. Apparet igitur, non id, quod Cicero dicit, in caussa fuisse, ut praetores eo, quo factum est, modo edicerent, sed ut demonstrarent, non omne omnino damnum, et ne omne quidem iniuria datum, sed id solum, quod dolo malo factum esset, acri iudicio se vindicaturos esse, ideo eos dolum malum huic edicto inseruisse. Quod in similis edicti interpretatione etiam Ulpianus innuere et ita a Cicerone dissentire videtur L. 1. §. 1. D. de eo per quem factum. — Caeterum Beierus pro *potest haec* legendum suspicatus est *potest post haec*. Sed ut non intelligo, quo valeat h. l. istud *post haec*, ita persuadere mihi non possum, *haec* esse vitiosum. Nam primum de his, quae sequuntur, non modo *hoc* sed et *haec* dici, tum cum non verbum, sed ratiocinium quoddam insequatur, omnes concedunt. Deinde vero, quod idem vir doctissimus asserit, si demonstrativum *hoc* vel *haec* sic, ut hic fit, usurpetur, simul ad superiora referri, id nescio an probari nequeat. Sic pro Cluent. 28. scriptum invenimus: *Nonnulli autem severi homines hoc statuerunt, quo quisque animo quid faceret, spectari oportere*; neque video, quemadmodum *hoc* ibi ad antecedentia referri possit.

erat fieri et facile poterat, idcirco non satis habitum est quaeri, quid familia ipsa fecisset, verum etiam illud, quid familiae dolo malo factum esset.
28 Nam cum facit ipsa familia vi armatis coactisve hominibus et damnum cuipiam dat, id dolo malo fieri necesse est. Cum autem rationem init, ut id fiat, familia ipsa non facit, fit autem dolo malo eius. Ergo addito DOLO MALO actoris et petitoris fit

QUID FAMILIAE — ESSET] Haec verba rursus Peyronus et Beierus litteris maiusculis excuderunt, nulla probabili ratione.

NECESSE EST] Quid igitur, si forte familia publica iussu magistratus coërcendi hominis contumacis vel seditiosi caussa vi hominibus coactis damnum dederit, num dices id dolo malo factum esse? Intelligit, pernecessariam fuisse etiam in hac specie, si ipsa familia faceret, doli mali mentionem.

ACTORIS ET PETITORIS] Peyronus ad h. l. observat, etiam Partit. 32. Ciceronem haec verba coniunxisse. Ego animadverti, actionem et petitionem una nominari ubicunque plenius omnia actionum genera significantur: ut in SCto Macedoniano L. 1. pr. D. Ad SC. Maced. et Velleiano L. 2. §. 1. D. Ad SC. Velleian. in stipulatione Aquilliana L. 18. §. 1. D. de acceptil. §. 2. I. Quib. modis toll. oblig. et in illa Ratam rem dominum habiturum L. 23. D. Ratam rem aliisque. Vid. Spangenberg. Iur. Rom. Tab. negot. solemn. p. 239. 246. 261. Initio quidem actionis appellatio magis ad personales, petitionis ad in rem actiones pertinuit, tradente Ulpiano L. 178. §. 2. D. de V. S. sed postea, origine huius differentiae oblitterata, utrumque et de sola in rem actione et de sola in personam actione usurpatum est, quod plerisque similibus appellationibus accidisse deprehenditur. Ceterum origo huius diversae appellationis haec videtur fuisse. Principio omnes actiones in personam quodammodo erant, quoniam etsi res vindicabatur, actor tamen nisi praedes litis et vindiciarum conveniendo suum consequi non poterat. Verumtamen in ea, quae in rem est, actione, cum id, quod nostrum est, *petere* et *repetere* videamur, res ipsa semper etiam petebatur, h. e. ad restituendum agebatur, quod de pecunia credita,

causa copiosior. Utrum enim ostendere potest, sive eam ipsam familiam sibi damnum dedisse, sive consilio et opera eius familiae factum esse, vincat necesse est. 29

Videtis Praetores per hos annos intercedere hoc *interdicto velut inter* me et M. Claudium:

quae nostra non est, dici non potest. Ita vindicationes petitiones nuncupari coeptae sunt: simul autem ne id verbum, quo ius magis demonstraretur, praetermissum esse et idcirco oratio manca videretur, adiici solitum *actionis* vocabulum. Quod idem pernecessarium erat tum, cum vel per sponsionem i. e. per personalem actionem vel per petitoriam formulam in rem agi incepisset, quae posterior formula ideo sic dicta est, quia per eam non in personam de re agebatur, sed nullis ambagibus ipsa res iudicis arbitrio petebatur.

FAMILIAM SIBI] Ita codex et utraque editio. Sed mea sententia hoc *sibi* non modo est otiosum, sed etiam pessime positum, siquidem facilius ad *familiam* quam ad actorem et petitorem referatur. Quare legendum existimo *vi damnum dedisse*, ut hic idem fere vitium deprehendatur, quod L. 2. §. 17. D. Vi bonor. raptor. Florentina lectione ad §. 21. retulimus. Nam cum superiorum aliquis librariorum *vi* solito errore mutasset in *bi*, sequens, hanc vocem ignorans, et aliquid praefigendum putans, hic *sibi* illic *tibi* scripsit.

VIDETIS] Eandem rem alius edicti exemplo declarat.

HOC — ME ET] Hic in codice unus versus legi non potuit, quam lacunam Peyronus, adstipulante Beiero, his verbis *interdicto inter* explendam arbitratus est. Sane utramque vocem huic loco unice convenire et abesse non posse neminem fugit; sed mihi praeterea etiam addito *velut* opus esse visum est; primum quod quindecim litterae solitum unius versus modum nondum aequant, deinde quod verbum aliquod desideratur, quo indicetur, rem, quam Cicero expositurus sit, non revera gestam esse, sed fingi demonstrandi intellectus caussa. Etenim si gestam rem Cicero commemorasset, et dicendum fuisset *Vidistis* vel *Meministis* et *intercessisse Praetorem* et certum quendam annum definiri oportuisset. Certas personas dixit, ut rem illustriorem redderet et quasi ante oculos poneret.

UNDE DE DOLO MALO TUO, M. TULLI, M. CLAUDIUS AUT FAMILIA AUT PROCURATOR

M. CLAUDIUM] Docte indagat Beierus, quis hic M. Claudius fuerit; sed frustra, ut opinor; est enim, ut iam significavi, fictitius adversarius. Hoc igitur solum quaeri potest, cur hoc potissimum nomen, quod non est ex illorum numero, quae plerumque exempli caussa ponuntur, Cicero elegerit. Quod fateor me nescire. Certe cum constet, nullum ex celebrioribus istius temporis Claudiis Marci praenomine usum fuisse, adducor ad credendum, Claudii nomen ut notissimum, Marci praenomen, ut fictionem demonstraret, a Tullio assumptum fuisse, neque hic quicquam delitescere reconditius, quod nos ignorare dolendum sit. Mos ille certa tantum nomina ut Lucii Titii, Mevii, Sempronii, in exemplis ponendis usurpandi postea demum videtur invaluisse.

UNDE] Exemplum est interdicti de vi ex vetustiori edicto, quod illa tempestate proponi solitum est, sed postea varias subiit mutationes. Primum enim (ut hinc incipiam) praetores paucis post annis verbo *detrusus* substituerunt *deiectus*, testante Cicerone pro Caec. 17. his verbis: *Quid? detrusum dices? nam eo verbo antea praetores in hoc interdicto uti solebant.* Unde quis suspicetur, orationem pro Caecina post hanc esse dictam, cui nec obstat, quod et ipsa, ut vulgo quidem creditur, Ciceronis praeturam praecedit. Illa vero vox *detrusus* idcirco videtur praetoribus displicuisse, quoniam eam solam vim, quae manu et ipso tactu corporis fit, significat, uti etiam Cicero l. c. docet. Deinde pro *de dolo malo tuo ille detr. e.* positum reperimus in Caeciniana c. 19 et 30. *Unde tu aut familia aut procurator tuus deiecisti.* Quod interdictum longe severius est superiori, siquidem eo propter servorum quoque ac procuratoris facta dominus alligatur: et in persona quidem servorum iustissime; his enim non cohibitis, si postea noxae deditis ei carendum erit, ipse sibi imputabit dominus: sed quod etiam procuratoris, cui bonorum suorum administrationem permisit, facta praestare cogitur, id quidem quamvis aedilium edictum (L. 1. §. 1. L. 25. §. 3. D. de aedil. ed.) adhuc similiter scriptum sit, paullo durius est, unde eius mentio in eo edicto de vi, quod Ulpianus (L. 1. pr. D. de vi) nobis servavit, merito est detracta. Cf. Cic. pro Caec. 20. L. 1.

§. 11-21. D. de vi. Sano vero is, qui hoc novum interdictum composuit, tantum abfuit, ut Ciceronis sententiae de vi ac potestate istius *dolo malo* accederet, ut eius mentionem adeo prorsus supervacuam duceret. Itaque etiam Ulpianus hoc edictum interpretans, *Deiecisse autem*, inquit, *etiam is videtur, qui mandavit, vel iussit, ut aliquis deiiceretur* (L. *deiiceret*)*: parvi enim referre visum est, suis manibus quis deiiciat, an vero per alium.* Ceterum mirum potest videri, quod infra §. 34. ubi plenius interdictum de vi refertur, verbis *de dolo malo tuo* iam illa altera *Unde tu aut familia aut procurator tuus* substituta inveniantur, praesertim cum illic affirmet Cicero, istam huius interdicti formam et tunc et apud maiores fuisse. Quam difficultatem hoc modo expedire mihi videor. Cum Cicero hanc orationem habebat (a. u. 683.), lex Cornelia de edictis perpetuis, quae lata est a. u. 688, nondum adegerat praetores, ut ex edictis suis perpetuis ius dicerent, unde saepe fiebat, ut in decernendo aliis verbis, quam quae in edicto proposita erant, ad caussam accommodatis sive iuste sive gratiose uterentur; cuius rei luculentissimum exemplum ipsa illa de addendo *iniuria* controversia in hac caussa agitata nobis praestat. Itaque si cuius familia deiecerat, interdicebant: *Unde a familia tua detrusus est;* si procurator: *Unde a procuratore;* denique si quis ipse deiecerat, aliis fortasse iuvantibus ista tempestate („per illos annos") praetores ita: *Unde de dolo malo tuo detrusus est,* saepius interdixerant. Ergo in edicto quidem plerumque vel perpetuo sic uti infra Cicero commemorat, exaratum erat, sed ipsa praetorum decreta variaverant. — Porro posteriore edicto illa verba *aut familia aut procurator eius (detrusus est)* omissa sunt, praetorque interdixit duntaxat: *Unde tu M. Claudium deiecisti.* Gai. 4, 154. ibique citata a Goeschenio loca. Nam, *quod servus* (ut ait Ulp. L. 1. §. 22. D. de vi.) *vel procurator vel colonus tenent, dominus videtur possidere: et ideo his deiectis ipse deiici de possessione videtur.* Adde Paull. S. R. V, 6, §. 3. (ubi nulla necessitas nec ratio cum Cuiacio legendi *deiiciat.*) Nihil igitur his verbis opus. Novissima denique huius edicti vicissitudo spectavit ordinem atque exitum interdicti de vi; abiecta enim sponsione sola arbitraria in factum actio, quippe quae fere unice usurpabatur, relicta et ipso edicto promissa est. L. 1. pr. D. de vi.

EIUS VI DETRUSUS EST cetera ex formula. Sicut ita interdictum est et sponsio facta, ego me ad iudicem si defendam, vi me deiecisse confitear, dolo malo negem; et quis me audiat? Non opinor qui-

DE DOLO MALO] Antiquior et plenior dicendi ratio pro simplici *dolo malo*, quae aliquamdiu in formulis videtur remansisse. Sed etiam communi sermone postea similiter usurpatum est *de industria*. Aliud exemplum non succurrit.

CETERA EX FORMULA] Sequebatur: EO EUM RESTITUAS, uti tam ex huius interdicti vi quam ex orat. pro Caec. 30. constat. Formulam vero intellige interdicti, quo praetor utebatur.

SICUT etc.] Et Peyronus et Beierus falsa distinctione effecerunt, ut hic locus sensu adhuc paene esset destitutus. Nam ille edidit: ex formula, sicut ita interdictum est, et sponsio facta. Ego me ad iudicem si defendam, *ut* vi me deiecisse etc. ubi particulam *ut* etiam contra codicis fidem interposuit. Beierus vero: ex formula sic, ut ita interdictum est et sponsio facta. Ego me ad iudicem si defendam: vi me deiecisse confitear; dolo malo, negem? et quis me audiat? etc. Utrumque fugit, partim formulam hoc loco esse interdicti, non actionis, quae ex sponsione fit; partim inde a verbo *Sicut* novam enunciationem incipere, cuius *πρότασις* illis demum *dolo malo negem* finitur. Igitur *cetera ex formula* idem est, quod nos perpetuo dicimus etcaetera, quod vel a praetoribus interdum usurpatum esse in decernendo, patet ex Gaio 4, 43. ubi istae voces *et reliqua* cum pars sint ipsius formulae, item maiusculis litteris exprimenda erant.

ET SPONSIO FACTA] „np. NI ADVERSUS EDICTUM PRAETORIS VIS FACTA ESSET." Vid. pro Caec. 16, 45. Cf. nostrae or. §. 53. BEIER. Immo sponsio, quam perpetuo ipsis interdicti vestigiis insistere oportebat, ex hoc interdicto sic componebatur: *Si contra edictum illius praetoris, unde de dolo malo tuo vi detrusus sum, eo me non restituisti, spondesne tot millia sestertium? Spondeo.* De sponsionum in interdictis usu et potestate adi Gaium 4, 161 - 166. et nostram commentationem de caussa Siliana, p. 5 sqq.

ET QUIS] „Hoc esse etymon vocis *ecquis* tradit Priscianus lib. I." PEYR. Cave tamen credas inter *ecquis* et

dem. Quia si vi deieci M. Claudium, dolo malo deieci; in vi enim dolus malus inest: et Claudio utrumvis satis est planum facere, vel se a me ipso vi deiectum esse, vel me consilium inisse, ut vi deiceretur. Plus igitur *valet* Claudi *causa si* inter-

et quis solum scripturae discrimen esse, non etiam sensus. Nam *et quis* tantundem valet, quantum *etiamne quis*; ut respondendum sit: ne ullus quidem omnino. Plene enim est *et aliquis*. Sed qui quaerit *ecquis?* plerumque exspectat, ut certus homo nominetur, quem adhuc ignoraverat. Illud etiam verbis interpositis divelli potest; *ec-quis* nunquam dicimus disiunctim. Cicero vero pro *et quis* plerumque dixit *et quisquam*, ut his locis: de l. Manil. 14. *Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit, qui* etc. ibid. 15. *Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit?* pro Cluent. 10. *Et est quisquam, qui cum haec cognoverit, suspicari possit, Oppianicum* etc.

IN VI ENIM DOLUS etc.] Verissima sententia, quam paene iisdem verbis retulit Ulpianus L. 2. §. 8. D. Vi bon. raptor. Hinc etiam Cassius praetor metus caussa exceptionem non proposuerat, contentus doli exceptione, quae est generalis; sed id quidem, cum metus exceptio latius pateat, minus recte, de quo vide Ulpianum L. 4. §. 33. D. de doli mali et met. exc.

ET CLAUDIO] Peyronus edidit: *inest. Et Claudio* etc. Beierus: *inest et Claudio* etc. Medium tenuere beati. Illud enim *et* coniungit quidem suo more, verum non proxime antecedentia, sed illa superiora *Quia si vi — malo deieci.* Quod ut clarius fieret, verba *in vi enim dolus malus inest* fortasse uncis erant includenda.

VALET — CAUSA SI] Hic versus in Peyroni Imagine codicis sic comparatus est: ***** CLAUDIO * U ***. Inde effecit Peyronus *prodest Claudio cum.* Sed apparet, nec spatium initio versus vacuum verbi *prodest* capax, nec ad posteriorem lacunam explendam unicam vocem *cum* sufficientem esse. Quare Beierus, quod mihi quoque aliquando in mentem venerat, supplevit: Plus igitur [*datur*] Claudio *cum*[*ita*]. Sed quanquam *datur* sic eleganter positum sit, tamen displicuit propterea, quod idem verbum statim alio

dicitur, unde a dolo malo meo vi deiectus sit, quam si daretur, unde a me vi deiectus esset. Nam in hoc posteriori, nisi ipse egomet deiecissem, vincerem sponsionem; in illo priore, ubi dolus malus

sensu redit. Cum igitur littera *o* in fine verbi Claudio incerta esset, iam non dubito, quin Ciceronis verba repererim scribendo: *valet* Claudi *causa si*.

A DOLO MALO MEO] Idem quod supra *de dolo malo tuo*. Nam hoc quoque significat, quicquid a dolo malo alicuius proficiscitur, ut haec duo *propter dolum* et *per dolum* complectatur. Similiter pro Rosc. Amer. 30. *Vir ab innocentia clementissimus*. Liv. 5, 44. *Nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti*. Sed res notissima.

DARETUR] i. e. interdiceretur; pariter ac *da* interdum ponitur pro *dic*, tam apud poetas quam in soluta oratione. Cf. Virgil. Bucol. 1, 19. Aen. 6, 65. Cic. Acad. Quaest. 1, 3. §. 3.

POSTERIORI] Ita codex. Peyronus et Beierus ediderunt: posterior*e*, quoniam postea sequitur *priore*. Sed hic opus non erat longa syllaba finali, cum sequens *ubi* praecedentem vocalem devoraret.

VINCEREM SPONSIONEM] Vincere sponsionem similiter dicitur ac vincere exspectationem, opinionem, quanquam minus etiam audacter. Nam cum actor reum sponsione provocet, lacessat, aggrediatur, reus vincere dicitur sponsion*em*, si eius ut arietis cuiusdam vel teli impetum comprimit, et e contrario sua restipulatione actorem alligatum tenet. Itaque actor si superior est actione ex interdicto, vincere sponsio*ne* recte dicetur, si reus, vincere sponsio*nem*; sponsio enim perpetuo solius actoris est. Quem quidem loquendi usum veteres scriptores diligentissime tenuere, sed librariorum ac deinde etiam magis interpretum huius rei ignoratione factum est, ut utrumque susque deque haberetur et pro lubitu modo sponsio*ne* modo sponsio*nem* vincere ederetur. Igitur in orat. pro Caec. 31. retinendum est *vincere sponsionem*, quod etiam tuentur codices MSS. omnes et editiones antiquae. Ibid. 32. restituendum ex quibusdam editionibus pervetustis: *vincit tamen sponsionem*; nam et hic de reo sermo est. E contrario ad Herenn. 4, 23. *ipse grandi sponsione victus*

additur, sive consilium inissem ut vi deiceretur, sive ipse deiecissem, necesse erat de dolo malo meo vi deiectum iudicari.

Hoc persimile atque adeo plane idem est in 31
hoc iudicio, Reciperatores. Quaero enim abs te, si ita iudicium datum esset: QUANTAE PECUNIAE PARET A FAMILIA P. FABI VI HOMINIBUS ARMATIS DAMNUM M. TULLIO FACTUM, quid haberes, quod diceres? Nihil, opinor. Fateris

est spectat ad reum, itemque pro Quint. 27. recte habet *ego sponsione vicerim.* Quintius enim sponsionem fecerat eratque actor: et pariter apud Gaium 4, 165. recte *sponsione vicerit.* De sponsionis hac victoria ad vota translata lege, quae scribit Serv. ad Virgil. Bucol. 9, 5. Apparet igitur nullo modo dici posse, (quod Beierus ad h. l. putavit) sponsionem vincere tantundem valere quantum nostrum *die Wette gewinnen.* Aliae quoque formulae, ut *vincere iudicium* vel *caussam* et *iudicio* vel *caussa* similiter explicandae sunt. Nam qui agit, vincit iudicio, interdicto, caussa; is quicum agitur, iudicium, interdictum, caussam. Cf. Cic. pro Rosc. Com. 18. L. 35. D. de action. empt. Gai. 4, 151. (ubi recordandum, in quibusdam interdictis utrumque esse actorem.) Sed cum iudicium et caussa etiam ad utrumque litigatorem referatur, non mirarer, sicubi forsitan reus quoque iudicio vincere diceretur. Denique semper licitati*one* nunquam licitati*onem* vincimus, et ubicunque posterius inveniretur, emendandum foret: nam naturaliter plus vel minus licitando semper quisque quemque superat.

FABI VI] Codex et editiones voculam *vi* non habent. Sed deesse non potest ideo, quoniam in illis, quae statim sequuntur et ad hanc formulam respiciunt, repetitur et quoniam Cicero hic eandem per omnia formulam exprimere voluit, quam supra § 7. vidimus, praeterquam quod dolus malus non adderetur. Refecimus autem mancam orationem eadem ratione, quam alii §. 21. iam adhibuerunt.

FACTUM] Sic recte restituisse Beierum tres codicis litteras evanidas, extra dubium ponunt edicti verba, ad quae haec actio formata est, L. 2. pr. D. Vi bonor. rapt. et ipsa formula actionis, quam supra habuimus §. 7.

enim omnia, et familiam P. Fabi fecisse, et vi hominibus armatis fecisse. Quod additum est, DOLO MALO, id te adiuvare putas; in quo opprimitur
32 et excluditur omnis tua defensio. Nam si additum id non esset ac tibi libitum esset ita defendere, tuam familiam non fecisse, vinceres, si id probare potuisses. Nunc, sive illa defensione uti voluisses, sive hac, qua uteris, condemneris necesse est: nisi putamus *eum in iudi*cium venire, qui consilium inierit; illum, qui fecerit, non venire; cum consilium sine facto intelligi possit, factum sine consilio non possit. An quod factum eiusmodi est, ut sine occulto consilio, sine nocte, sine vi, sine damno alterius, sine armis, sine caede, sine maleficio fieri non potuerit, id sine dolo malo factum
33 iudicabitur? An qua in re Praetor illi improbam defensionem tolli voluit, in ea re mihi difficiliorem actionem factam putabitis? Hic mihi isti singulari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt, et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo volunt delitescere; in quo non modo cum omnia ipsi fecerunt, verum etiam si per alios id fecissent, haererent ac tenerentur.

OMNIS TUA DEFENSIO] Cum Peyrono hic punctum posui. Beierus Ciceronem haec omnia interrogantis voce pronunciasse putavit. Quod mihi non probatur.

EUM IN IUDICIUM] Ita supplevi mutilum versum. PEYR. Peyroniana codicis Imago hunc versum sic exhibet: MUS****CIUM, ut quatuor tantum litterae desiderentur. Sed cum hoc modo versus efficiatur ceteris longe brevior, vereor ne hic minore diligentia, quam alias solet, versatus sit vir navissimus, ideoque eius supplementum retinui. Beierus abiecit vocem *eum*. De dictione *in iudicium venire*, quam Cicero toties hac oratione usurpavit, vid. Brisson. de V. S. v. *venire* §. 1. Ceterum plerumque personae, non res, in iudicium venire dicuntur.

Ego non in una re sola (quod mihi satis est) 34
neque in universa re solum (quod mihi satis est) set singilatim in omnibus dolum malum extare dico. Consilium capiunt, ut ad servos M. Tulli veniant: dolo malo faciunt. Arma capiunt: dolo malo faciunt. Tempus ad insidiandum adque celandum idoneum eligunt: dolo malo faciunt. Vi in tectum inruunt: in ipsa vi dolus est. Occidunt homines, tectum diruunt: nec homo occidi nec consulto alteri damnum dari sine dolo malo potest. *Er*go si omnes partes sunt eiusmodi, ut in singulis dolus malus haereat, universam rem et totum facinus sine dolo malo factum iudicabitis?

SET SINGILATIM] Ita codex. Beierus edidit: *sed* sing*u*latim. Sed in utraque voce utraque scribendi ratio in usu fuit.

CONSULTO — SINE DOLO MALO] Ne putes hoc esse inepte dictum, quasi idem sit *consulto* et *dolo malo* damnum dare. Neque enim doli mali substantia in eo consistit, ut consulto fiat, (quod Aegidius de Loehr existimavit) sed ut mala fide et contra bonos mores a sciente fiat, ut recte probavit Elversius noster in praeclaro de culpa commentario.

ERGO SI OMNES etc.] Quaero, quam ob rem Cicero tantopere desudaverit, ut in omnibus singulis factis familiae P. Fabii dolum infuisse demonstraret, siquidem sufficere videtur, universam rem dolo gestam ostendi. Sed ni fallor Quintius ad evitandam Tullii intentionem praeter alia argumenta hoc quoque priore actione usus erat, ut diceret, illud fortasse negari non posse, tum cum consilium cepisset familia Fabii conveniendi et servos M. Tullii aggrediendi, dolo malo eam fecisse: sed ipsum damnum, de quo solo in hoc iudicio disceptaretur, cum ipsa familia suis manibus fecerit, nunquam dolo malo eius factum esse dici posse. Hic enim iam non de consilio quaeri, verum de facto, quod nisi ab alio, quam qui dolum admisisset, profectum esse probari posset, absolvi Fabium ex formula necesse esset. Huic igitur fraudi occurrens Cicero ostendit, in toto facto inde a capto consilio usque ad occisos homines dolum malum haerere.

35 Quid ad haec Quintius? Sane nihil certum neque unum, in quo non modo possit, verum putet se posse consistere. Primum enim illud iniecit, nihil posse dolo malo familiae fieri. Hoc loco non

INIECIT] De huius verbi usu cf. praeter loca a Peyrono excitata etiam Cic. ad familiar. 12, 16. ubi dicitur *in sermone iniicere.* Ceterum *illut*, quod habet codex, correxi, quamvis sciam, etiam vaticanum librorum de rep. codicem saepius ita exhibere.

NIHIL POSSE] Familiae enim appellatione dicebat, non singulos homines sed corpus quoddam hominum demonstrari, quod ipsum corpus, cum affectu careat, non magis posse dolo malo facere, quam omnes universitates. De qua re cum apud nostros etiam acriter disputetur, paucis absolvamus. Populi, municipum, curiae, civitatis, collegii et similium appellationum duplex est significatio, iuris altera, altera facti. Si ius intuemur e. g. in civitate, fieri non potest, ut ipsa civitas delinquat; nam cum civitas iuris caussa constituta sit, ubi ii, qui iuris tuendi gratia coiere, iniuriam fecerunt, id quod fecerunt, civitas fecisse dici non potest; alioqui iuris vocabulum iniuriae manciparetur. Sed si factum spectamus, saepissime tam universitates delinquere quam singulos homines videmus, neque id mirum, cum hominum universitates et ipsae sint homines communis rei caussa sociati, et tam communis quam privatae utilitatis caussa peccari possit. Hinc iniusta bella, metus a collegiis illati, iniqua decreta, iudicia, leges. At vero quando ius, quando factum spectabimus? Respondeo: Ius in iure civili, factum in iure gentium. Civile enim ius non facto consistit, sed statu reip., qui ad ius pertinet non ad iniuriam, colligatur ac continetur; respublica vero, quatenus libertate nititur ab exteris gentibus armis defendenda, solo facto aestimatur. Quaecunque igitur iudicia vel publica vel privata iniuriae refrenandae caussa iure civili constituta sunt, his municipes, corpora ac collegia, nisi de hoc specialiter cautum sit (quod iure nostro factum est velut Auth. *Item nulla* et *Item quaecunque* C. de episcop.) non tenebuntur, sed singuli erunt conveniendi. L. 15. §. 1. D. de dolo malo. L. 4. D. de vi. Et hoc, ut dixi, etiam ad criminales poenas pertinet; quamquam enim si publica utilitas exigere videtur, ut universitates reip.

solum fecit, ut defenderet Fabium, sed ut omnino huiuscemodi iudicia dissolveret. Nam si venit id in iudicium de familia, quod omnino familia nulla

noxiae dissolvantur vel multentur, et potest et solet de hoc privilegium irrogari: tamen iudicibus a iuris constituendi potestate abstinendum est, quam nostri plerique non arrogantia sed errore usurpaverunt. Praeterea quoties in iure civili solum factum demonstratur, quod fit e. c. in omnibus praetorum edictis, quibus in factum actiones constitutae sunt, etiam legio aut civitas aut collegium dolo malo facere dici poterit: ut puta si curia aliquem metu coëgerit. Tunc enim non curia quidem, sed singuli, qui metum incusserunt, et qui rem possident, quod metus caussa actione tenebuntur; sed tamen verum est, metum illatum et praetoris edictum commissum esse. Et hoc est, quod sentit ac dicit Ulpianus L. 9. §. 1. D. Quod metus caussa. ceteris ICtis Romanis minime contrarius. Iam igitur quid dicemus de familiis delinquentibus? Etiam hae naturaliter delinquere possunt, ut omnes universitates, et cum praetoris edictum specialiter de damno, quod dolo familiae fiat, scriptum sit, etiam actio eo nomine erit. Quod eo magis dubitari nequit, quoniam familiae appellatione in huiuscemodi edictis ne significetur quidem quaedam iuris caussa constituta universitas, sed omnes alicuius domini servi. Ulpianus L. 195. §. 3. D. de V. S. *Servitutium quoque*, inquit, *solemus appellare familias, ut in edicto Praetoris ostendimus sub titulo de furtis, ubi Praetor loquitur de familia publicanorum; sed ibi non omnes servi, sed corpus quoddam servorum demonstratur, huius rei causa paratum, hoc est, vectigalis causa: alia autem parte edicti omnes servi continentur; ut de hominibus coactis et vi bonorum raptorum.* Apparet igitur, calumniosum fuisse hoc Quintii argumentum.

HUIUSCEMODI IUDICIA] In quibus facta familiae a domino praestantur, ut in interdicto de vi et de vi armata L. 1. pr. D. de vi. in actione redhibitoria L. 1. §. 1. D. de aedilit. ed. in iudiciis adversus familias publicanorum propositis L. 1. pr. L. 12. §. 2. D. de publican. in actione de bonis in naufragio, incendio, ruina raptis L. 1. pr. D. de incend. ruin. De omnibus vide Ulpiani locum proxima nota relatum.

potest committere, nullum est iudicium; absolvan-
36 tur omnes de *simili* causa necesse est. Hoc solum
bona mehercule *fide*, si hoc solum esset; tamen

DE SIMILI] Vox *simili* in codice paene obliitterata erat. Non dubito tamen quin Peyronus eam recte e vestigiis adhuc reliquis eruerit. Cf. ad Herenn. 1, 6. *Deinde cum diu rem duxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus, aut aliquorum de simili causa, aut de eadem, aut de minore, aut de maiore proferemus.*

HOC SOLUM BONA etc.] Haec verba vitio laborare, facile est intellectu. Beierus igitur aliquid excidisse ratus sic edidit: Hoc solum (bona, me Hercule [*res!*]) si hoc solum esset etc. Sed quicquid ibi eruditissime notet de vocibus post aliquam interiectionem repetitis, ego concoquere non possum, quid haec sibi hic velit *bona res*, praesertim cum *mehercule* ab isto *si hoc solum esset* divelli non posse videatur. Equidem primum ipsam vocem *bona* in vitio cubare arbitratus varia excogitaveram ei substituenda. Sed haec ut futilia facile abieci, posteaquam patruus meus, quem de hoc loco ut mihi videbatur desperato consulueram, responsum dedit, legendum esse: bona, mehercule, *fide*. Haec enim certissima est coniectura. Ad quam probandam ex infinitis iurandi formulae *bona fide* exemplis, quae lexica suppeditant, haec solum afferam ex comicis petita. Plaut. Captio IV, 2, v. 109.

Hegio: *Dic bonan' fide tu mihi istaec verba dixisti?*
Ergas. *Bona.*

deinde addit Ergasilus v. 111.

An tu dubium habebis, etiam sancte cum iurem tibi?

Mostellar. III, 1, v. 139 sq.

Theurop. *Bonan' fide?*
Tran. *Si quidem es argentum redditurus, tum bona:*
Si redditurus non es, non emit bona.

Psendol. IV, 6, v. 33.

Simo. *Bonan' fide istuc dicis?*

Denique rem conficit hic Terentii locus ex Heautontim. IV, 5, v. 13.

Chrem. *Bonane fide?* Syr. *bona hercle.*

vos, tales viri, nolle deseretis maximam rem, coniunctam cum summa re fortunisque privatorum, severissimum iudicium maximaque ratione compositum per vos videretur esse dissolutum. Sed non id solum agitur |———————| hoc iudicium sic exspectatur, ut non unae rei

NOLLE DESERETIS — VIDERETUR ESSE] Hunc locum quamvis sensu destitutum tamen ita uti codex eum exhibet, edidi, quia duae ei medelae adhiberi posse viderentur, ex quibus utram eligerem, haesitabam. Beierus enim correxit: nolle de*b*eretis — et postea: vider*i* pro vider*etur*; quo pacto sanus sensus efficitur. Mihi vero syllaba *tis* a verbo *nolle* transposita videbatur esse ad verbum sequens *desere*, quod olim fuerit *deserere*, et ante *severissimum* excidisse coniunctio *ne*, ut iam rescribendum foret: nolle*tis* desere*re* — *ne* severissimum —, quae lectio aeque et concinnam orationem et bonum sensum praestat. Igitur in re dubia, maxime cum mihi Beieri ratio, amicis, quibus utramque proposueram, nostra magis probaretur, lectori erudito optionem relinquo.

SED NON ID SOLUM] Quonam hinc perrexerit Ciceronis oratio, non facile est dictu. Fortasse periculum ab huiusmodi captiosis interpretationibus omnibus legibus ac iudiciis metuendum pluribus persequi coepit; fortasse Quintium, si dolo malo familiarum quicquam fieri posse negaret, tanquam patronum servilium seditionum, quae tunc remp. lacerabant, exagitavit; fortasse si nihil plurium hominum criminis societate coniunctorum dolo malo fieri putaretur, omnes victarum gentium rebelliones, exercituum grassationes, factionum tumultus excusatos fore demonstravit. Certe sententiae a Beiero suffectae non sunt huius loci. Is enim fragmentum huius orationis a Prisciano servatum hoc modo cum extremis codicis verbis coniunxit: Sed non id solum agitur [*in hoc iudicio, Reciperatores, ut M. Tullius per interdictum suum ius teneat atque iniuriam a P. Fabi familia factam persequatur; verum*] hoc iudicium etc. Caeterum eidem doctissimo viro in eo, quod illud fragmentum ex ea orationis parte, quae hic deperiit, desumptum esse existimat, prorsus adsentior.

UNAE REI] Huius dativi casus insolentius formati gra-

statui, sed omnibus constitui putetur |——————————

——————————————————————————|

37 ego intelligo; et tamen *di*cendum est ad ea, quae dixit Quinctius, non quo ad rem pertineat, sed ne quid, quia a me praetermissum est, pro concesso putetur.

38 Dicis oportere quaeri, homines M. Tulli iniuria occisi essent necne. De quo hoc primum quaero, venerit *ea res* in hoc iudicium necne. Si non venit, quid attinet aut nos dicere aut *hos* quaerere? Si autem venit, quid attinuit, te tam multis verbis a Praetore postulare, ut adderet in iudicium INIURIA, et, quia non impetrasses, Tri-

tia Priscianus hunc locum excitat; quare miror, Beierum, lectore non admonito, reposuisse: uni rei.

DICENDUM] Peyronus hic notat, oratorem, posteaquam edictum Luculli exposuerit atque caedem a familia P. Fabii dolo malo factam esse demonstraverit, iam progredi ad obiecta adversarii diluenda. Sed revera ea pars orationis, qua adversarii argumenta refelluntur, iam inchoata est §. 35.

VENERIT etc.] Tum videlicet, cum iudicium daretur. Peyronus ediderat: in iudicio, quod et ipsum dicitur (vid. Brisson. de V. S. v. *venire* princ.), sed Beiero monente contra codicis fidem. Sed quaeritur, utrum in ista Peyroni codicis imagine, an in eius editione, a codice discessum sit. Ego tamen interim Beierum secutus sum.

SI NON VENIT] Eadem fere disiunctione Cicero usus est pro Caec. 32. *Si esset additum, de eo quaeri oporteret; additum non est, tamen oportebit?*

SI AUTEM VENIT] i. e. si tacite in hoc iudicio inest.

UT ADDERET IN IUDICIUM] Ad hanc de iniuria disputationem, quae hic incipit, respicit, ni fallor, Scriptor dialogi de Oratoribus c. 20. *De exceptione et formula illa immensa volumina, quae pro M. Tullio aut A. Caecina legimus.* Nam in caussa Caeciniana nullam fuisse exceptionem, ex his illius orationis (c. 8.) verbis cognoscimus: *His rebus ita gestis, P. Dolabella praetor interdixit, ut est consuetudo, DE VI HOMINIBUS ARMATIS, sine ulla exceptione, tantum, ut,*

bunos Pl. appellare et hic in iudicio queri Praeto-

unde deiecisset, restitueret. Illa igitur verba *et formula* ex mente scriptoris ad orationem pro Caecina pertinent. Verum dubitare possis, an eiusmodi additamentum, quod ad actoris intentionem pertinet, recte exceptio vocetur. Sed animadvertendum est, exceptionem duplici sensu dici; plerumque quidem significat illud additamentum ad formulam, quod, profectum a reo, conditionalem efficit condemnationem, et hanc ob caussam perpetuo incipit verbo *Si* aut *Nisi.* Gai. 4, 119. Sed latiore significatione omnia vocantur exceptiones, quaecunque rei defendendi gratia formulis adduntur, sive a reo proficiscantur, sive ipsi formulae ab actore petitae iam insint. Quale est illud, quod interdictis possessoriis plerumque adiicitur: Quod nec vi nec clam nec precario ab altero possederit. Hoc sensu vocabulum exceptionis a ICtis Romanis usurpatum nunquam legi; saepius vero a caeteris scriptoribus, e. g. a Cicerone pro Caec. l. c., ubi significat additamentum: cum ille nec vi nec clam nec precario possideret. (cf. c. 31. 32.) item ad familiar. 7, 13. Neque hoc vituperari potest tempore lege Cornelia anteriore, quo formularum compositio nondum erat tam certa ac definita; sed nostros quoque ICtos, quamvis elegantes loqui de exceptione vis, clandestinitatis, precarii, semper aegre fero.

TRIBUNOS PL. APPELLARE] Animadvertamus ad h. l. insignem tribunorum pl. potestatem, qui appellati intercedendo id, quod publice a quoquam in rep. gerebatur, impediebant. Idque etiam ad iudicia privata pertinebat. Sed tamen cum omnis eorum vis esset in prohibendo, non in imperando (quare etiam magistratus dici non potuerunt; nam magistratus est, qui populi vim imperiumque exercet), efficitur, ut is quoque solum, unde peteretur, auxilium ab iis exspectare potuerit, ipsumque hoc auxilium in eo positum fuerit, quod iudicium aliquod iniquum accipere non cogeretur. Neque igitur postulabat Fabius tribunos, ut ad addendum voculam INIURIA praetorem adigerent, sed ut, nisi addidisset, imperium eius, purum iudicium accipi iubentis, inhiberent atque everterent. Itaque semper a reis, ne iudicium iniquum acciperent, tribunos appellatos invenimus, e. g. pro Quint. 20. Acad. Quaest. 2, 30. Ascon. ad orat. in toga cand. ed. Schütz Tom. XVI. P. II. p. 209. (Obstare videtur exemplum apud Valer. Maxim. VI, 5. §. 4.

ris iniquitatem, quod de iniuria non addidisset?

Sed ibi fuit intercessio adversus intercessionem, ut in alio exemplo, quod refert Liv. 4, 26.) itemque semper ante litem contestatam: nam lite contestata iam ius aliquod constitutum erat, cuius rescindendi nulla tribunis potestas competebat. Illud tantum post iudicium acceptum efficere poterant, ut dum causam orari et a iudice cognosci atque iudicari vetarent, iudicium per tempus potestatis suae ducerent; vid. e. g. Cic. pro Cluent. 27. ubi de tribuno dimisso legimus. Nam et qui iudici rem demonstrat et qui audit ac iudicat, publice aliquid gerit, et hinc est, quod tribunum interfari nefas habebatur. Plin. epist. 1, 23. quanquam hoc etiam specialiter lege Icilia cautum est (Dionys. Halic. lib. VII. sect. 319.). Ceterum ex his, quae dixi, existimari potest, quam vehementer ii errent, qui Imperatorum Romanorum potestatem, res iudicatas post appellationem rescindendi a tribunicia eorum potestate deducant. Immo haec ad Imperatores interposita appellatio, si rem spectas, nihil est aliud, quam provocatio illa, quae teste Cic. de rep. 2, 31. a primis inde temporibus ab omni iudicio poenaque fiebat ad populum, cuius cum omnis potestas lege imperii ad Imperatorem transferretur, consequens erat, ut is etiam ad appellationes pronunciare posset, eiusque sententia ius faceret. Illud solum concesserim, nomen appellationis propter appellationis et provocationis in eiusdem hominis persona similitudinem, paullatim a tribunicia potestate ad principale imperium traductum esse, ut mox (id quod in libris iuris nostri fieri videmus) utrumque nomen promiscue usurparetur.

DE INIURIA] Peyronus et Beierus ediderunt: de INIURIA. Sed aut scribendum erat: DE INIURIA, ut *de* partem formulae constitueret et hic perinde positum esset, ac supra *de dolo malo*, aut: de iniuria, ut tantumdem valeret, quantum haec multa verba: quod ad illam iniuriam in hoc iudicio quaerendam vel non quaerendam pertinet. Sed posterior sententia verior est; ubicunque enim ex ipsa formula hoc additamentum citatur (§§. 11. 12. 38. 41.), item in lege Aquilia et edictis praetorum, semper legimus *iniuria*, nunquam *de iniuria*. Huic geminus locus est infra §. 43. de quo, quae hic notavimus, pariter valent.

NON ADDIDISSET] Codex et utraque editio: *non addi debet*; sed nullo sensu. Quare correximus.

Haec cum Praetorem postulabas, *cum* Tribunos 39
appellabas, *nempe ita* dicebas, potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses, Reciperatores persuaderes, non esse iniuria M. Tullio damnum datum. Quod ergo ideo in iudicium addi voluisti, ut de eo tibi aput Reciperatores dicere liceret, eo non addito nihilo minus tamen ita dicis, quasi id ipsum, a quo *depulsus* es, impetraris? At quibus verbis in decernendo Metellus usus est? Ceteri, quos

NEMPE ITA] Malim: *tum nonne,* quod duplex illud *cum — cum* exigere videtur, et totus locus sic fit nervosior. Sed etiam *nempe ita,* vel quod Beierus proposuit, *nimirum,* eo defendi fortasse possit, quod Cicero his verbis Quintii calumniosam inconstantiam cum quadam irrisione exagitare dicatur.

RECIPERATORES PERSUADERES] Ita codex et Peyroni editio. Beierus emendavit: Reciperator*ibus* p. Sed ego a codicis fide discedere nolui, eo exemplo, quo etiam a melioris notae scriptoribus dici solet *persuasus sum* pro *persuasum mihi est;* hoc enim dici non posset, nisi etiam *persuadere aliquem* recte haberet. Illud vero ipse Cicero dixit ad Herenn. 1, 6. *cum animus auditoris persuasus videtur esse ab iis, qui ante contra dixerunt.* Omnino in iuvenilibus Ciceronis orationibus nonnulla inveniuntur, quae postea ut soloecismos videtur evitasse. Sic ex hac oratione habemus *unae rei, plicavi, explicavit.* Plura similia reperiuntur in Quintiana.

APUT] Ita codex. Beierus: apu*d.* Sed utraque scriptura in usu fuit.

DEPULSUS ES] Codex: *E***S*S; undo Peyronus restituit. detrusus; Beierus: depulsus. *A sententia detrudi* dixit Cic. ad famil. 14, 16. Idem tamen etiam *sententia depelli* Tuscul. Quaest. 2, 6. pro Ligur. 9. Item legimus *spe* vel *de spe depellere* apud Liv. 31, 25. et Cic. Catilin. 2, 7. Porro *a gradu* et *a re depulsus* dicitur Cornel. Nep. 2, 5. 14, 7. Depellendi igitur vocabulum in his locutionibus fere videtur frequentius.

METELLUS] De hoc vide supra p. 92.

USUS EST — APPELLASTI?] Ita codex. Peyronus quidem, duobus incommodissimis verbis invectis ediderat:

40 appellasti? Nonne haec fuit omnium oratio, quod
vi hominibus armatis coactisve familia fecisse di-
ceretur, id tametsi nullo iure fieri potuerit, tamen
se nihil addituros? Et recte, Reciperatores. Nam
cum perfugio nullo constituto tamen haec scelera
servi audacissime faciant, domini impudentissime
confiteantur, quid censetis fore, si Praetor iudicet,
eiusmodi caedis fieri iure posse? An quicquam
interest, utrum magistratus peccato defensionem
constituant, an peccandi potestatem licentiamque
41 permittant? Etenim, Reciperatores, non damno
commoventur magistratus, ut in haec verba iudi-
cium dent. Nam id *si* esset: nec reciperatores
potius darent, quam iudicem; nec in universam
familiam, sed in eum, *qui*cum nominatim ageretur;
nec in quadruplum, sed in duplum; et ad DAMNUM
adderetur INIURIA. Neque enim is, qui hoc iu-

At quibus verbis in decernendo Metellus usus est, *ea* ceteri, quos appellasti, *confirmarunt.* Sed hunc iam Beierus redarguit. Idem tamen, Peyroni, ut videtur, hunc locum intelligendi ratione deceptus, sic distinxit: At quibus verbis in decernendo Metellus usus est, ceteri, quos appellasti, — nonne etc. interpretandique gratia posuit, Ciceronem, anacolutho hic usum esse, sententiamque inchoatam ita fere absolvendam fuisse: *standum esse* (np. his verbis) *statuerunt omnes.* Sed si ita Ciceronem intelligimus, fateor, durius quidpiam atque inconcinnius me nunquam legisse. Sicut ego distinxi, nulla comparet durities, sed solum orationis impetus abruptis interrogationibus sustentatur. Ad illa enim: *ceteri, quos appellasti?* supplendum est: *quibus verbis usi sunt.*

NAM ID SI ESSET] Beierus voculam *si*, quae deesse non potest ante *id* interposuit. Ego secutus sum coniecturam censoris in Annalibus Heidelbergensibus a. 1825. p. 1250. Quae sequuntur, omnia a nobis supra ad §§. 10 et 11. iam sunt exposita, nihilque habeo, quod addam, nisi quod admonendus lector videatur, ut iis, quae Peyronus ac Beierus iuris illustrandi gratia ad h. l. notaverunt, quam cautissime utatur.

dicium dedit, de ceteris damnis ab lege Aquilia recedit; in quibus nihil agitur nisi damnum. Qua de re Praetor animum debet advertere.

In hoc iudicio videtis agi de vi; videtis agi de 42
hominibus armatis; videtis aedificiorum expugnationes, agri vastationes, hominum trucidationes, incendia, rapinas, sanguinem in iudicium venire. Et miramini, satis habuisse eos, qui hoc iudicium dederunt, id quaeri, utrum haec tam acerba, tam indigna, tam atrocia facta essent necne; non, utrum iure facta an iniuria? Non ergo Praetores a lege Aquilia recesserunt, quae de damno esset; sed de vi et armatis severum iudicium constituerunt: nec ius et iniuriam quaeri nusquam putarunt oportere; sed eos, qui armis quam iure agere maluissent, de iure et iniuria disputare noluerunt.
Neque ideo de iniuria non addiderunt, quod in aliis 43
rebus non adderent, sed ne ipsi iudicarent, posse

IN QUIBUS NIHIL etc.] Post *recedit* plenius interpunxi, ut significaretur, *in quibus* plus hic valere, quam quod haec verba ad *damnis* referat; quod si solum valeret, etiam statim post *de ceteris damnis* sequi oporteret. Revera autem his verbis *in quibus* etc. haec fere sententia continetur: *quoniam scilicet in his damnis nihil agitur nisi damnum.*

QUA DE RE etc.] h. e. in iudiciis postulantibus accommodandis animum debet praetor advertere, ut tum, cum vi armatis hominibus damnum factum esse dicatur, iniuriae vocabulum omittat, in ceteris damnis, cum lege Aquilia agatur, addat. Istic, ubi vis atrocissima acri poena vindicatur, nihil refert, utrum iure an iniuria facta sit; in lege Aquilia, quae damnum solum reparat, de iniuria quaestioni locus relinqui debet.

DE VI ET ARMATIS] Suspicor in codice excidisse *hominibus*, nisi legendum est: *armis.* Sed nihil muto. Beierus et haec verba et paullo antea *de damno* maiusculis litteris excudi iussit.

homines servos iure arma capere et manum cogere; neque quod putarent, si additum esset, posse hoc talibus viris persuaderi, non iniuria factum, sed ne quod tamen scutum dare in iudicio viderentur iis, quos propter haec arma in iudicium vocavissent.

44 Fuit illud interdictum aput maiores nostros de vi, quod hodie quoque est, UNDE TU AUT

HOMINES SERVOS] Servi appellationem etiam substantivis adiungi ut adiectivum, non est novum, ne apud Ciceronem quidem, qui dicit Agrar. 2, 3. *serva praedia.* Plerumque tamen rebus adiicitur, non personis, ut servum pecus, servae aedes, servus fundus. Cum igitur servum plerumque de rebus usurpetur, apparet, servos homines cum quadam contumelia dici, quae simplici voci *servi* non adhaeret. Sic etiam in Verr. 3, 40. *Cum vero hoc nemini persuadere possis, te tam amentem fuisse, ut Apronium, ac Turpionem, servos homines, tuo liberorumque tuorum periculo divites fieri velles* etc.

NEQUE QUOD PUTARENT] Paullo obscurius hoc significat Cicero: non ideo praetores de iniuria non addidisse, quod putassent, si additum esset, aliam huius iudicii naturam effici; nam etiamsi additum esset, cum vi armata nunquam non iniuria inferatur, nullius momenti foret; sed ne hominibus opportunitas daretur, ad hanc voculam confugiendi et ea addita iudicii naturam mutatam esse fingendi.

HOC — PERSUADERI] Sic recte codicis scripturam: *persuadere* emendavit Beierus. Nam ipsum verbum *iniuria,* formulae additum, nondum persuadet iudici, non iniuria factum; potest enim tam iniuria quam iure fuisse; plane vero hoc verbo addito persuadetur iudici ab eo, quicum agitur, iure factum, quod revera iniuria factum erat.

FUIT ILLUD] Sequenti loco hoc agit Cicero, ut, quod adhuc disputandi subtilitate vincere conatus erat, gravissimas defensiones, ei, qui vim intulit, concessas, tunc cum arma intervenissent, detrahi solere, id iam exemplo illustret.

UNDE TU] De huius interdicti verbis et quemadmodum componenda sint cum iis, quae superius §. 29. referuntur, vide quae illic notavimus. Hoc loco id solum admonere liceat, arbitrariae de vi actionis, quae exstat L. 1. pr. D. de vi, initium sic comparatum esse: *Unde tu illum*

FAMILIA AUT PROCURATOR TUUS ILLUM AUT FAMILIAM AUT PROCURATOREM ILLIUS IN HOC ANNO DEIECISTI. Deinde additur illius iam hoc causa, quicum agitur: CUM ILLE POSSIDERET, et hoc amplius QUOD NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO POSSIDERET. Multa dantur ei, 45

vi deiecisti, aut familia tua deiecit, quae differentia verborum magis est, quam sententiae.

IN HOC ANNO] Haec verba omittit Gai. 4, 154. brevitatis studio, sed eadem etiam in eo edicto, quod L. 1. pr. D. de vi, propositum est de vi, non leguntur; sed neque hoc mirari debemus. Iustinianus enim ibi illud solum interdictum, quo in factum actio ex interdicto de vi promittitur, servari iussit; haec vero in factum actio cum, ut antea quoque observavi, vice quodammodo interdicti fungeretur, et solo ordine atque exitu ab eo differret, et ipsa anno finita est, nisi quod de eo, quod pervenit ad eum, qui deiecit, similiter ut interdictum etiam post annum detur.

CUM ILLE POSSIDERET] Haec huius interdicti verba commemorantur etiam a Cic. pro Caec. 31 et 32; in in factum actione (L. 1. pr. D. de vi) non comparent, Iustiniani culpa, ni fallor. Is enim, nescio quo casu, illam in factum actionem, quae propter vim armatam proponebatur, cuius etiam Ulpianus L. 3. pr. D. de vi, meminit, detracta tamen armorum mentione, quasi exemplum totius de vi interdicti ex Ulpiani commentariis describendum curavisse videtur, qua in actione, ut paullo post videbimus, illa verba: *cum ille possideret,* omittebantur.

QUOD NEC — POSSIDERET] Notissima illa rei defensio, sine qua, posteaquam ex edicto perpetuo ius dici coepit, hoc interdictum nunquam pronunciatum est; quam quis enim possessionem vitiose ab adversario nactus est, eam quasi aequitati contrariam praetor merito pro nulla habuit. Eadem exstat in Caeciniana c. 31 et 32. in Fragm. legis Thoriae (Goes. auct. rei agrar. p. 332.) apud Gai. 4, 154. 155. et Paull. S. R. V, 3. §. 1. 7. ac particula quaedam ipsius in epistola Ciceronis ad Trebatium data, ad Familiar. 7, 13. his verbis: *Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris,* quae rursus ex generali edicti formula efficta et caussae, quae agebatur, quasi accommodata putanda

qui vi alterum detrusisse dicitur; quorum si unum quodlibet probari iudici potuerit, etiamsi confessus

sunt. Peyronus voculam QUOD, ut ab ipsa formula alienam et solum contextus caussa additam vulgaribus litteris expresserat. Unde quaestio exoritur, utrum istae duae exceptiones *Cum ille possideret* et *Quod n. v. n. c. n. p. possideret* in formula interdicti una complexione enunciata fuerint hoc modo: *Cum ille nec vi nec clam nec precario possideret*, ut Cicero et hic et pro Caec. l. c. sola re disiuncta etiam verbis disiunxerit, an vero tota formula ita concepta fuerit: *Unde tu aut familia* etc. *vi deiecisti, cum ille possideret, quod nec vi nec clam nec precario abs te possideret, eo illum restituas.* Priorem sententiam Savinius, vir summus, tuetur libri de possessione §. 40 p. 396. sed suspicione magis ac coniecturis quam argumentis usus. Posterior mihi verior videtur. Ut enim taceam Ciceronis et hic et pro Caecina verba in hanc rem satis expressa, maxime hoc loco, ubi dicit: *deinde ait*, et postea: *hoc amplius* etc. fragmento legis Thoriae antea excitato res extra omne dubium ponitur; ibi enim duae caussae diserte separantur his verbis: (1) *quod eius is, qui eiectus est, possideret*, (2) *quod neque vi neque clam neque precario possederit ab eo, qui eum ea possessione vi eiecerit.* Et sane etiam iuris ratio sic scriptum fuisse suadet; nam si solum exceptum fuisset, *quod n. v. n. c. n. p. possideret*, si quis eum, qui, quia omnino non possederat, nec vitiose possedisse dici poterat, possessione detrusisset, consequens fuisset, ut is quoque de possessione ei restituenda interdicto teneretur, deiecisse enim eum, quae appellatio facti magis quam iuris est, negari non poterat; quae ratio efficiebat, ut etiam illud addendum esset: *cum ille possideret.* Hinc igitur simul apparet, vocem QUOD tanquam formulae portionem, sicut Beierus et nos fecimus, maioribus litteris distinguendam fuisse. An hoc simile sit in illa exceptione in epistola ad Trebatium, nondum certo constitui, quoniam codices manuscripti ibine habeant NON, an non habeant ex editorum, quos vidi, notis intelligi non potest. Si habent, omnino cum Beiero (edit. hui. orat. p. 3.) scribendum est; QUO TU — NON VENERIS; si non habent: quod tu non — veneris. Tum enim non ipsa exceptionis verba, sed quid ea contineatur refertur.

erit, se vi deiecisse, vincat necesse est: vel non possedisse eum, qui deiectus sit, vel vi *ab* se possedisse, vel clam, vel precario. Ei, qui de vi confessus esset, tot defensiones tamen ad causam optinendam maiores reliquerunt.

Age illud alterum interdictum consideremus, 46

VEL VI AB SE] Verba *ab se* a Peyrono contra codicis fidem praetermissa iam Beierus restituit: et plane deesse vix possunt. Neque enim sufficit deiectori probare, actorem a quolibet vel vi vel clam vel precario possedisse, sed ab ipso adversario, ita eum possedisse, probari oportet. Vid. Fragm. legis Thoriae cit. Cic. pro Caec. 32. §. 4. I. de interdict. L. 1. §. 9. L. 2. L. 3. §. 10. D. Uti possid. L. 17. D. de precar. L. 53. D. de acquir. vel amitt. poss. L. 1. §. 30. L. 18. pr. D. de vi. Paull. S. R. *V*, 6. §§. 1 et 7.

ILLUD ALTERUM INTERDICTUM] Quodnam? Silet quidem codex, mox deficiens, sed certissime constat, Ciceronem in sequentibus interdictum, quod vulgo de vi armata appellatur, proposuisse et cum interdicto de quotidiana vi contulisse. De quo ne dubitemus, facit totius loci ratio et argumentorum consequentia. Nam supra §. 43. Cicero concluserat, in iudicium de vi armatis hominibus non propter damnum sed propter arma homines vocari ideoque illam defensionem, iniuria factum esse, quae in lege Aquilia valeat, ab hac actione alienam esse. Hoc iam exemplo illustraturus consimile interdictorum par affert, quorum altero qui conveniatur, quibusdam defensionibus perinde adiuvetur, atque is, qui damnum dederit et lege Aquilia caussam dicat. Huic vero interdicto ut alterum simile sit eique quod Cicero probaturus erat conveniens, necesse est, primum ut ex eadem caussa veniat, deinde ut asperius sit in eum, qui deiecit, detractis illis additamentis, quae eum, qui vi solum deiecit, tuentur, postremo ut ita institutum sit propterea, quod ipsum factum, ad vim etiam armis additis, atrocius sit. Quae omnia in unum de vi armata interdictum cadunt. Hoc enim interdicto duas istas defensiones, *Cum ille possideret*, et *Quod n. v. n. c. n. p. possideret*, consulto et iudicii exasperandi gratia praetermissas esse, itidem multis ostendit Cic. pro Caec. 31 et 32. Neque tamen illic similiter, quo tempore hoc interdictum compositum fuerit, refert, eam, opinor, ob caussam, quod

quod item nunc est constitutum propter eandem ini-

tunc, utpote pluribus iam interiectis annis, origo huius actionis ex hominum animis excedere iam coeperat. Videamus vero, an verum sit, quod Cicero h. l. asseverat, in interdicto de vi armata illa duo rei praesidia non venisse. Et de posteriore quidem, *Cum n. v. n. c. n. p. possideret*, nulla est controversia; vide praeter Cic. pro Caec. l. c. etiam Gai. 4,155. Sed de priore quoque, *Cum ille possideret*, quoad verba, Ciceronis auctoritati creditur, haec in hoc interdicto omissa fuisse, quanquam quemadmodum id factum sit, minus recte ceperit Savinius de possess. §. 40. p. 395. sq. ut modo ostendi. Idem tamen vir praeclarus eodem loco probare conatur, Ciceronem, cum Caecinam in hoc defenderet, quod in interdicto de vi armata actorem tum, cum deiiceretur, possedisse necessarium non esse diceret, magis patronum quam ICtum egisse. Idque hanc maxime ob caussam credibile fieri censet, quod Cicero, nisi hoc latibulo se condidisset, Caecinae, qui non possederat, caussam teneri non posse intellexisset; itaque maluisse eum rem evidenter falsam statuere orationisque subtilitate, si posset, recuperatoribus persuadere, quam victoriam adversario protinus concedere. Verum hoc argumentum huic nostrae orationis loco, ubi tota illa res non nisi in transcursu tangitur et ad caussam tenendam non multum valet, adhiberi non posse apparet, itaque fere ad credendum adducimur, Ciceronem et hic et pro Caecina quae defenderit, non modo pro cliente sed etiam ex animi sententia dixisse. Relinquitur igitur illa solum quaestio, an probanda sit Ciceronis opinio necne. Et puto probandam; puto illa tempestate actor ut possedisset tum, cum deiiceretur, in interdicto de vi armata necesse non fuisse. Cum enim hoc interdictum ad exemplum illius, quod de vi est, compositum sit, et idcirco introductum, ut vis armata quibusdam auxiliis, quae ei, qui vi tantum deiecerat, praesto erant, orbaretur, necesse est, ut quemadmodum alterius defensionis eiiciendae certum fuisse consilium omnes concedant, etiam cur priorem hic omitterent, caussam habuisse praetores existimemus, eaque non video quae alia esse potuerit, quam ut is quoque, qui non possedisset, si armis detrusus esset restitueretur. Ergo et pro Caecina iustam caussam Ciceronem defendisse et hic apto exemplo rem, de qua ageret, illustrasse arbitror. Ceterum hoc de

quitatem temporum nimiamque hominum ——————

————————————————————————

boni debent dicere. Atque ille legem mihi de 47

eo iure, quod Ciceronis tempore valebat, censeo; non etiam de posteriore, de quo fere inclino in illam sententiam, postea creditum esse, neminem nisi qui possideret, deiici posse, ideoque etiam in interdicto de vi armata, qui deiectus esset, ut possedisset, requiri. Immo illud quoque fortasse cuipiam placeat, in interdicto de vi postea item verba: *Cum ille possideret* ut superflua omissa esse, de quo tamen nihil affirmare audeo. De interdicto de vi armata, cuius in factum actionem, ut supra monui, Iustinianus nobis servavit, testis est Ulpianus, qui, actionem illam, in qua neque de vitiosa possessione neque de possessione quicquam legitur, illustrans hisce verbis utitur, L. 1. §. 23. D. de vi et vi arm.: *Interdictum autem hoc nulli competit, nisi ei, qui tunc, cum deiiceretur, possidebat:* NEC ALIUS DEIICI VISUS, QUAM QUI POSSIDET. Fortasse non dubitaremus, si Gai. 4, 155. clausula legi potuisset, quo loco eum de hac re egisse, probabile est. Priorem eiusdem §phi partem, quam Beierus ad h. l. e codicis vestigiis supplere quidem, sed minus probabiliter tentavit (imperfectum enim tempus illius non est loci), sic mihi restituere videor: *Interdum tamen pote* (potest) *fieri ut deiecto, et.* (etiam) *quum a* (aut) *vi aut clam aut precario possideret, cogar rei restituere possessionem.*

HOMINUM] Peyronus eumque secutus Beierus de suo addiderunt: *licentiam.* Quot hic folia desiderentur, definiri non potest; plane Ciceronem ibi, ubi codex denuo incipit, in Quintio confutando adhuc occupatum invenimus, unde credibile est, non tam multa periisse.

ATQUE ILLE] Supra Tullius ostenderat vel ostendere studuerat, in hoc iudicio, utrum iure an iniuria vis facta esset, nihil referre. Sed cum aut ipse huic generi defensionis diffideret, aut omnia Quintii argumenta radicitus evellere satius duceret, iam interim de iniuria hic quaeri oportere, posuerat nec tamen concesserat, et nunc ita quoque Quintium refellere conatur, ut servos M. Tulli nullo iure occisos esse et tum quoque, si INIURIA additum fuisset, Fabium condemnari oportuisse demonstret: quem in finem Quintii argumenta singulatim perlustrat. Hic vero confirma-

XII tabulis recitavit, quae permittit, ut furem noctu liceat occidere, et luci, si se telo defendat; et legem antiquam de legibus sacratis, quae iubeat impune occidi eum, qui Tribunum pl. pulsaverit. Nihil, ut opinor, praeterea de legibus.

48 Qua in re hoc primum quaero, quid ad hoc iudicium recitari istas leges pertinuerit. Num quem Tribunum pl. servi M. Tulli pulsaverunt? Non opinor. Num furatum domum P. Fabi noctu

tionem suam ita instituisse videtur, ut probaret, hominem occidere neque nunquam esse permissum, neque ad hoc ut iure caesus esse videretur, magnam aliquam caussam, fortasse summum vitae ipsius occisoris discrimen, desiderari, sed sufficere etiam levioris generis impetum, immo solum rei familiaris periculum; in quas res leges aliquas recitaverat. Et quod ad legem XII tabularum attinet, hanc Quintius similibus verbis in suam rem vertisse putari potest, atque alibi fecit ipse Cicero pro Mil. 3. *Quodsi XII tabulae nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici inpune voluerunt; quis est, qui, quoquomodo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus.*

LEGEM ANTIQUAM] Antiquam dicit cum aliqua Quintii reprehensione, qui tam casca et paene obsoleta protulerit. Ceterum de legibus sacratis, quibus Tribuni plebis muniti erant, peculiarem dissertationem quamvis haud magni momenti conscripsit F. Plattner, quae inscribitur: de legibus sacratis. Lips. 1741. 8.

TRIBUNUM PL.] Codex TR. PL. (non, ut Beierus ad h. l. refert: PLEB.) quorum compendiorum posterius hic, ut supra §. 38. retinui, quoniam monente Beiero, et *plebei* et plebis id explicari potest. Verba *qui — pulsaverit* in editione Lipsiensi maiusculis litteris expressa sunt.

NON OPINOR etc.] Notatu dignissimae sunt hae formulae negandi: *non opinor, ne id quidem, dici non potest,* non tam huius loci caussa, quam alius huic simillimi sed difficillimi ex oratione pro Quint. 19. ubi tantum non in omnibus manu typisque exaratis codicibus legitur: QUI FRAUDATIONIS CAUSA LATITARIT. *Non est*

venerunt? Ne id quidem. Num luce furatum venerunt et se telo defenderunt? Dici non potest. Ergo istis legibus, quas recitasti, certe non potuit istius familia servos M. Tulli occidere.

Non, inquit, ad eam rem recitavi, sed ut hoc 49 intellegeres, non visum esse maioribus nostris tam indignum istuc nescio quid, quam tu putas, hominem occidi. At primum istae ipsae leges, quas recitas, ut mittam cetera, significant, quam noluerint maiores nostri, nisi cum pernecesse esset, ho-

is Quintius: nisi si latitant, qui ad negotium suum, relicto procuratore proficiscuntur. CVI HERES NON EXSTABIT. *Ne is quidem.* QUI EXSULII CAUSA SOLUM VERTERIT. *Quo tempore existimas* etc. Quae oratio cum mutila esse omnibus fere interpretibus iure videretur, Hotomanus (Lambinum consulto sileo) in libro manuscripto perantiquo invenisse se testatus est, inter *Verterit* et *Quo tempore* haec verba: *Dici id non potest.* QUI ABSENS IUDICIO DEFENSUS NON FUERIT. *Ne id quidem.* Sequentes quidem editores de hac restitutione varie iudicarunt, maxime quoniam ipsius Hotomani fidem plerique suspectam habuerunt. De qua ego nunc sententiam nullam fero, neque ceteroquin de istius loci nodis disputo; sed hoc iudico, Hotomani inventum sive verum sive fictum quicunque cum hoc loco contulerit, non dubitaturum eum, quin Ciceroniani sermonis proprietate admodum id adiuvetur. Praeterea etiam similis exstat locus ad Herenn. 4, 23. ubi inter complures alias dictiones quibus abnegatur, perinde ut hic legitur: *dici non potest,* non adiecto *hoc* vel *id.*

INQUIT] Codex et hic et infra §. 50. *inquid,* quod similiter lectum est permultis locis in codice librorum de republica Vaticano, item in codice Gaii Institutionum 2, 195. ubi miror Goeschenium, virum praestantissimum, certissimam Buttmanni coniecturam in textum recipere ausum nondum esse.

AT PRIMUM] *Deinde* non sequitur, sed intelligendum est sequi infra §. 51.

minem occidi. Primum ista lex sacrata est, quam rogarunt armati, ut inermes sine periculo possent esse. Quare non iniuria, quo magistratu munitae

PRIMUM ISTA LEX] In hoc haereo. Primum quaeritur: Quaenam lex? sacrata, an XII tabularum? hoc significari debebat. Deinde, quorsum illud *primum*, cum ipsa illa prior pars, quam eodem verbo orator modo designavit, nondum tractata sit? Postremo quis non expectat in huius enunciationis principio coniunctionem *nam* similemve, qua significetur, iam redditum iri eius, quod modo assertum erat, rationes, et quis ferat eam sic omitti? Ne multis, legendum puto: *prior enim ista lex*, aut, si hoc malis, *prima enim ista lex*, qua lectione admissa omnes istae difficultates subito sunt expeditae. Probandum erat oratori, quemadmodum ipsae istae duae leges significarent, maiores nisi cum pernecesse esset, hominem occidi noluisse. Quod in priore lege efficit, cum dicit, sacratam esse. Hoc enim ipso nomine iam significatur, id quod eiusmodi lex tueretur ac sanciret, ad summam omnium salutem pertinuisse, cuius vel levissima violatio extremam et alias inauditam severitatem exigeret. Sacratae enim leges sunt diis sacrae factae, h. e. ita sanctae, ut populus si quando has leges abrogare sustineret, piaculo teneretur, ideoque simul immutabiles adeo ut sacrosancta omnibus legibus exciperentur vel specialiter vel generaliter (Cic. pro Balb. 14. pro Caec. 33.) Quare autem tribunos prorsus esse inviolabiles maiores in tantum voluerint, ut hoc sacrata lege sancirent, in sequentibus demonstrat, cum ait: *quo magistratu munitae* etc. de quo statim.

QUAM ROGARUNT ARMATI etc.] Hoc quoque addit, ut, quam singularis et ad exemplum non trahenda haec constitutio fuerit, approbet. Nam armatorum cum omnino liberrimum est in sciscendis legibus arbitrium, tum si de libertate sua ac salute post arma deposita sola legum auctoritate defendenda quaeritur, quaecunque poterunt iura, a communi aequitate quamvis alienissima sibi arrogabunt ac constituent. Ceterum huius rei historiam referunt Liv. 2, 32. 33. Dionys. Halic. 6, 89. Cic. de rep. 2, 33. 34. pro Cornel. or. I. et ibid. Ascon.

QUO MAGISTRATU] Nihil unquam verius ac gravius de tribunorum in rep. Romana vi ac potestate tam

leges sunt, eius magistratus corpus legibus vallatum esse voluerunt. 50 Furem, hoc est, praedonem et latronem, luce occidi vetant XII tabulae: cum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, NISI SE TELO DEFENDIT inquit, etiamsi cum

paucis verbis dictum est. Primum igitur tribunos, qui intercessione sua, ne quid ex eo, quod adhuc fuit, iure, immutetur, efficiunt, legum muniendarum caussa introductos esse apparet. Sed ne sic quidem reip. legumque stabilitas in tuto posita erat, siquidem hoc ipsum, quo defendebatur praesidium, iterum expelli civium iniuria poterat. Quare ad statum rei Romanae perficiendum hoc quoque pertinebat, ut tribuni rursus legum praesidio, earumque legum, quae sua natura essent inexpugnabiles, tegerentur.

HOC EST PRAEDONEM] Recte; fur enim est omnis, qui quid lucri faciendi animo aufert, unde apud veteres scriptum est, praedonem esse furem improbiorem. L. 2. §. 10. D. Vi bonor. raptor. Gai. 3, 209. pr. I. de bon. vi rapt.

XII TABULAE: CUM] Sic mihi recte hunc locum distinxisse videor. Peyronus post *tabulae* virgulam posuerat. Beierus illa verba: *cum intra — teneas* cum antecedentibus coniungenda ratus distinxerat: tabulae, cum - teneas. NISI SE etc. Sed utraque ratio inconcinnum reddit sermonem.

NISI SE TELO DEFENDIT] „Codex *defendit*. Par locus est in Miloniana 3. ubi codices, variatis lectionibus, exhibent *defenderit*, *defenderet*, *defendat*. Discrepant etiam veteres, qui hanc legem commemorant. Gellius XI. 18. *Furem ...... occidi permiserunt, si ... interdiu telo se, quum prenderetur, defenderet*. Iulius Paullus *V*. Sent. 23, 9. *Si quis furem .... diurnum, quum se telo defenderet, occiderit*. At Ulpianus [LL: Mos. et Rom. Collat.] *VII*. 3. Caius *IX*. Pandect. 2. 4. §. 1. et XLVII. 2. 54. § 2. legunt *defendat*. Augustinus II. Quaest. in Exod. 84. laudans ipsum Milonianae locum ait: *Hoc et in legibus antiquis .... invenitur, inpune occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit*. Sed cum Garatonio (ad hunc Milonianae locum) observandum est, ei verbo congruere tempora oportere, a quo pendeat infinitivus. Iam in Augustino pendet ab *invenitur*, in Gellio a *permiserunt*, in

telo venerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit,

Miloniana a *voluerunt*. Hoc vero Scaurinae loco [dicere voluit vir doctissimus *Tullianae*] pendet a *vetant*." PEYR. Haec vero usquequaque vera esse non videntur. Diversitas, etiamsi illa pusilla quidem, est tamen in ipso sensu. Distinguendum enim est, utrum dicatur, *defendit*, *defendat*, *defenderet* (quorum quid quoque loco recte dicatur, ex praeceptis de modorum ac temporum consecutione diiudicandum est) an vero: *defendit*, (perfecto tempore) *defenderit*, *defendisset*. Quae loca lectionesve prius tuentur, ut Gaius, Ulpianus, Paullus, Gellius, dicunt, tunc, cum in defendendo sese fur occupatus esset, leges XII tab. eum interficere permisisse; posterior vero scriptura, quae certo apud solum Augustinum invenitur, hanc habet sensum, ut tunc cum fur defensionem sui iam peregisset, eum occidere ex XII tabulis licuerit. Utra igitur sententia est verior? Non dubito, quin prior. Tametsi enim, cum XII tabulae, id quod ex hoc loco intelligitur, dixissent *defendit*, dubitari posse videatur, utrum praesens tempus an praeteritum designatum fuerit, tamen ipsa iuris ratio omnem nobis scrupulum eximit; nam si furem, posteaquam se defendisset, occidere licere leges voluissent, summam iniuriam sancivissent; eum enim quoque interimere permisissent, qui aliquando furatus atque tum se tutatus longo tempore post in manus eius, cui furtum fecisset, incidisset; et sic huius generis fur per totum vitae suae tempus, nunquam ab illo securus fuisset. Itaque Augustini incautior sermo est vituperandus, ut Gellii atque ICtorum nostrorum sollertia laudanda; apud Ciceronem vero, ne in eandem cum Augustino reprehensionem incurrat, in Miloniana quidem legendum *defenderet*; hic autem retinendum DEFENDIT, quae est ipsius XII tabularum legis vox et praesentis temporis certe designatio etiamsi forte nec forma: ut iam appareat, Peyronum male correxisse et edidisse DEFENDERET.

TELO EO AC] Codicis imago apud Peyronum exhibet: TELOEO AEREPUGNAVIT etc. ex quo efficiendum aut *telo eove rep.* aut quod et Beierus et nos edidimus. Et hoc quidem rectius, ut opinor. *Uti telo* ac *repugnare* non sunt eadem; eo autem additur ut efficacior oratio fiat, resque quasi ante oculos ponatur.

NON OCCIDES. QUOSSI REPUGNAVERIT ENDO-PLORATO, hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conveniant. Quid ad hanc clementiam addi potest? qui ne hoc quidem permiserint, ut domi

NON OCCIDES] Haec verba XII tabularum adhuc ignorabantur. Qui huius legis restituendae pericula fecerant, universam sanctionem una enunciatione complexi erant. Cf. E. Dirksenii opus de restitutione legis XII tab. p. 575 sq.

QUOSSI] „Codex quossi, dubito tamen hic quidpiam latere veteris orthographiae." Ita Peyronus ad h. l, qui tamen ipse, approbante Beiero, edidit: QUOD SI. Mihi in verbis XII tabularum codicis scripturam mutare religioni fuit, consideranti praesertim, quam proprium fuerit antiquioribus Romanis, insequente littera *s* verba vel syllabas natura quidem disparatas sed sententia atque usu coniunctas pronunciando ac scribendo ita conglutinare, ut *s* duplicarent litteramque ei inimicam eiicerent. Notissima sunt *assideo, assequor* et hoc genus cetera. Aliud exemplum suppeditat ista forma perfecti coniunctivi primae coniugationis *nuncupassit, legassit, incantassit* (sic enim, non *incantasset* in XII legendum) et cetera. Cum enim pro *r* antiquitus plerumque usurparent *s*, loquendi celeritate ex *cantavesit* (cantaverit) factum est *cantassit*. Similiter antecedens *s* duplicatur in *Dissice* i. q. disiice, de quo lexica consulenda sunt. Ceterum illud *d* finale in relativo non detrectasse in sequentem consonantem commutari, testantur *quippiam* et *quicquam*.

REPUGNAVERIT] In ipsis XII tabulis sine dubio etiam in hoc voce fuit *repugnassit*, cuius insolito sono Cicero auditorum aures offendere noluit.

ENDOPLORATO]. „De voce *endoplorato* ita Festus: *Endoplorato, implorato, quod est cum quaestione inclamare. Implorare namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis.*" PEYR. Pro *cum quaestione* apud Festum legendum est *cum conquestione* geminationis ope, siquidem *cum* et *con* eodem compendio notantur. Praeterea alius huc pertinet eiusdem scriptoris locus, v. *Sub vos placo, in precibus fere cum dicitur, significat id, quod supplico, ut in legibus: Transquedato, edendoque plorato,* ubi corrigendo et *Endo-*

suae caput suum sine testibus et arbitris ferro defendere liceret.

51 Quis est cui magis ignosci conveniat, quoniam me ad XII tabulas revocas, quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo opinor. Haec enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunae, poena repetatur. Tamen huiusce rei veniam maiores non dederunt. Nam lex est in XII tabulis, SI TELUM MANU FUGIT MA|*gis quam iecit*——————————————|

queplorato verum vidit A. Augustinus. Caeterum iam confirmatur I. Cuiacii (Observ. 11, 27.) et I. Gothofredi (Not. ad leg. XII tab. tab. VIII.) opinio existimantium, vocem endoqueplorato, quae exstet apud Festum, ad hanc XII tabularum legem pertinere. Neque in hoc vituperaverim I. Gothofredum, quod restituerit: *quiritato endoqueplorato*, etiamsi prior vox h. l. non appareat. Aliam enim vocem antecessisse, aperte clamat posterior Festi locus; Cicero vero facile alteram omittere potuit.

TESTIBUS ET ARBITRIS] Non plane eiusdem significationis sunt testis et arbiter, ut existimavit ad h. l. Beierus. Nam *testis* est, qui tantummodo vidit aliquid vel audivit, cuiusque de eo, quod percepit, testimonio utimur; sed *arbiter* est, qui rem sic intellexit videndo vel audiendo, ut etiam arbitrari de ea possit; velut in hac specie, ubi non modo ut quis furem occidi, sed etiam ut tum cum se defenderet et aliter nisi vi adhibita repelli non posset, occidi viderit, exigitur.

QUIS EST CUI etc.] Vide, quae et ipse sensit et ex veterum scriptorum libris de hac re congessit vir immortalis memoriae, H. Grotius de i. belli et pacis lib. III. c. 11. §. 4.

FUGIT MA|GIS QUAM IECIT] „Cic. Top. 17. *Nam iacere telum, voluntatis est; ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subiicitur in vestris actionibus: si telum manu fugit magis quam iecit.* Idem in [libr. de] Orator. III. 39. *Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, Si telum manu fugit. Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.* Ita ergo mutilus contextus supplendus

videbatur. PEYR. Praeter ista Ciceronis loca etiam haecce Servii huc pertinent: ad Virgil. Eclog. 4, 43. *Sane in Numae legibus cautum est, ut siquis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi et* (delendum videtur hoc *et* nisi legendum est *occiso et*) *natis eius in cautione* (recte emendavit Scaliger ad Fest. v. Subici: *concione*) *offerret arietem.* Ad Georg. 3, 387. *Bene enim addidit „ipse" quasi qui aut dominus gregis est, aut qui ante pro damno capitali dari consueverat; nam apud maiores homicidii poenam noxius arietis damno luebat, quod in Regum legibus legitur.* Ex quibus locis certo cognoscitur, iam Numae legibus eum, qui imprudenter alterum occidisset, impunitum non fuisse. (De caede consulto facta vid. Fest. *v. Parici.*) Cum igitur ex hoc orationis pro Tullio loco discamus, etiam XII tabulas caedis fortuitae veniam non dedisse, nihil est probabilius, quam hanc regiam legem, ut plerasque reliquas, ad verbum in XII tabulas translatam esse; praesertim cum etiam poenam eandem ex XII tabulis fuisse, quam quae lege regia constituta esset, ex Cic. Top. l. c. compertum habeamus. Inibi enim loquens Cicero de sui aevi iure iurisque consultis, idem significat, eum, qui forte aliquem feriisset, ariete oblato decidere oportuisse, quod ius si nostrum locum cum illo comparamus, nisi ex XII tabulis fluxisse non potest. Illud quoque animadversione dignum est, percussorem dici solitum *arietem subicere,* quasi hoc remedium quoddam fuerit, occisi natorum inimicitias et vindictam, dum eas in arietem averterent et quasi transferrent, evitandi, seu, ut maiorum nostrorum leges loquuntur, componendi, pariter atque is, qui filii servive noxae deditionem evitaturus, pecuniam quam damnatus est, solvit, dicitur litis aestimationem *sufferre.* Vid. Brisson. de V. S. v. *sufferre.* Gai. 4, 75. De usu illius vocabuli paeter Ciceronem Top. l. c. testis est Fest. v. *Subici aries* et *Subigere* (L. subicere) *arietem,* ubi ait: *Subicere arietem in eodem libro Antistius esse ait, dare arietem, qui pro se agatur, caedatur.* Quem sensum cum ignorarent Boëthius et omnes, ni fallor, posteriores Topicorum interpretes, factum est, ut Cicero isto loco translate de ariete bellico, quo muri percutiuntur, dixisse et hanc sententiam non dicam, quam ridicule, expressisse putaretur: (Boëth. comm. in Cic. Top. p. 840. ed. Basil. a. 1570.) *„Unde etiam machinamentum quoddam atque defensio in*

52 Si quis furem occiderit, iniuria occiderit. Quam ob rem? quia ius constitutum nullum est. Quid, si se telo defenderit? non iniuria. Quid ita? quia constitutum est. |————————————

————————————————————|

iurisperitorum responsionibus invenitur, hoc modo: Si telum manu fugit magis quam iecit. Nam si quis caedis accusetur, optima solet esse defensio, si alia non suppetit, fugisse manu telum magis quam voluerit iecisse, ut non voluntati, quae condemnatur in culpis, sed ignorantiae factum tribuatur." Et huic quidem errori acceptum videtur ferendum esse, quod nemini eorum, quod sciam, qui leges regias summo cum studio conquisiverunt, Ciceronis loca cum Servianis componere et verba ab illo servata, in quibus iam subiectum in *fugit* et *iecit* variatum (cf. supra not. ad §. 6. p. 106.) obsoletam antiquitatem redolet, in Numae legibus referre in mentem venerit. Caeterum quando haec Numae ac XII tabularum lex exoleverit, non satis constat. Lex Cornelia fortuita homicidia intacta reliquerat, ideoque Ciceronis aetate antiquum ius in hac specie nondum abrogatum erat. Cum vero postea nulla lex de homicidiis involuntariis commemoretur, credibile est, paullatim alias poenas vetustae illi esse substitutas, easque arbitrarias, (cf. l. 1. §. 3. D. Ad legem Cornel. de sicar. et Schulting. ad Paull. S. R. *V*, 23. §. 3. p. 507.) quo iure hodieque utimur.

Si quis furem] Recte sine dubio Peyronus ac Beierus hic inseruerunt hoc in Rufiniani apophasi servatum fragmentum. Cum enim hoc agere Cicero coepisset, ut, quanti maiores vitam hominum aestimavissent, ex iisdem XII tabulis ostenderet, etiam illas ipsas leges, quibus Quintius ad suam causam confirmandam usus erat, in eum retorserat, iamque ex iis comprobat, cum ita demum, si illae conditiones exstitissent, quas de fure occidendo XII tabulae praescripsissent, hominem occidi permiserint, consequens esse, ut in hac caussa, ubi ne fur quidem compareat, nedum is fur, qui telo se defenderit, iniuria occisus videri debeat, qui nihilominus occisus sit. Quod etiam verum est.

se telo defenderit] Sc. tum, cum occideretur; unde hic quoque recte locutus esse Cicero deprehenditur.

tamen verum factum esset) [non modo servos] tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos M. Tulli occidere iure non potuisti, verum 53

TAMEN VERUM FACTUM etc.] Locus difficilis et in codice praeterquam quod mutilus, sine dubio etiam corruptus. Verba, quae nos in textu posuimus, in codice omnia leguntur, quae Peyronus, quamquam ea corrupta esse suspicans, tamen itidem retinuit, et ita distinxit, ut post: *non modo servos* et infra post: *iudicaretur* punctum poneret. Beierus autem edidit: tamen *per vim* factum esset. [non modo servos. Tamen] in eo ipso loco, etc. Atque post *iudicaretur* et ipse plene interpunxit: quam lectionem fateor me non satis intelligere. Nobis meliora indagantibus ante omnia quid hoc loco disputetur exquirendum erit. Neminem autem fugit, Quintium ita quoque se defendisse, ut centuriam populianam Fabii fuisse diceret, et inde concluderet, quicquid in suo Fabius, eiusve iussu familia ipsius, fecisset, iure factum videri oportere. Quae quidem argumenta Cicero sic refellerat, primum ut centuriam illam Fabii fuisse negaret (de qua re igitur non sine ratione eum supra §. 16. recuperatores monuisse iam videmus); deinde, ut etiamsi Fabii fuisset, tamen impune in ea, cum a Tullio possideretur, servos alienos occidi non potuisse, exemplo interdicti Quod vi aut clam ostenderet. Qua in re an verum viderit vel dixerit, post tractabimus. Jam vero si quis et sequentia cum hoc mutilo principio contulerit et totam huius demonstrationis rationem inspexerit, eum non dubitaturum arbitror, quin hoc fere modo Cicero sententias suas verbis explicuerit: *Si igitur, L. Quinti,* ita quoque, *si illum ipsum locum, in qua familia tua M. Tulli servos occidit, tuum fuisse verum a te factum esset (si id* | tamen verum factum esset) tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos — — — id per vim aut clam factum iudicaretur; tu ipse iam statue, quam verum sit etc. Unde apparet, librarium, cum scripsisset: *verum factum esset*, respicientem ad codicem suum, unde transcribebat, forte fortuna ad inferius illud *esset* delatum esse et continuasse: *non modo servos;* tum vero errore suo comperto ad superiora *tamen in eo ipso* reversum, nihil quidem omisisse, sed tamen verba *non modo servos* perperam scripta inducere oblitum esse.

etiam, si tectum hoc insciente aut per vim demolitus esses, quod hic in tuo aedificasset et suum esse defenderet, id vi aut clam factum iudicaretur; tu

Quod si nos faciemus, integrum ac sanum locum, ut opinor, habebimus.

HOC INSCIENTE] *Hoc insciente* dixit Cicero pro eo, quod postea et alias dicitur *clam;* non satis accurate, cum qui altero insciente fecit, is non protinus etiam clam fecisse putandus sit. Etenim *Clam facere videri*, referente Ulpiano (L. 3. §. 7. D. Quod vi aut clam), *Cassius scribit eum, qui celavit adversarium, neque ei denunciavit: si modo timuit eius controversiam, aut debuit timere.* §. 8. *Idem Aristo putat, eum quoque clam facere, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum se intellegerit: et id existimat aut existimare debet, se prohibitum iri.* Quo in loco, quamvis nullo codice suffragante, aperte legendum est: *qui celandi animo latet eum* etc.

ID VI AUT CLAM] Haec ad interdictum Quod vi aut clam pertinere iam Peyronus recte sensit, de quo igitur interdicto iam certo constat, id quod antea solum suspicari licebat, Ciceronis aetate id antiquius fuisse. Sed etiam quod Cicero de hoc interdicto hoc loco asserit, veritati congruit. Nihil enim refert, ius faciendi habuerit is, qui vi aut clam fecit, necne. Idque propterea, partim quod praetor edicto suo solum factum demonstrat, partim quod in rebus soli magistratus ante omnia curant, ne quid temere innovetur, nisi, eum qui opus fecerit, faciendi ius habuisse certo constet: qua de caussa etiam operis novi nunciatio introducta est, in qua similiter an ius fuerit operis faciendi non quaeritur. L. 20. §. 3. D. de O. N. N. Cum enim soli natura ac facie vita humana quammaxime sustentetur, et magna difficultas sit, plerumque etiam periculum restituendi ea, quae in solo facta sint, providet praetor, ut in dubia re potius iure non fiat aliquid, quam contra ius factum restituatur. Quae vero de interdicto Quod vi aut clam dixi, confirmat Ulpianus his verbis, quae etiam Peyronus ad h. l. laudavit (L. 1. §. 2. D. Quod vi aut clam): *Et parvi refert, utrum ius habuerit faciendi, an non. Sive enim ius habuit, sive non, tamen tenetur*

ipse iam statue, quam verum sit, cum paucas tegulas deicere inpune familia tua non potuerit, maximam caedem sine fraude facere potuisse. Et

interdicto propter quod vi aut clam fecit: tueri enim ius suum debuit, non iniuriam comminisci.

PAUCAS TEGULAS] Idem dicit Ulpianus L. 7. §. 9. 10. D. Quod vi aut clam, et verum est propter illam rationem, quam Venuleius L. 8. D. eod. affert.

MAXIMAM CAEDEM] Hic aut ius ignoravit aut cavillatus est Cicero. Tegulas enim deiicere et homines in fundo caedere, res sunt plane diversae, neque, quod Cicero hoc loco credere, vel ut recuperatores credant efficere velle videtur, eiusdem generis; nam qui tegulas deiicit, ipsius praedii substantiam laedit faciemque commutat, et hoc solum ad interdictum Quod vi aut clam pertinet L. 1. §. 4. Quod vi aut clam. E contrario, qui homines alicuius in villa interficit, in fundo tantummodo commorans aliquid facit i. e. rem mobilem a fundo prorsus seiunctam caedit ac ferit, quod ubi factum sit, omnino non interest, ideoque hoc interdicto non tenetur. Ipsum Ciceronem hoc non videtur fugisse; nam cum in sequentibus dicat, etiam interdicto Quod vi aut clam uti se potuisse, callide addit duntaxat: *tecto illo disturbato.* Igitur et rectius et iustius caussam suam ita defendisset, si hanc rationem inisset: homines qui in fundo sint, cum ipso fundo unam eandemque rem non esse; quare, etiamsi fundus et aedificium in eo positum Fabii fuissent, nihil tamen iuris in servis M. Tullii ei competisse; quod vero ad aedificium a Fabii familia dirutum attineret, cum vi factum esset, semper sibi interdictum Quod vi aut clam, quamvis fundus Fabii fuisset, postulare licuisse.

SINE FRAUDE] Idem quod antea dixerat *inpune,* quae propria huius verbi est significatio, de qua vid. Ulp. L. 131. pr. D. de V. S. Serv. ad Virgil. Aen. 10, 72. et 11, 708. Brisson. de V. S. v. *fraus* num. 6 et 7.

POTUISSE. ET EGO] Codex habet: *potuisset ego,* Peyronus edidit: *potuisset. Ego* etc. quod ferri non potest. Eius censor in Annal. Heidelbergens. a. 1825. p. 1250. legi voluit: *potuisse. Te ego* etc. quod mihi non magnopere placet. Denique rectius Beierus: *potuisse. Ego* etc. Mihi tamen litteram *t* ut otiosam condemnare audacius

ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem, quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas, aut sponsione condemneris necesse est.

visum, eaque propter geminata *e* legere malui: *potuisse. Et ego* etc. praesertim cum coniunctio *Et*, quae est asseverantis paulloque minus valet quam *profecto* aut *sane* et similia, huic loco admodum conveniat.

POSTULEM etc.] „sup. *actionem de eo v. iudicium*, cuius formulam maiusculis litteris exprimi iussimus." BEIER. Immo intellige: postulem *interdictum illud, quod incipit*, vel *verba illa ex edicto*. Nam actiones ex interdicto hoc ipsum demum sequebantur, quod etiam Cicero h. l. significat, longeque aliis verbis concipiebantur. De verbis autem interdicti Quod vi aut clam vid. L. 1. pr. D. Quod vi aut clam. *Praetor ait:* QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST, QUA DE RE AGITUR, ID CUM EXPERIUNDI POTESTAS EST, RESTITUAS. Cum vero Cicero ipsam formulam non exprimat, sed eius sensum referat (ait enim *sit)*, haec verba maioribus litteris exprimi non iussi.

RESTITUAS] Ad h. l. Beierus composuit excursum, amplum illum quidem et uberem, sed tot refertum erroribus tamque gravibus (quod pace doctissimi viri dixerim), ut lectoribus eum commendare bona fide non possim. Verum cum etiam refellere istos errores neque huius libelli neque nostri nunc otii modus patiatur, liceat mihi eos, qui sponsionum in interdictis usum arbitrariaeque actionis potestatem accuratius cognoscere cupiant, ad commentationem nostram, quae *de caussa Siliana* inscripta est, maxime p. 5 — 10. remittere. Hic interim monuisse sufficiat, ex prohibitoriis interdictis perpetuo sponsiones fieri solitas esse, in exhibitoriis vero et restitutoriis, quibus etiam Quod vi aut clam est adnumerandum, electionem fuisse rei, utrum arbitrum petere an sponsionem facere mallet. Gai. 4, 162 — 165. Eadem quidem illa commentatione p. 15 et 16. suspicatus eram, hanc electionem Ciceronis tempestate reis a praetoribus praestitam nondum fuisse, sed istam sententiam, quae olim oratione pro Caecina defendi posse videbatur, iam refutat hic Tullianae locus. Quare ea opinio, quam tunc scilicet spernebam, in solo interdicto de vi armata reorum odio arbitrum dari non consuevisse, sed eum, qui vi armis deiecisset, semper sponsione contendere

Nunc hoc probabis viris talibus, cum aedificium tuo iure disturbare non potueris, quod esset, quemadmodum tu vis, in tuo, homines, qui in eo aedificio fuerint, te tuo iure potuisse occidere?

Ad servus meus non comparet, qui visus est cum tuis; ad casa mea est incensa a tuis. — Quid ad haec respondeam? Ostendi falsa esse: verum- 54

coactum fuisse, nunc mihi probabilis fit, idque eo magis, quoniam ex hac oratione didicimus, interdictum de vi armata et ipsum Ciceronis temporibus compositum et vindicandae hominum audaciae caussa pluribus nominibus exasperatum fuisse. Et quem fugit summa similitudo huius interdicti cum actione vi hominibus coactis, quae, si hanc quoque caussam addideris, aperte efficitur. Utrobique arma coactique homines caussa severitatis, utrobique iudicium in familiam datum; utrobique recuperatores, utrobique poena gravior, utrobique (si hoc quoque Ciceroni dare volumus) defensiones reo ablatae. Cf. §§. 10. 11. 41. 44 et 45.

Ad servus meus etc.] Verissima est huius loci interpretatio Peyroniana, quam tamen intellexisse non videtur Beierus; certe is cur Peyronum irrideat, rursus non intelligo. Res igitur (ut meam sententiam paucis exponam) haec est: Fabius vel potius Quintius inter alia argumenta, quibus servos M. Tullii iure occisos probare studuerat, haec quoque posuerat, primum, centuriam populianam suam fuisse, suamque se defendisse, cum familiam Tullii ab ea depelli iussisset; de quo vid. §. 53 deinde, suam familiam cum istos Tullii servos trudicaret, magis suae salutis tutela, quam in alienam incursione usam esse; iam enim unum ex suis servis fuisse occisum; certe cum is nunc non compareat et ubi novissime comparuisset, cum servis M. Tullii visus esset, dubium non esse, quin ab istis interfectus sit. Quae confutaturus Cicero iam ipsum argumentum Quintii ita refert, ut nemo, quam id sit infirmum, non intelligere possit.

ostendi] Ubinam? Fortasse in ea narrationis parte, quae periit; magis tamen puto inter §. 52 et 53. ubi Quintius qui legem XII tabularum de fure nocturno argumento de simili ad hoc factum porrexerat, hoc nomine confutatus

tamen confitebor. Quid postea? Hoc sequitur, ut familia M. Tulli concidi oportuerit? Vix, mehercule, ut corium peti; vix, ut gravius expostulari: verum ut esses durissimus, agi quidem usitato iure et cotidiana actione potuit. Quid opus fuit vi? quid armatis hominibus? quid caede? quid sanguine?

erat. Et cum ipse Quintius nihil unum dixisset (§. 35), Cicero quoque in refellendo eo de iisdem rebus saepius dicere cogebatur.

UT CORIUM PETI] Hunc locum, quem Peyronus non intellexerat, Beierus exemplis laudatis ubi corium de hominibus vapulantibus usurpatur, egregie illustravit. Sed tamen gravissimum exemplum, quo probaretur haec ipsa locutio *corium petere* pro *verberare aliquem*, omisit. Id est apud Senec. de constant. sapient. 14. *Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, quod virgam eius fregit: quod ad dominum accessit et petiit corium.* Muretus ultima verba interpretabatur: petiit, ut ostiarius vapularet sibique de eius corio satisfieret. Quem sensum Lipsius non improbabat, sed phrasim ex Latio praestari posse, desperabat, unde varie sed infeliciter coniecit. Me iudice sensus est: ad dominum accessit, et ab eo venia petita, servum ostiarium mulcavit. De latinitate vero huius locutionis nemo opinor posthac dubitabit. Equidem adeo non dubito, quin ea Ciceronis aetate celebratissima fuerit; sed quod nimis videbatur vulgaris, scriptores eam saepius non usurparunt, et sic sine dubio infinita ex ista humili, ut ita dicam, latinitate, aetatem non tulere. Aliud quoque exstat eiusdem significationis verbum *excoriare*, quod licet primum apud scriptores medii aevi inveniatur (vid. Ducange h. v.), quis tamen affirmare ausit, Ciceronis aetati id fuisse incognitum? Certe sic Graeci ἐκδέρειν. Aristoph. Vesp. 450.

GRAVIUS EXPOSTULARE] Quemadmodum distent *postulare* et *expostulare,* docet Vetus Grammaticus libro de serm. Lat. apud Gothofr. in Auct. L. L. p. 1355.

USITATO IURE] Iudice sumpto.

COTIDIANA ACTIONE] Legis Aquiliae noxali. Quotidiana enim appellantur, quae quotidie fere usurpantur,

At enim oppugnatum me fortasse venissent. — 55
Haec est illorum in causa perdita extrema non ora-

unde fit ut una actio alia quoque magis esse possit quotidiana, quo sensu dicitur interdictum de vi quotidianum a Cic. pro Caec. 31.

AT ENIM] Ad hoc postremum Quintii argumentum respicere videtur posterior pars huius ex C. Iulii Victoris arte rhetorica loci c. 6. §. 1. in fin. p. 43. ed. Mai., cuius prior pars a Beiero recte ad huius orationis §. 34. relata est: *A modo in fine*, (L. *finem*) *ut M. Tullius: dolum circa servos Publii Favii definivit ex eo, quod insidiati sint. Et idem: non esse detrectationem* (Cod.: *detractionem*) *circa pacem, cum non clam nec furtim profectus sit, sed palam.* Qui tamen locus, antequam quemadmodum huc pertineat demonstremus, duplici quo laborat mendo liberandus est. Primum enim pro: *Et idem: non esse* legendum videtur: *Et M. Tullium non esse.* Substantivo enim, ad quod, quae sequuntur, referantur, carere non possumus; librarius autem, cum M. Tullii nomen vix scriptum post pauca verba redire videret, eundem hunc esse M. Tullium cum priore opinatus, bene de scriptore suo mereri sibi visus est, si secundo loco pronomen *idem* substitueret. Deinde vero *detractionem*, quod est in codice, mutandum existimo in *detractorem*. Detractor enim circa pacem recte dicitur, qui pacem minuit ad inimicitias ac rixas prosilit. Sic Tacit. Annal. 11, 11. dixit *sui detractorem* et Liv. 34, 15. *laudum suarum detractorem*, quanquam editi libri contra manuscriptorum fidem testante Iac. Gronovio hoc loco habeant *detrectator*. Sic igitur sibi restitutus Victor, non dubito, quin hunc huius orationis locum respexerit. Quintius enim, ut inimicitiarum originem a M. Tullio deduceret, etiam inexspectatum eius adventum in fundum suum in suspicione posuerat, quam ex mentibus recuperatorum rursus abstersurus orator ostendit, non clam atque furtim, ut solent ii, qui insidias struunt, sed palam M. Tullium esse profectum. Ita saltim mihi visum. Aliter Maio ad istum Victoris locum commentanti, quem tamen sciendum est, has partes orationis pro Tullio cognitas tunc nondum habuisse.

NON ORATIO NEQUE DEF.] h. e. oratio defensoria, quod cum dicere Cicero dubitaret, notissima illa figura rhetorica unum per duo expressit.

tio neque defensio, sed coniectura et quasi divinatio. Illi oppugnatum venturi erant? Quem? Fabium. — Quo consilio? ut occiderent. — Quam ob causam? Quid ut proficerent? Qui comperisti? Et, ut rem perspicuam quam paucissimis verbis agam, dubitari hoc potest, Recuperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt, an qui in villa manserunt? qui occisi sunt, an ii, ex quorum numero saucius factus est nemo? qui, cur facerent, causa non fuit, an ii, qui fecisse se confitentur? Verum ut hoc tibi credam, metuisse te, ne obpugnarere, quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?

Cetera desiderantur.

QUAM OB CAUSAM? QUID etc.] Prius ad praeteritum spectat, hoc ad futurum. Ceterum hic Cicero ad has quaestiones non respondet, primum generali argumento totam hanc calumniam profligaturus. Postea vero sine dubio etiam responsa ex Quintii oratione retulerat, quae hoc, ni fallor, spectaverunt, M. Tullium eum voluisse e medio sublatum, quem agrum suum sibi evicturum esse suspicatus esset.

QUI COMPERISTI?] Ad hanc interrogationem Quintius respondisse videtur, testes quidem huius rei se nullos posse producere, sed coniecturam certissimam capere licere ex ipso isto repentino et inopinato M. Tullii in fundum suum itinere, quo nullum eum negotium vocavisset, sed solum fines suos nescio quo pacto defendendi consilium.

IN VILLA] Codicis imago Peyroniana habet *in villam*, quae lectio fortasse retinenda erat. Nota res ex Gell. N. A. 1, 7. Sed numeri orationis (si modo ipse aure satis explorata sum) hic magis pro *in villa* faciunt, et librarius litteram *m* similiter repetisse censendus est, ac paullo inferius scripsit *sauccius* pro *saucius*.

OCCIDERETUR?] Cetera dixi desiderari; duo enim ista verba *Plicavi* et *Explicavit*, quorum illud a Diomede lib. I. p. 369. Putsch., hoc a Macrobio de different. et societ. Graeci Latinique verbi p. 2738. ibid. ex hac oratione laudatur, in hac notula commemorare malui.

EXCURSUS I.

DE VI BONORUM RAPTORUM IUDICIO.

Hac disputatione primum ostendam, M. Tullium in hac caussa non alio iudicio, quam quod sub titulo edicti: *Vi bonorum raptorum* proponitur, expertum fuisse; deinde hoc ipsum edictum restituam et quam brevissime potero, interpretabor.

Actionem a Tullio institutam eandem esse, quae iam Gaii aetate Vi bonorum raptorum appellari coeperat (Gai. 3, 209. 4, 182.), a viris summis Cramero, (in eius Heinrichiique edit. huius orat. p. 67.) et Savinio (in Zeitschr. f. geschichtl. Rechtsw. Tom. V. p. 123 — 150.) tam luculentis rationibus demonstratum erat, ut haec res in dubium revocari posse non videretur. Nihilominus nuperrime exstitit, qui ab illis viris prorsus dissentiens novam de hac re opinionem proferret, magis tamen, uti videtur, ex male intellectis Crameri Saviniique commentariis enatam, quam propriis argumentationibus repertam. Quae opinio eo redire videtur (est enim paullo obscurius exposita): Lucullum praetorem eo edicto, quod ex hac oratione cognoscimus, non actionem constituisse, verum interdictum, et illud quidem interdictum, cuius verba exstent Titt. D. *de vi et vi armata* ac *Vi bonorum raptorum*, et quod vulgo vocetur *de vi*, plenius dicendum sit *de vi armatis hominibus:* et quamvis hoc interdictum etiam titulo D. *Vi bono-*

rum raptorum contineatur, falli tamen eos, qui actionem vi bonorum raptorum aliquam cum Luculli edicto cognationem habere statuerint (quod Cramerus et Savinius statuerant), immo hoc interdictum ad solum damnum restituendum pertinere, neque ei quidquam cum rapinis esse commune. — Sed hanc sententiam falsam esse et Cramerum Saviniumque unice verum vidisse, ex hisce apparebit argumentis.

Primum, edictum praetoris a Iustiniano in titulo D. *Vi bonorum raptorum* relatum toto coelo diversum esse ab illo, quod titulo *de vi et vi armata* continetur, tam apertum est, ut ad id demonstrandum nuda utriusque edicti verba indicasse sufficiat. Ex priore igitur illo edicto interdictum proficiscitur ad possessionem vi vel vi armis amissam recuperandam pertinens, ex posteriore actio ei, cui vi damnum datum est vel bona rapta sunt, adversus eum qui id fecisse dicetur, intra annum in quadruplum, post annum in simplum accommodatur. Similitudines inter utrumque edictum intercedunt duae: una, quod utrumque violentiae nomine proponitur, altera, quod ex utroque in universam familiam, cuius dolo malo vis facta est, actio datur aut interdicitur; quod ad caetera omnia attinet, caussa, fine, modo diversissima sunt: quae qui nondum intellexit, ipse in dictis D. titulis ceterisque huc pertinentibus iuris civilis fontibus scrutetur, nec diu dubitabit, quin vera sint, quae inde ab Irnerii temporibus omnes ICti de istorum iudiciorum ac titulorum diversitate tradiderunt.

Sicut vero interdictum de vi omnino distat ab actione vi bonorum raptorum, ita dubitari non potest, quin oratio pro Tullio non in caussa interdicti de vi armata, sed in iudicio de vi damno dato

dicta sit. Quod ita esse, iam Cramerus et Savinius ex iis huius orationis partibus, quae tum solae exstabant, ita demonstraverunt, ut ad eos confutandos nihil adhuc dictum sit neque in posterum dici posse videatur: in partibus vero recens detectis non modo nihil illorum sententiae virorum contrarium invenitur, sed omnia etiam ad confirmandam eam valent. Quae singula recensere cum in re tam manifesta supervacuum videatur; sufficiat, locos huc pertinentes indicasse, qui sunt §§. 24. 25. 27. 28. 31. 34. 41 et 42. Unum duntaxat argumentum nominatim afferre iuvat, quippe quo non solum illorum sententia confirmatur, sed etiam Beieri error evidenter convincitur: qui cum statuat, ut dixi, iudicium de vi damno dato bonisque raptis non differre ab interdicto de vi et de vi armata, comperire velim, quomodo huic sententiae conciliet §§. 29 et 40—46. huius orationis, ubi Cicero, dum exemplo interdicti de vi et de vi armata ad suam actionem illustrandam utitur, manifesto significat, illa interdicta ab ea, quam ipse postulasset, actione, plane diversa esse.

Quae cum ita sint, iam solum restat, ut in hoc quoque Beierum redarguam, quod in hac caussa non actione sed interdicto disceptatum fuisse putat. Sed hoc vere non dici, primum inde sequitur, quod Tullium actione vi bonorum raptorum expertum esse probavimus, quae actio nusquam interdictum appellatur. Deinde Cicero nullo huius orationis loco dicit, immo ne iniicit quidem, interdictum a Lucullo compositum fuisse, sed ubique iudicii, hoc est, actionis, expressis verbis mentionem facit. Quamvis vero dicatur, etiam interdicta actionis appellatione contineri (L. 37. pr. D. de Oblig. et act.), tamen neminem fugit, hoc ita intelligendum esse, nomen actionis, sicubi generaliter comme-

moretur, ad omnia, etiam per interdicta, agendi genera pertinere, nec vero speciale quoddam interdictum unquam actionem appellatum esse. Porro si interdictum hanc actionem praecessisse poneremus, aliter formulam huius iudicii conceptam esse oporteret, atque §§. 7 et 31. huius orationis concepta legitur. Aut enim, si sponsio ex interdicto facta esset, civili intentione, quae semper e verborum obligatione competit, agendum fuisset, non in factum concepta actione, qualis est, quam hic conspicimus (cf. Gai. 4, 45 — 47.); aut si arbitraria formula, quae utique in factum est, actum statueremus, hanc formulam ad praetoris decretum, quo interdicitur, referri oportuisset, velut hoc modo: ***Si paret, P. Fabium M. Tullio contra illius praetoris edictum non restituisse*** et reliqua. Accedit, quod nullum arbitrarium iudicium ex interdicto unquam in quadruplum datum est, neque dari potuit, siquidem poena in his controversiis semper sponsione petatur. Postremo etiam arbitror, ne potuisse quidem omnino damni vi dati et bonorum raptorum nomine interdictum constitui; nullum enim interdictum principaliter damno resarciendo inservit, verum omnia aut poenam exigunt ab iis, qui adversus praetoris edictum aliquid fecerunt, qualia sunt prohibitoria, aut pristinam alicuius rei vel personae statum corporaliter restitui iubent, qualia sunt restitutoria et exhibitoria. Damnum vero datum aestimatione facta reparari quidem potest, nunquam autem, quae perierunt, naturaliter redintegrari, quo nomine actiones necessariae sunt; quare etiam, dum omnia interdicta restitutoria vel exhibitoria simul iudicis arbitrium contineant, actio vi bonorum raptorum arbitraria non est. Cf. etiam L. 5. D. Vi bon. raptor. cum Gai. 4, 141.

Sed haec, ut opinor, plus quam sufficiunt ad Beieri opinionem refellendam ideoque ad alteram huius disputationis partem transire iam licebit.

Qua quidem cum ipsum Luculli edictum cum iudiciis inde proficiscentibus interpretari constituerim, iam a praetoris verbis incipiam.

Praetor ait: SI CVI DOLO MALO ALICVIVS VI HOMINIBVS ARMATIS COACTISVE DAMNI QVID FACTVM ESSE DICETVR, SIVE CVIVS BONA RAPTA ESSE DICENTVR: IN EVM, QVI ID FECISSE DICETVR, INTRA ANNVM, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, IN QVADRVPLVM, POST ANNVM IN SIMPLVM CVM TAXATIONE IVDICIVM RECVPERATORIVM DABO, TESTIBVSQVE DVNTAXAT X DENVNCIANDI POTESTATEM FACIAM. ITEM SI SERVVS VEL FAMILIA FECISSE DICETVR, IN DOMINVM IVDICIVM NOXALE DABO.

Ex hoc edicto actio directa hoc modo concipienda est: RECVPERATORES SVNTO. QVANTAE PECVNIAE PARET DOLO MALO NVMERII NEGIDII VI HOMINIBVS ARMATIS COACTISVE DAMNVM FACTVM BONAVE RAPTA ESSE AVLO AGERIO, TANTAE PECVNIAE QVADRVPLVM, DVMTAXAT SESTERTIVM TOT MILLIA, RECVPERATORES NVMERIVM NEGIDIVM AVLO AGERIO CONDEMNANTO, SI NON PARET ABSOLVVNTO. Si solum damnum datum, non etiam bona rapta esse dicentur, poterunt omitti verba: BONAVE RAPTA; quamvis, si in formula relinquerentur, non nocerent actori, cui ex disiunctis alterutrum probare sufficit. Sed si quis adversus eum, qui duntaxat rapuit, hoc iudicium exercere velit, similiter tam plena formula quam omissis verbis DAMNVM FACTVM recte aget. Quodsi servus vel familia nocuit, ut eum noxae deditione agen-

dum sit, ab initio dicetur loco NVMERII NEGIDII ita: STICHI, QVI EST IN POTESTATE NVMERII NEGIDII vel FAMILIAE NVMERII NEGIDII; et in condemnatione: T. P. Q. D. S. T. M. R. NVMERIVM NEGIDIVM AVLO AGERIO DARE AVT STICHVM vel SERVOS EIVS FAMILIAE, QVI EAM NOXAM COMMISERVNT, NOXAE DEDERE CONDEMNANTO S. N. P. A.

Recte Ulpianus dicit, hoc edicto contra ea, quae vi committerentur, consuluisse praetorem. Neque enim damno commoventur magistratus, ut haec in verba iudicium dent; alioqui, monente M. Tullio (pro Tull. §. 41.), non reciperatores potius darent quam iudicem, neque in universam familiam, sed in eum quicum nominatim ageretur, neque in quadruplum, sed in duplum, nec damni datis bonorumque raptorum nomine simul, sed deiunctis ad utramque caussam peculiaribus iudiciis. Verum enim est, quod scribit Savinius contra Cramerum, praetores statim ab initio utramque iniuriam sive damno dando sive rapiendo vi commissam hoc edicto complexos esse. Nam etiam aliud edictum, huic non minus ratione quam loco vicinum, quod inscribitur de incendio, ruina, naufragio, haec duo delicta coniungit (L. 1. pr. L. 3. §. 4. D. de incend. ruin. naufrag.) et lege Iulia de vi, quae publice vindicat ea, quorum privatam persecutionem Luculli edictum praestat, utrumque comprehensum fuisse, Marcianus lib. 14. Institut. (L. 3. §. 2. D. Ad L. Iul. de vi publ.) refert. Quare is, qui vim se passum docere potest, etiam publico iudicio experiri non prohibebitur, nec si alterum iudicium elegerit, alterum consumetur, quoniam diversae poenae sunt, quae publice et quae privatim luuntur: in quam sententiam et responsum et rescriptum est. Videatur Ulpianus L. 7. §. 1. D. de

iniuriis, et Imppp. Valens et Gratianus et Valentinianus L. un. C. Quando civilis actio criminali praeiud. Sed an privata actione publicae executioni praeiudicari debeat, disceptatum est inter veteres: nam utcunque maior dignitas et discrimen publici iudicii, ut hoc prius agitetur, suadere videatur, sunt tamen quaedam delicta tam atrocia, ut de his indignum sit non primo quoque tempore iudicari. Et M. Tullius quidem (Rhetor. 2, 20.) rem iniudicatam relinquit. Labeo vero apud Ulpianum lib. 57. ad Edict. (L. 7. §. 1. D. de iniur.) indistincte prohibendum non putat actorem, quo minus privata actione publico iudicio praeiudicium faciat. Sed plerisque postea placuit, ubicunque privata actio principaliter idem comprehendat, quod publico iudicio vindicetur, illa huic praeiudicari non debere; quod et verius est, eoque iure utimur (L. 3. C. de L. Aquil. L. 4. D. de publ. iudic. L. 7. §. 1. D. de iniur.). Qua ratione ob caput percussum iniuriarum actio privata a praetore concedenda non erit, antequam lege Cornelia inter sicarios quaesitum est: utrumque enim iudicium caedis vindicandae caussa instituitur. Per contrarium quibus iudiciis de re familiari agitur, quamvis sint poenalia, his publicae executioni praeiudicium generari poterit. Et ita de vi bonorum raptorum scripserunt Ulpianus (L. 2. §. 1. D. h. t. L. 15. D. de accusation.) et Paullus (L. 4. D. de publ. iudic.).

Dolo autem malo facere, quod ait Edictum, non modo is potest, qui ipse ab aliis coactis hominibus ad rapiendum utitur, verum etiam qui praecedente consilio ad hoc ipsum homines colligit armatve, ut per eos damnum det bonave rapiat, sive ipse postea intersit, sive non intersit, sive rapta ad eum perveniant, sive minus. Dolo enim ipsius vi damnum fit. Coactos vero accipere debemus, ut

ait Ulpianus, ad hoc coactos, ut damnum darent: alioqui si rei rusticae ergo homines conduxi, quod ab his damni factum fuerit, neque hac actione tenebor, neque alia ulla. At si a me coacti ut Titii villam disturbarent, aliquo errore in Mevii villam delati sunt, nihilominus Mevius hac actione mecum experiri poterit: sed etiam cum Titio, qui explorantibus Titii villam, ut impetum a se averteret, Mevii villam monstraverit; quod eo magis in amico Titii aliave persona dicemus. Item qui duntaxat ad rapiendum coegit, homines, qui postea etiam damnum dedere, sive simul rapuerint sive non, tenebitur: similiter si modum praescripsisset, quantum raperent et plus raptum esset. Neque vero additur, quales homines cogi debeant: qualescunque igitur sint, sive liberi sive servi, sive masculi sive foeminae, sive puberes sive impuberes, quin etiam furiosi hoc edicto continebuntur. Nam hominis nomen, ut ait Ulpianus lib. 1. Institut. (L. 4. D. de iustit. et iure.) naturale est, et ad omnes pertinet. Idem putat (L. 2. §. 6. D. h. t.) etiamsi unus coactus sit, adhuc dicendum homines coactos; quae sententia etiam probatur M. Tullio (pro Caec. 22.) et habet rationem: nam etiam unus miles coactus in ordinem dicitur, et pecunia coacta, quamvis unus duntaxat nummus exactus sit. Nec multum facit, quod praetor homines dicit; plurativo enim numero etiam singuli continentur, et cum hoc edictum solum vi commissa vindicet (nam de damno in turba dato sequenti capite praetor verba facit), non refert, quot homines fuerint, a quibus vis illata dicatur. Denique hoc persimile est, ut notat hic Accursius, in interdicto de vi, itemque inferius in hoc edicto, ubi familiae nomine etiam unum servum contineri dicendum est (L. 1. §. 17. D. de vi.). — Plus dicit Ulpianus, etiam si proponas solum quem,

fecisse, non coactis hominibus, non putare se deficere verba edicti. *Hoc enim,* (inquit) *quod ait, hominibus coactis, sic accipere debemus, etiam hominibus coactis, ut sive solus vim fecerit, sive etiam hominibus coactis, vel armatis, vel inermibus, hoc edicto teneatur.* (Ita enim Heisius apud Savinium recte restituit verba Ulpiani L. 2. §. 7. D. h. t.) Quam sententiam Savinius ut argutiorem reprehendit, ego verissimam puto. Cum enim dicat praetor: *vi hominibus coactis*, e re constituendum est, utrum hanc orationem pro coniunctiva an pro disiunctiva accipiamus. Posterior vero interpretatio cum universe frequentior est, velut in illo *Quod eum dare facere oportet* (L. 53. pr. D. de V. S.) et in aliis permultis, tum hic menti praetoris, omnia vi commissa vindicantis, unice convenit. Animadvertendum enim, edictum non ita scriptum esse: *Si quis homines coëgerit, in eum iudicium dabo.* sed ita: *Si cui vi hominibus coactis damnum datum sit*, ut praetor generaliter et quasi in rem loquatur, quemadmodum in eo, quod de vi metusve caussa gestis proponitur. Sed cum disiunctim hanc scripturam accipiamus, consequens est, qui solus dolo malo damnum dederit, is, ut ad hoc edictum pertineat, vi fecerit necesse esse, dum quae coactis hominibus facta sunt, etiamsi clam facta sint, hoc edicto contineantur. Et ita Ulpianus sentit (L. 2. §. 9. D. h. t.). Porro, quod ait praetor, *coactis armatisve hominibus*, eadem ratione, ut illud superius, accipiendum est, quasi dicat, *vel etiam armatis*, quod adeo dicendum foret, si ita scriptum esset, *coactisque*, aut, (nam in hoc quoque variatur) *coactis armatisque hominibus.* Si enim vis sufficit sine hominum multitudine, quid arma requiramus? Et generaliter apparet, praetorem, dum omnia violentiae genera

recenset, magis nullum eorum inultum relinquere, quam audacibus hominibus defensiones, quibus se temeritatemque suam iudiciis subtraherent, conquirere voluisse. Quare Savinio in hoc quoque non adsentior, quod Ulpiani temporibus vocem *armatis* exasperandi edicti caussa detractam esse opinatur. Neque movere nos oportet, quod haec verba in edicto ab Ulpiano relato non invenimus; nam cum solum interpretandi caussa edicti verba afferri a ICtis Romanis soleant, mirabile non est, si permulta, omnia videlicet, quae interpretaturi non erant, ab iis omissa sint. In transcursu vero et ipse Ulpianus armatorum mentionem facit, velut L. 2. §. 2. (ubi fortasse pro *armatos* legendum *armatve*) et §. 7. D. h. t. Ceterum longe aliter huius formulae: *vi hominibus armatis coactisque* interpretatio facienda est in lege Iulia de vi publica, quam in hac caussa armata vis segregat a lege Iulia de vi privata (L. 1. 3. D. Ad L. Iul. de vi publ. L. 5. D. Ad L. Iul. de vi priv.), et similiter in interdicto de vi armata, quod armorum mentione differt ab interdicto de vi tantum (L. 3. §§. 2 — 11. D. de vi.), ut reprehendendus sit Cicero (pro Caec. 22.) qui etiam inermes, dummodo vim haberent armatorum, in priore interdicto venire existimaverit. Sed coacti videamus qui sint. Et melius dicetur, non solum, qui specialiter ab aliquo rogati sint, significari, sed omnes ad hoc collectos, unde etiam voluntarios aut assiduos aut domesticos coactis adiungendos esse Cicero (pro Caec. 22.) putavit. Verum is etiam, qui tametsi non coëgerit, tamen inter coactos fuerit, si vi damnum dedit aut rapuit, ad hoc edictum pertinebit. Verum est enim, eius dolo malo factum, siquidem minime eum excusat, quod alieno suasu sciens crimini ministerium praebuit. Prudenter igitur praetor verba *dolo malo*

praeposuit, ut tam ad *coactis hominibus*, quam ad *damnum datum sit*, referrentur: quomodo etiam Ulpianus (L. 2. §. 12. D. h. t.) ea accepit. Nunquam autem sufficit in hac actione dolus malus, nisi etiam vi factum fuerit; et merito praetor utrumque posuit, cum et vi fieri possit sine dolo malo, et dolo malo sine vi. Plerumque tamen in vi dolus malus inest, quod et Cicero animadvertit (pro Tull. §. 29.) et Ulpianus hic notat (L. 2. §. 8. D. h. t.), ut non modo contineatur, quod sine vi callide ab aliquo admissum est, quo cui vis fieret, sed etiam quod ipse vi damnum dedit. E contrario, si vis facta sit sine dolo malo, nocere non debet, neque in hoc edicto, neque in superiore sub titulo: *Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat.* Quanquam ibi hoc dicere videtur Ulpianus, sufficere vim sine dolo malo, his verbis (L. 5. §. 2. D. Ne quis eum, qui in ius voc.): *Quod praetor praecepit,* VI EXIMAT: vi an et dolo malo? (i. e. suffecitne dici: VI; an et DOLO MALO dicendum erat?) *Sufficit vi, quamvis dolus malus cesset.* Sed lectio est corrupta et ita restituenda: *Suffecit* VI, *quum vi dolus malus inesset.*

Iam vero videamus, quid dolo malo vi hominibus coactis factum praetor exigat. *Damni quid factum*, ait. Omnia ergo damna continet; sed hanc appellationem hic perinde intelligimus, atque in actionibus legis Aquiliae. Si quis igitur vi vel coactis hominibus me coëgerit, ut damnosam hereditatem adirem, aut stipulanti promitterem, remve traderem, ad hoc edictum non spectabit, sed aliter vindicabitur. Si tamen cum alius rei caussa vis fieret, aliquid occisum, scissum, fractum, collisum aliquove modo corruptum fuerit, haec actio, non quod metus caussa, locum habebit. Quid igitur, si quem coëgerim, ut aedificium suum deponeret?

Aut iniuriarum erit, aut haec actio; sed etiam quod metus caussa denegari non debere, Pomponio recte placet (L. 9. §. 2. D. Quod metus caussa.). An vero etiam clandestina damna hoc edicto contineantur? Ulpianus (L. 2. §. 9. D. h. t.) non putat contineri, sed ea, quae violentia permixta sint; sed utilius dicetur, utrum vis praecesserit, an secuta sit, nihil referre; ut et qui vi illata, antequam discederet, clam domino damnum dederit, et qui initio celatum facinus vi perfecerit, ad hoc edictum pertineat. Adiicitur in edicto: *Sive cuius bona rapta esse dicentur;* nam praetor omnes noxas, quibus patrimonium violaretur, iure civili separatis actionibus punitas, si vi commissae essent, severiori iudicio vindicare voluit. Unde ubicunque hac actione agi potest, poterit etiam lege Aquilia et furti; nam qui dolo malo damnum dat, is utique etiam iniuria, et qui vi rapit, furtum facit; ut Iulianus scripserit, qui vi rapiat, furem esse improbiorem (L. 2. §. 10. D. h. t. L. 14. §. 12. D. Quod metus caussa. L. 80. §. 3. D. de furt. pr. I. h. t. Gai. 3, 209. L. 12. C. Ex quibus caussis infam.). Rectissime enim furem a raptore ea re discerni existimavit, quod ille furtum tantum, raptor furtum vi faciat et quodammodo crimen suum publicet; quod etiam Ulpianus (L. 3. §. 5. D. de incend. ruin. naufrag. L. 2. §. 24. D. h. t.) videtur sentire. Neque interest, vim homini intulerit, an solum accesserit vim facientis specie et deinde occasionem atroci facinori non invenerit. Quare probo Ulpiani sententiam, etiam ex ea domo, in qua nemo erat, rapi posse et hoc edictum committi (L. 50. §. ult. D. de furt.). At vero de ceteris damnis et de furtis, quae vi non fiunt, praetor a lege Aquilia et XII tabulis non recessit (Cic. pro Tull. §. 41.), ut vere dicat Ulpianus (L. 2. §. 10. D. h. t.), neque furti actionem neque legis Aquiliae

in hoc edicto contributas esse; eritque ex caussa statuendum, utrum furti an etiam vi bonorum raptorum actio competat (L. 1. §. 6. D. de vi. L. 5. D. de incend. ruin. naufrag.). Quod ait praetor *bona rapta*, sic accipiendum, etiam si una res, licet minima, ex bonis rapta sit: nam ita scribunt Gaius lib. 3. Institut. §. 209. et Ulpianus (L. 2. §. 11. D. h. t.), et est ita constitutum (pr. I. h. t. Nov. 63. c. 1.). Sane enim ipsa bona, hoc est, patrimonii universitas, rapi non possunt; sed singulae res, quae in bonis sunt, rapiuntur. Constat tamen cum rapi ea sola videantur, quae nos sequuntur, hanc actionem potius ad mobilia moventiaque, quam ad fundos per iniuriam occupatos spectare (L. 1. C. h. t.). Sed altera pars, quae est de damno dato, utique etiam ad damnum in fundo datum, velut si aedificium distractum fuerit, pertinebit. Cum vero praetor in hac parte edicti simpliciter dicat: *sive bona cuius rapta esse dicentur*, neque repetat illa: *vi armatis coactisve hominibus*, quaeri possit, an haec verba etiam ad sequentia porrigenda sint? Quod Ulpianus negare videtur, cum dicat (L. 4. §. 6. D. h. t.): *Eritque haec differentia inter hoc edictum et superius, quod ibi de eo damno praetor loquitur, quod dolo malo hominibus coactis datum est, vel raptum etiam non coactis hominibus.* Sed vereor, ne postrema verba non sint Ulpiani, qui alias aperte homines coactos etiam ad bona rapta refert (L. 2. §§. 2 et 12. D. h. t.). Et quorsum praetor, qui in ceteris partibus huius edicti corrupta et ablata aequiparavit, in hoc solo ea seiungere voluerit, praesertim cum vis et homines coacti maxime in caussa fuerint, ut hoc edictum proponeretur? Accedit, quod nomen huius actionis, quae vulgo vi bonorum raptorum (L. 2. §. 17. D. h. t. Gai. 3, 209. semel de bonis raptis L. 52.

§. ult. D. de furt.) appellatur, ostendit, verbum *vi*, a quo illa *hominibus coactis* divelli non possunt, etiam ad posteriorem edicti partem relata esse. Ceterum cum sine vi rapi non videatur, non multum interest, etiamsi haec verba a superioribus segregemus.

Qui id fecisse dicetur. Hic quoque praetor utrumque delictum coniungit; ex quo apparet, unam non plures actiones hoc edicto promitti. Si plures fecerunt, in unumquemque actio erit, neque si ab uno quadruplum exactum fuerit, ceteri liberabuntur; quod adeo dicendum puto, si et is, qui coëgit, et qui coacti sint, conveniantur; omnes enim actio tenet. Deinde haec actio etiam familiae nomine datur, non imposita necessitate ostendendi, qui sint ex familia homines, qui rapuerint vel damnum dederint. Quae actio longe commodior est ceteris noxalibus actionibus, in quibus necesse est, eum qui vi fecisse arguitur, nominatim in formula ponere. Difficillime enim serviles personae inter se discernuntur; si vero in eo, qui admisisse diceretur, erratum esset, reus absolveretur, et tam diu nova actione agendum foret, donec is, qui fecisset, formula inclusus esset. Item si certi hominis nomine ageretur et is forte in potestate rei esse desiisset, rursus eveniret, ut reus ab hac formula absolvendus esset: quae omnia actione in familiam concepta evitantur. Ceterum domini scientia in hac noxali actione necessaria non est; nam si scivit et, cum posset, non prohibuit, etiam ex proprio dolo tenebitur, nec poterit noxae dedendo servos quadrupli praestationem evitare (L. 4. C. h. t.). Familiae autem appellatio, sicut in interdicto de vi et in aliis similibus actionibus (L. 195. §. 3. D. de V. S. Vid. supra p. 151.) servos continet, hoc est, qui in ministerio sunt, etiamsi alieni vel liberi bona

fide nobis servientes esse proponantur; nec referre puto, sive bona sive mala fide eos possideamus, quamvis liber homo dolo malo servi loco habitus possideri proprie non videatur. Sufficit enim nos potestatem in eos, ut quoquo modo eos coërcere possimus, habere videri. Sed in quibus usumfructum habemus, quorumve operas conduximus, non continentur. Quodsi quis unum solum servum habuerit, cuius dolo malo factum sit, familiam fecisse putari, Ulpianus ad Edictum de vi (L. 1. §. 18. D. de vi.) scripsit, quamvis alioquin unus vel duo familiam non faciant (L. 40. §. 3. D. de V. S.); nam ita quoque is fecit, quem mortis metu deterrere potuissem. Idemque erit, si ex multis meis servis unus tantum dolo fecerit. Quamquam haec omnia non est necesse hic tractare, cum praetor etiam specialiter servi mentionem faciat, quemadmodum in edicto de incendio ruina naufragio, huic per omnia simillimo (L. 1. pr. D. de incend. ruin. naufrag.). Si plures fecerint, putat Ulpianus (L. 2. §. 15. D. h. t.) non posse actorem singulorum servorum nomine agere adversus dominum eorum, quia sufficiat dominum semel quadruplum offerre: quod verum est; quisque enim, tametsi plures servos, unam tamen familiam habere videtur, et quod praetor ait, *servus vel familia*, sic intelligendum est: servus, si unum servum habet, familia, si plures. Si uxor, quae in manum convenit, vel is, qui in mancipio est, vi damnum dedit, dum alieno iuri subiecti erunt, haec actio, ut ceterae omnes, quae ex delicto veniunt, sustinebitur; noxalis enim harum personarum nomine locum non habet. Posteaquam vero sui iuris esse coeperunt, intra annum directa actio adversus eos in quadruplum dabitur. Sed contra filiumfamilias, cum sit in potestate, noxalis institui poterit, et Ulpiano assentior, filium-

familias et ipsum hoc edicto in familia computandum putanti (L. 195. §. 2. D. de V. S. Cf. Gai. 4, 76.). Paullus lib. 54. ad Edict. (L. 3. D. h. t.) scribit: *Si servus rapuerit, et cum libero agatur, etiam si cum domino experiundi potestas fuit, non recte cum manumisso post annum agetur: quia cum quocunque experiundi potestas fuerit, excluditur actor: et si cum domino intra annum actum sit, deinde cum manumisso agatur, rei iudicatae exceptionem nocere, Labeo ait.* Quod puto Paullum existimasse de eo, qui servum suum rapuisse ignoraverat. Alia est enim actio, quae ex dolo domini, alia quae ex servi delicto datur. Denique mirari quis possit, cur Tullius familiae nomine noxali contra Fabium egerit, quem etiam sine noxae deditione directa actione ex proprio ipsius dolo convenire potuerit. Sed cum Cicero Fabii ipsius dolum nusquam aperte arguat, opinor, difficilem visam fuisse probationem, quod Fabio sciente familia eius vi damnum dederit, dum familiae dolo malo factum esse negari non poterat.

Haec actio intra utilem annum in quadruplum datur, post annum in simplum (Gai. 3, 209. pr. I. h. t. L. 2. §. 13. D. h. t. L. 2 — 5. C. h. t.). Poenam enim infligere annui imperii, damnum refici semper aequum est. Quadruplari autem Ulpianus ait (L. 2. §. 13. D. h. t.) verum rei pretium, sicut in furti actione, non id, quod intersit, quamquam lege Aquilia omnis utilitas vertatur. Et hoc verum puto, neque separabimus damni dati rationem a bonorum raptorum aestimatione. Non enim condicitur hac actione vel alias caussa bonorum restituitur, sed vi factum acri poena luitur, ut non quantum damnum domino factum sit, computari, sed quatenus vis facta sit, inspici debeat. Eandem quoque ob caussam haec actio arbitraria non est,

quia omnes arbitrariae actiones ad restituendum pertinent. Quin etiam si ante iudicium acceptum restituat reus, quod rapuit, non prodesse ei ad evitandam poenam, recte Gaius lib. 21. ad Edict. provinc. (L. 5. D. h. t.) scripsit. Etenim deliquit. Quodsi res rapta postea pretiosior facta sit, eius quadruplum, quanti tunc, cum pretiosior esset, fuerit, aestimabitur, quia et tunc raptam esse, quae vi a domino abesse semel coepit, verius est. Quadruplum vero quidam putaverunt meram poenam continere, quoniam ipsius rei et vindicatio et condictio nobis competat (Gai. 4, 8.). Sed magis obtinuit, mixtam esse hanc actionem, ut in quadruplo res ipsa cum poena insit (L. 1. C. h. t. pr. I. h. t. §. 19. I. de action.). Et hoc idcirco placuisse puto, quoniam non solum propter rapinam verum propter damnum quoque vi coactis hominibus datum haec actio introducta est, et M. Tullio teste (pro Tull. §§. 9 sq. et §. 41.) praetorem hoc maxime movit, quod poena legis Aquiliae, quae et ipsa non est mera poena, impar ei tanto delicto visa fuerit. Post annum sola rei persecutio relinquitur, ideoque si plures rapuerunt damnumve vi dederunt, omnes quidem tenebuntur, sed si cum uno actum fuerit, ceteri liberabuntur. Utrum vero perceptione, an litis contestatione, quaeritur. Magis est, ut perceptione demum liberatio contingat, quemadmodum in omnibus in factum et bonae fidei actionibus respondetur.

Interdum haec actio non competit, licet vi armatis hominibus damnum datum vel bona rapta sint. Nam si quis suam rem rapuerit, eum vi bonorum raptorum actione non teneri, recte Ulpianus putat (L. 2. §. 18. D. h. t.). Sed hoc ita intelligendum, Imp. Iustinianus ait, si imprudens iuris eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim

rem suam auferre a possessoribus (§. 1. I. h. t.). Et ita quoque alteram illam Ulpiani sententiam locum habere existimo, quod arbitratur, eum, qui servum suum, quem alius bona fide possideret, rapuisset, hac actione non teneri (L. 2. §. 18. D. h. t.). Nam cum dominum, qui bonae fidei possessori rem suam surripuerit, furtum committere placeat (Gai. 3, 200.), quanto magis eum, qui vi aperta rapuit, teneri oportet? Sed tametsi bona fide aliquis rapuerit, et propterea hac actione conveniri nequeat, tamen aliter multabitur. Praeterquam enim quod publicum iudicium de vi publica vel privata contra eum exerceri potest, principalibus quoque constitutionibus cavetur, ut nemini liceat rem mobilem vel se moventem, licet suam esse existimet, vi rapere; quodsi contra quis fecerit, re quidem sua carere, si autem aliena res sit, post restitutionem rei ipsius etiam aestimationem eius persolvere iubetur (§. 1. I. h. t. L. 7. C. Unde vi.). Qui rem sibi obligatam rapit, non facile audietur, si hoc sibi licere se arbitratum praetendat, unde Ulpianus scribit (L. 2. §. 18. D. h. t.) hunc teneri; sed tamen rustico et valde simplici homini putaverim ignoscendum, maxime si tum, cum res oppignoraretur, ut creditori non reddita sibi pecunia, rem abducere liceret. Porro in impuberem, qui doli mali capax non sit, vi bonorum raptorum actionem non tribuendam, Ulpianus scribit (L. 2. §. 19. D. h. t.); at si servus vel familia eius admisisse proponatur, noxali tenetur; neque id iniuria; quod enim noxae dare compellitur, in damno debet reputare, cum servus hoc domini conditionem deteriorem facere possit. Si magistratus adversus resistentem violentius fecerit, neque haec actio neque legis Aquiliae locum habet. Item si cui est ius pignus capiendi, velut publicanis e lege *Plaetoria* (Gai. 4, 28.),

si is pecus meum abduxerit, dum putaret contra legem vectigalis aliquid a me factum: quamvis erraverit, agi tamen cum eo vi bonorum raptorum non posse, Labeo apud Ulpianum (L. 2. §. 20. D. h. t.) ait; qui notat: *Sane dolo caret. Si tamen per vim abductum pecus incluserit, si ideo inclusit, ne pascatur, et ut fame periret, utique vi bonorum conveniri poterit; quamvis etiam utili lege Aquilia* *) (Cf. L. 29. §. 7. D. Ad L. Aquil.). Et hoc verum puto; damnum enim fit vi permixtum, neque refert, quemadmodum pecus necatum sit. Si defendendi mei caussa vicini aedificium orto incendio dissipaverim, et meo nomine et familiae meae iudicium in me dandum Labeo scripsit. Sed merito hunc reprehendit Ulpianus (L. 3. §. 7. D. de incend. ruin. naufrag.), siquidem is, qui sui

*) L. 2. §§. 20. in fin. et 21. D. h. t. in codice Florentino et in editis sic fere leguntur: *Sane dolo caret: si tamen ideo inclusit, ne pascatur, et ut fame periret: etiam utili lege Aquilia. §. 21. Si per vim abductum pecus incluserit quis, utique vi bonorum raptorum conveniri poterit.* Sed haec luxata esse, accuratius consideranti dubium esse non potest. Ergo verba: *per vim a. p. incluserit* reponenda erant post *si tamen*, deinde ex sequentibus repetendum *si*, quod librarius, ut novam suam propositionem auspicaretur, alio traiecerat; eique subiiciendum, quod nunc sequitur: *ideo inclusit, n. p. e. u. f. periret*; tum rursus post haec restituendum, quod infra legitur: *utique v. b. r. c. poterit.* Illud vero *quis* ortum est ex *quamvis*, quod notari sic potest, ut a verbo *quis* omnino non distinguatur, nisi forte virgula vel puncto vel linea primae litterae ita addita, uti ex Goeschenii Ind. sigl. q. in Gaii cod. reper. p. 475. cognoscitur. Hac igitur voce ante illa: *etiam utili lege Aquilia* posita et his omnibus ad finem totius propositionis ablegatis, eam scripturam, quae ab Ulpiani manu profecta erat, plene restituisse nobis videmur.

tuendi iure utitur, dolo malo facere putari non potest. Sed idem etiam legis Aquiliae actionem in hac specie cessare ait, quoniam iniuria non fecerim; quod et Celsum scripsisse refert et est verum. Nam cum ideo dolo caream, quia iniuria non feci, quo pacto lege Aquilia, quae iniuriam vindicat, teneri possum? Quare Cicero in oratione, quam pro Tullio dixit, fallitur, cum asserit, idcirco praetores in hac actione non addidisse INIURIA, quia in ea iniuria factum esset necne, non referret.

Posteaquam exposuimus, quis hac actione teneatur, deinceps dispiciamus, quis ea experiri possit. Competit autem ei, cui damnum datum est, vel bona sunt rapta, hoc est, cuius interest, id factum non esse. Igitur in hac actione non utique spectamus, rem in bonis actoris esse; sed sive in bonis sit, sive non, si tamen ex bonis sit, locum haec actio habebit. Nam qui rem alterius fidei ac diligentiae commisit, is iam non rem suam, sed eius nomine, ut salva sit, personalem actionem habere videtur; neque ipsius dehinc interest, rem non rapi, quoniam patrimonium suum ita constituit, ut rei periculo in alium translato, actionem haberet. Is vero, cuius custodiae res concredita est, eam in bonis quidem non habet, est tamen ex bonis ipsius, quoniam si rapta fuerit, cum personali actione ad salvam eam praestandam teneatur, tantum, quanti ea res mihi est, ex bonis eius abesse videtur. *Quare*, Ulpianus ait (L. 2. §. 22. D. h. t. §. ult. I. h. t.), *sive commodata res sit, sive locata, sive etiam pignorata proponatur, sive deposita apud me sic, ut intersit mea, eam non auferri, sive bona fide a me possideatur, sive usumfructum in ea habeam, vel quod aliud ius, ut intersit mea, non rapi, dicendum est, competere mihi hanc actionem, ut non dominium ac-*

cipiamus, sed illud solum ex bonis meis, hoc est, ex substantia mea res ablata esse proponatur. (§. 23.) *Et generaliter dicendum est, ex quibus caussis furti mihi actio competit in re clam facta, ex iisdem caussis habere me hanc actionem.* Haec omnia dubium non habent. Deinde addit Ulpianus: *Dicet aliquis: Atquin ob rem depositam furti actionem non habemus.* (Vid. Gai. 3, 207. §. 19. I. de obligat. quae ex del. nasc. L. 14. §. 3. D. de furt.). *Sed ideo addidi, si intersit nostra, non esse raptam: nam et furti actionem habeo.* (§. 24.) *Si in re deposita culpam quoque repromisi, vel pretium depositionis non quasi mercedem accepi, utilius dicendum est, etsi cesset actio furti ob rem depositam, esse tamen vi bonorum raptorum, quia non minima differentia est inter eum, qui clam facit, et eum, qui rapit: cum ille celet suum delictum, hic publicet et crimen etiam publicum admittat. Si quis igitur interesse sua vel modice docebit, debet habere vi bonorum raptorum actionem.* Quae ut in ceteris probo, ita aperte falsum est, quod is, qui in re deposita culpam quoque repromiserit, furti habere actionem negatur: quidni enim furti is habeat, cum domini voluntate rei periculum ad eum spectet, sicut in re locata vel commodata? Nam in altera specie, si depositarius pretium depositionis accepit, hoc diversum est, quippe ibi dolus duntaxat praestari et ideo res periculo domini esse non desiit. Quare ad credendum adducor, in vitio cubare Ulpiani scripturam, quam ita emendo: *Dicet aliquis: Atquin ob rem depositam furti actionem non habemus. Sed ideo addidi: si intersit nostra, non esse raptam. Nam et furti actionem habeo, si in re deposita culpam quoque repromisi. Si vero pretium de-*

positionis non quasi mercedem accepi, utilius dicendum est, etsi cesset actio furti ob rem depositam, esse tamen vi bonorum raptorum etc. Pretium depositionis accipe quamcunque utilitatem ex re deposita forte redundantem, velut operas servi depositi (L. 1. §. 9. D. Depos.). Quod de conductore dictum est, transferendum etiam erit ad venditorem procuratoremque, et eum, qui in dotem vel qui aestimatam accepit; item ad creditorem; is tamen, qui solum de hypotheca convenit, duntaxat id ius, quod in ea re habuit, aestimare potest, dum ei, qui pignori datam accepit, totius rei aestimationem facere liceat. Interdum quamvis res alicuius periculo sit, tamen ei haec actio haud competit, velut si eius, qui alienis negotiis se obtulerat, culpa res amissa fuerit; hic namque domini, qui rem suam illius diligentiae non commiserat, interesse non desiit. Sed tamen actione negotiorum gestorum ita damnandus est, si dominus actione ei cedat. Eadem in furti actione de tutoribus et curatoribus, qui diligentiam praestant, item de eo, qui pro tutore negotia gerit, Paullus lib. 39. ad Edict. scripsit (L. 53. §. 3. D. de furt.): quae possunt huc transferri. Item si furi raptum fuerit, quanquam periculo eius res sit, tamen hanc actionem non habebit, ne cui propter dolum suum pessimo exemplo actio competere dicatur. Secus, si, cum fur rem furtivam vendidisset, dominus ei nummos pretii per vim extorserit; hic enim Ulpianus lib. 42. ad Sabin. (L. 48. §. ult. D. de furt.) scribit, furem cum domino et furti et vi bonorum raptorum agere posse, quod verum est. Si vi maiori conductori raptum sit, quia ex bonis ei nihil abest, hoc iudicium ei dandum non puto: nisi forte ob lucra, quae ex ea conductione sentiebat, rem raptam non esse, eius interfuerit. Verum

tum ipsius rei nomine domino utique haec actio permittenda esset. Eadem censeo de damno vi dato, si sine culpa eius, qui conduxit vel commodatum accepit, id acciderit. Ulpianus tractat (L. 2. §. 25. D. h. t.), si fugitivus meus quasdam res, instruendi sui caussa emerit, eaeque raptae sint, quia in bonis meis hae res sint, posse me de his vi bonorum raptorum agere. Quamquam enim per fugitivum neque possideamus neque usucapiamus, tamen rei ei venditae ac traditae vel aliter quaesitae ipso iure dominium acquirimus; vel si a non domino comparavit, Publiciana uti possumus (L. 54. in fin. D. de acquir. rer. dom. L. 12. D. de Public. in rem act.). Possent alia similia hic tractari, sed de his in furti actione agi solet.

Nam furti actionem etiam raptarum rerum nomine competere, Paullus et Ulpianus aiunt (L. 1. et 2. §. 26. D. h. t.). Quod quemadmodum procedat, videamus. Paullus ait: *Qui rem rapuit et furti nec manifesti tenetur in duplum et vi bonorum raptorum in quadruplum; sed si ante actum sit vi bonorum raptorum, deneganda est furti, si ante furti actum est, non est illa deneganda, ut tamen id, quod amplius in ea est, consequatur.* Ubi quod dicit, raptorem etiam furti nec manifesti teneri, sciendum est, non omnimodo eum, qui vi rapiat, etiam manifestum furtum committere. Nam cum furem manifestum eum esse fere conveniat, qui cum re furtiva fuerit deprehensus, priusquam eo loci eam pertulerit, quo destinaverat (L. 3—8. D. de furt. Gai. 3, 184. ibique cit. loc.), si vi manuque introitum sibi facientem et res auferentem nemo deprehenderit, quomodo fur manifestus dici is poterit? Unde Papiniani sententiam probare non possum, lib. 12. Quaestionum (L. 80. §. 3. D. de furt.) scribentis: *Cum raptor omnimodo*

furtum facit, manifestus fur existimandus est; nisi forte illa verba: *cum omnimodo furtum facit*, ita intellexit: *cum hominum ei obviorum nulla habita ratione furtum facit*, aut illum solum raptorem dici voluit, qui domino praesenti rem vi auferret, ut legendum sit: *furtum faciat.* Sed hic sensus a ceteris iuris conditoribus non probatur, et minime quidem omnium ab eo, quem ad Papiniani sententiam confirmandam vulgo excitant, Ulpianum dico, si locus eius ex lib. 38. ad Edict. (L. 52. §. 30. [al. L. 54.] D. de furt.) cum Haloandro saltim ita legatur: *Si quis ex domo, in qua nemo erat, rapuerit, actione de bonis raptis in quadruplum convenietur, furti nec manifesti videlicet actione, si nemo eum deprehenderit, tollenda.* *) Item Imp. Iustinianus quoque haud obscure significat, quod ad furti actiones attineat, interesse, utrum raptor, cum raperet, deprehensus fuerit, necne (pr. I. h. t.). Quod vero Paullus deinde dicit, furti nec manifesti actionem denegandam esse, si antea vi bonorum raptorum actum sit, hanc optimam rationem habet, quod unius delicti causa (si modo unum est) eodem iure plures poenae infligi non possunt; eodem iure dico, quamvis furti actio ex legitimo, vi bonorum raptorum ex honorario iure proficiscatur. Quid est enim hono-

*) In vetustioribus editionibus legitur: *in quadruplum convenietur furti manifesti actione: videlicet si nemo eum deprehenderit, actione tollenda.* Cum igitur Florentinus codex habeat *tollentem*, et careat post *manifesti* voce *actione*, non dubito, quin legendum sit: *in quadruplum convenietur, non furti manifesti, videlicet si nemo eum deprehenderit tollentem.* Vocula *non* in quibusdam exemplaribus exciderat, in aliis transposita erat. Ulpianus vero demonstrare voluit, raptorem interdum furti manifesti non teneri.

rarium ius, nisi ius civile praetoris iurisdictione certo quodam modo constitutum? Quodsi raptor cum re rapta deprehensus fuerit, consequens est, ut vi bonorum experto actio furti manifesti duntaxat in simplum denegari non debeat: in actione enim vi bonorum raptorum ut supra quoque diximus, non totum quadruplum poena est. Porro etiam damni iniuriae actio toties locum habet, quoties vi dolo malo damnum datum est; ut tamen aeque, si illa actione actum est, vi bonorum raptorum duntaxat id, quod in hac excedit, peti possit. Sed e diverso non omnimodo repellendus est a legis Aquiliae actione, qui actione vi bonorum raptorum quadruplum iam tulit; quid enim, si servus occisus in proximo anno maioris pretii fuerit, quam efficiat quadruplum tanti, quanti tum, cum occideretur, erat? Quod eo magis tum dicendum est, si hoc iudicio post annum demum actum fuerit. Praeterea qui rerum raptarum nomine hanc actionem habet, etiam condicere ex caussa furtiva poterit, ubi, si vi bonorum raptorum actum iam erat, id computabitur, quod deducto vero rei pretio relinquitur. Denique etiam vindicare dominus potest: neque ei, quicum vi bonorum raptorum agitur, si forte rei possessionem amiserit, doli mali exceptio, qua actorem ad vindicationem praestandam compellat, indulgebitur.

Hanc actionem heredi ceterisque successoribus, adversus heredes autem vel ceteros successores non dari, quia poenalis sit, Ulpianus ait (L. 2. §. ult. D. h. t). An tamen in id, quod heredes locupletiores facti sint, dari debeat, dubitat. Sed verum mihi videtur, quod praetorem ideo hanc actionem contra heredes in id, quod ad eos pervenerit, pollicitum non esse existimat, quia condictio ei sufficere visa sit.

Recte vero et ordine facit praetor, quod recuperatores in his caussis iudicare iubet, denuntiandique duntaxat decem testibus litigatoribus facultatem praestat. Curare enim debet, ut quae vi facta esse dicuntur, quam primum examinentur et iudicentur. Sed ex quo omnia iudicia extra ordinem exerceri coepta erant, Imp. Theodosius alia ratione consuluit, ut hae caussae mature cognoscerentur. Constitutione enim emissa (L. 8. C. Th. de iurisdict.) praeter alias controversias etiam hanc actionem a praesidibus provinciarum audiri vetuit, itaque effecit, ut ad inferiores iudices, qui plus temporis rebus iudicandis impendere possunt, eam deferri necesse esset.

EXCURSUS II.

DE RECUPERATORIBUS.

De recuperatoribus, notissimo eorum qui lites apud Romanos iudicarent genere, multi quidem et haud contemnendi auctores scripserunt; apud nullum tamen eorum probabilem horum iudicum originem eorumque a ceteris, qui proprie iudices vocantur, diversitatem clare et perfecte expositam inveni: quare excusatum me fore apud benevolum lectorem confido, si paullo diutius in hac materia illustranda versabor.

Ante omnia quaeri solet, quam ob rem veteres Romani duplici genere eorum, quibus controversias cognoscendas committerent, usi sint, quorum alteri iudices dicantur, alteri recuperatores; etiamsi enim unum alterumve discrimen inter utrosque de-

prehendatur, huius tamen vel rationem obscuram esse, vel certe, cur propter hoc discrimen nova novoque nomine insignita iudicantium species desiderata fuerit, ignorari. Ad quam quaestionem ut considerate respondeamus, necesse esse apparet, ut in probabilem recuperatorum originem inquiramus, quae ita facillime videtur inveniri posse, si prius vocabuli recuperatorum potestas excutiatur.

Si quis igitur iudicis ac recuperatorum ipsa nomina intueatur, eum non latebit, iudicis appellatione, quae derivanda est a *iure dicando*, hoc est, ex prisca huius verbi significatione, *indicando, pronunciando* (Non. Marcell. 4, 139.), solam iuris in quacunque controversia investigationem et pronunciationem contineri, nullumque munus, suum cuique restituendi, quod nunc in iudice fere eminet, ea appellatione significari. E contrario recuperatorum nomen magis facti est, quam iuris, et solam rerum, quas quis amiserit, recuperationem continet. Hinc vero coniectura capi potest, ab initio duntaxat iudicibus, non etiam recuperatoribus, iudicandi inter cives munus incubuisse. Iuris enim istius, quo eiusdem reip. cives inter se utuntur, quod vocatur civile et primis temporibus nonnisi ex legibus et vetusto more manavit, ea vis est ac natura, ut si civis civem laeserit aut ius ei suum non tribuerit, hoc nomine publice non res ab eo repetendae, quam poena ei irroganda sit, quam initio diis, civitatis antistibus iniuriaeque vindicibus persolutam esse comperimus: quapropter etiam iis, qui de iure et iniuria quaererent, iudicum nomen unice convenire potuit. Et vero ita omnibus antiquitatis monumentis proditum est, Romae qui antiquitus iudicarent, iudices nuncupatos esse; recuperatorum vocabulum in legitimis iudiciis tam inauditum fuit, ut postea quoque, si recuperatores

alicui iudicio addicti essent, e lege id esse non putaretur (Gai. 4, 104 et 105.). Quonam igitur pertinuerunt recuperatores? Quae lites eis iudicandae relinquebantur? Si verum est, quod de iudicibus diximus, non possunt recuperatores ab initio alias controversias iudicasse, quam quas cives Romani haberent cum peregrinis. Et hoc revera tot argumentis confirmatur, ut pro certo haberi possit. Primum enim fuisse aliquos, qui has controversias ordinario quodam modo cognoscerent et iudicarent, negari non potest, nisi forte omnino nulla cum exteris nationibus foedera et commercia Romanos habuisse contra historiarum testimonia contendere velimus; iudices autem his controversiis componendis occupari non potuisse, inde necessario sequitur, quod peregrinis nulla iuris civilis Romani, sicut nec Romanis peregrini iuris communio fuit, ideoque quid esset iuris inter civem et peregrinum quaeri non potuit. Relinquitur igitur, ut aut evanuerit eorum iudicum, qui inter cives et peregrinos iudicarint, memoria nomenque, quod multis de caussis improbabile est, aut ut recuperatores, quorum alioquin obscura est origo, in istis caussis iudicasse dicantur. Obiiciat aliquis arbitros; sed hi, siquando lege aliqua invitis litigatoribus dabantur, semper tamen in eiusmodi controversiis, quae caussam civilem sed eam infinitam haberent, iudicabant, quod pluribus hic demonstrare longum est. Extra dubium vero ponitur nostra de recuperatoribus sententia hoc Galli Aelii loco, quem Festus v. *Reciperatio* servavit: *Reciperatio est, ut ait Gallus Aelius, cum inter populum et reges nationesque et civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res reciperenturque, resque privatas inter se persequantur.* Quo in loco animadverte, aut legendum esse

populum Romanum vel *Romanum populum* (potissimum posterius, si in veteriori codice R. populum notis scriptum fuisse ponamus, facile restitui potest), aut certe intelligendum, ne cum Paullo, Festi epitomatore, dicamus, Reciperationem esse, *cum inter civitates peregrinas lex convenit, ut res privatae reddantur singulis recuperenturque.* Ceterum apparet ex hoc loco, si foedus cum aliquo populo vel rege iceretur, caveri solitum esse, ut suum cuique restitueretur resque redderentur, non solum quae nunc ex belli tempore apud utrumque populum alienae resedissent, et de quibus eo foedere nominatim convenisset, verum etiam quas in futurum unius populi civis a cive alterius populi ex contractu puta vel e delicto repetiturus foret; eos vero, per quos haec recuperatio celebraretur, recuperatores dictos esse. Quam quidem antiquissimam recuperatorum significationem priusquam diligentius persequar, antea exempla quaedam eiusmodi legum foederibus adscriptarum, quales Gallus refert, subiiciam. Antiquissimum huius generis foederum cum populis Italicis percussorum exemplum cuius memoria exstat, est in foedere Latino, a. u. 261. icto, quo praeter alia cautum esse Dionysius 6, 95. narrat, *ut privatarum rerum iudicationes intra diem decimum fierent, παρ' οἷς ἂν γένηται τὸ συμβόλαιον,* hoc est, *apud eum populum, cuius in finibus negotium gestum esset:* ex quo consequitur, ex illo foedere tam Romanos quam Latinos recuperatores fuisse; nam sine dubio quos uterque populus recuperatores dabat, eos de suis civibus dabat. Neque illud quidem dubitandum, quin utrique recuperatores secundum suorum civium ius civile iudicarint, quod specialiter expressum invenio in foedere Lacedaemoniorum et Atheniensium a Thucyd. 4, 118. relato his verbis:

δίκας δὲ διδόναι ὑμᾶς τε ἡμῖν, καὶ ἡμᾶς ὑμῖν κατὰ τὰ πάτρια, τὰ ἀμφίλογα δίκῃ διαλύοντας ἄνευ πολέμου. Latinum foedus aetate etiam antecedit primum foedus, quod populus Romanus cum Carthaginiensibus icit (a. u. 245.), quo foedere teste Polyb. 3, 22. inter alia cautum fuit: *Τοῖς δὲ κατ' ἐμπορίαν παραγιγνομένοις μηδὲν ἔστω τέλος, πλὴν ἐπὶ κήρυκι ἢ γραμματεῖ. Ὅσα δ' ἂν τούτων παρόντων πραθῇ, δημοσίᾳ πίστει ὀφειλέσθω τῷ ἀποδομένῳ· ὅσα γ' ἂν ἢ ἐν Λιβύῃ ἢ ἐν Σαρδόνι πραθῇ. Ἐὰν Ῥωμαίων τις εἰς Σικελίαν παραγίγνηται, ἧς Καρχηδόνιοι ἐπάρχουσιν, ἴσα ἔστω τὰ Ῥωμαίων πάντα.* Hoc est: *Qui ad mercaturam venerint, vectigal nullum pendunto, extra quam si quid praeconi aut scribae dandum sit; quicquid vero his praesentibus venierit, (pretium) publica fide venditori debetor, quod quidem in Libya vel Sardinia venierit. Si Romanorum quis in eam Siciliae partem venerit, quae sub Carthaginiensium imperio est, aequum in omnibus Romanorum ius esto.* Hic quoque quid apertius, quam de iudiciis inter utrumque populum convenisse, quibus resp. eius, a quo peteretur, petitori suum restitui iuberet? Et in Sicilia quidem omnium rerum nomine Romanis aequum cum Poenis ius spondetur; in Africa vero et Sardinia duntaxat quod ex rerum venditionibus publice celebratis posceretur. Cf. Heynii Opusc. Tom. III. p. 51 sq. Ex altero quoque foedere, cum Poenis a. u. 406. inito, caput aliquod huc spectat, ex quo, quamvis mutilus sit Polybii, qui id servavit, locus (3, 24), hoc tamen colligi videtur posse, placuisse, ut privata iniuria iudicio, publica bello vindicaretur *).

*) Locus Polybii in ed. Schweighaeuseriana sic habet: Ἂν ἔκ τινος χώρας, ἧς Καρχηδόνιοι ἐπάρ-

Infinita sunt exempla eiusmodi legum, quibus Romani res bello captas, velut captivos, urbes, naves et cetera id genus sibi reddi vel restitui cavebant, quas restitutiones deinde similiter recuperatores procurasse putandi sunt. Sed de iure et iudiciis, per quae haec recuperatio fieret, perrara est apud historicos scriptores memoria, haec ut levia scilicet praetermittentes. Quo nobis acceptius est fragmen-

---

χουσιν, ὕδωρ ἢ ἐφόδια λάβῃ ὁ Ῥωμαῖος, μετὰ τούτων τῶν ἐφοδίων μὴ ἀδικείτω μηδένα, πρὸς οὓς εἰρήνη καὶ φιλία ἐστὶ Καρχηδονίοις. [ὡσαύτως δὲ μηδ' ὁ Καρχηδόνιος] ποιείτω. εἰ δὲ μὴ ἰδίᾳ μεταπορευέσθω· ἐὰν δέ τις τοῦτο ποιήσῃ, δημόσιον γιγνέσθω τὸ ἀδίκημα. Supplementum illud ὡσαύτως — Καρχηδόνιος a Schweighaeusero est. Mihi, cum aliquid excidisse apertum sit, lacuna in hunc modum probabilius expleri posse videtur: [ὡσαύτως δὲ μηδὲ, πρὸς οὓς εἰρήνη καὶ φιλία ἐστὶ Καρχηδονίοις]; nam in praecedentibus item de iniuria, non Carthaginiensibus sed sociis eorum facta, sermo est, et ita quoque apparet, qua ratione librarius in errorem inductus sit, ut illa verba omitteret. Verum ex iis etiam, quae deinde sequuntur, utcunque viri docti in eorum interpretatione desudaverint (vid. Heynius l. c. p. 64.), sicut adhuc legitur, sensus elici non potest. Mihi igitur ibi nonnulla loco suo mota esse videntur, quae sic restituo: ποιείτω. ἐὰν δέ τις τοῦτο ποιήσῃ, μεταπορευέσθω· εἰ δὲ μὴ ἰδίᾳ, δημόσιον γιγνέσθω τὸ ἀδίκημα. Hoc est: *facito. quodsi quis hoc fecerit, recuperator (i. e. res iudicio repetuntor); sin vero non privatim (fecerit), pro publica iniuria habetor.* Et hunc quidem sensum huius loci ante oculos habui, cum supra scriberem, hoc foedere placuisse ut privata iniuria iudicio, publica bello vindicaretur. Similem legem ex foedere cum rege Antiocho facto postea cognoscemus.

tum plebisciti, quod de Thermensibus vulgo vocatur, quoque, uti videtur, a. u. 682. Thermensibus, per id tempus a Mithridatis imperio liberatis, iura liberae civitatis tributa sunt. Hac igitur in lege praeter alia multa de hominibus eorum, bello Mithridatico a Romanis sociisve populi Romani captis, cavetur Col. 2. v. 39–44. (Vid. Dirksenii Versuche z. Kritik u. Ausleg. d. Quellen d. R. R. p. 193.):

QVOS. THERMENSES. MAIORES. PISIDAE. LEIBEROS. SERVOSVE
BELLO. MITHRIDATIS. AMEISERVNT. MAGISTRATVS. PR
MAGISTRATV. QVOIA. DE. EA. RE. IVRISDICTIO. ERITQV
DE. EA. RE. IN. IOVS. ADITVM. ERIT. ITA. DE. EA. RE. IOVS.
DEICVNTO. IVDICIA. DE. . . . . DANTO. VTEI. I. (i. e. ut iei)
EOS. RECVPERARE. POSSINT.

Verbum quidem illud, quod hic maxime momenti est, in v. 43. paene deperiit. Sed lacunae modus, totius loci ratio et sequens vocabulum RECVPERARE dubitare nos non patiuntur, quin legendum sit IVDICIA. RECVPERATORIA. Nam IVDICIA. RECVPERATIONIS, quod post Manutium reposuerunt Sigonius, Ursinus, Muratorius, a communi loquendi ratione abhorret, et IVDICIA. RECVPERATORESVE, quod Dirksenius l. c. p. 178. restitui iubet, vereor ne id omnino latine non dicatur. Nam quae ille e legis Thoriae fragmentis confert: *iudicium, iudicem recuperatoresve dare*, sane non sunt similia. Sed quicquid est, hoc legis illius caput apertum documentum est, etiam ea, quae bello amissa post pacem factam restitui placuerat, recuperatoribus interpositis restitui consuevisse, ut hac quoque parte Aelii Galli definitio verissima

reperiatur. Ex foederum legibus, a scriptoribus antiquis commemoratis, haec sola, cuius Livius 38, 58. meminit in relatione foederis cum rege Antiocho icti, digna est, quae hic apponatur: *Controversias inter se iure ac iudicio disceptent: aut si utrisque placebit, bello.*

Ex hoc vero antiquissimo recuperatorum usu primum nomen eorum illustratur. Cum enim, ut supra ostendi, inter diversorum populorum cives lege agi et de iure disceptari non posset, tota vis horum iudiciorum eo pertinebat, ut unicuique res suae restituerentur, hoc est, ut si quis fidem contractus violasset, delictum admisisset aut alio modo iniuriam fecisset, eam ob caussam damnum repararetur, poena infligeretur et prout quaeque res esset, iudicio prospiceretur. Quocirca recuperatores Fetialibus quadamtenus similes erant, tantum quod illi pacis tempore ex foedere *res recuperabant*, hi, si ordinaria iuris persecutio denegata erat, *res repetebant* (cf. Brisson. de form. 4, 11.). Si vero accuratius recuperatorum nomen consideramus, hoc deducendum videtur a *re*, *cis* et *parure*, ut sit recuperare: id quod a nobis trans apud alterum populum fuerit, ad nos revocare et recipere (cf. vocem *Reciprocare* apud Festum); ex quo patet, id quod proprie est negotium reciperatorum (nam ita secundum istam derivationem et antiquissimos codices mss. melius scribitur), tam expresse significari hoc verbo, ut dubitare non liceat, quin ceterae eius significationes ab hac primitiva post derivatae sint. Et hoc etiam eo confirmatur, quod plerumque haec vox de recipiendis rebus, quae magis iuris quam facti sunt, usurpatur, velut in his locutionibus: libertatem, patrimonium, pecuniam, ius suum, statum pristinum recuperare et alia id genus. Cf. Tacit. Ann. 2, 45. Caes. de B.

C. 3,91. Cic. ad Attic. 15,13. in Verr. 3,14. L. 10. §. 1. D. de alim. cibar. leg. etc. Rebus facti etiam opponitur, verbi gratia a Cic. Philipp. 2,44: *Respublica, quae se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit.* Iustin. 18,7,5. *Non se expugnatum sed reciperatum patriam venire.*

Praeterea ex hac recuperatorum origine obscuris quibusdam rei Romanorum iudiciariae locis nova lux afferri potest. Si quis enim magnam illam iudiciorum mutationem lege Aebutia et duabus Iuliis effectam (Gai. 4,30.) contempletur, ei mirabile videri oportet, quod Romani, adhuc legum infinito imperio assueti, repente consilium ceperint, totum illum lege agendi morem derelinquendi et iudicia magistratuum arbitrio committendi. Unde istae subito in factum actiones, iudices arbitriis, quae exinde bonae fidei actiones dici coeperunt, addicti, fictionum ingens vis, exceptiones, praescriptiones, deductiones? Quomodo cum leges possent emendare iniquas, abrogare obsoletas, non sufficientes novis augere, quae remedia et hodie sola morbis iuris civilis sanandis apta censeri solent, et ad illud usque tempus a Romanis sola adhibita erant, eo delati sunt, ut mores a patribus sibi traditos abiicerent et magistratuum formulas legum praescriptionibus sufficerent? Haec omnia quaerere et mirari desinemus, ubi iudiciorum ordinem, quem recuperatores inde ab initio observasse necesse est, consideraverimus. Apparet enim, recuperatores, cum lege agere peregrinis non liceret, neque omnino ulla cum Romanis iuris societas iis esset, ex legibus controversias eorum iudicare non potuisse. Ergo nisi statuere velimus, libero arbitrio recuperatorum, quid iudicare vellent, permissum fuisse, quod nullam habet probabilitatem, nihil relinquitur, nisi ut formulis a magistratu datis ad

iudicandum instructi sint. Sic etenim facillime effici poterat, ut ius civile Romanum ad peregrinos, peregrinum ad Romanos porrigeretur, et ubicunque aequitas suppeteret, actione in factum data, quisque ius suum a diversi populi cive recuperaret. Quare etiam existimo, omnium fictionum illam fuisse antiquissimam, qua peregrino civitas Romana fingeretur, velut hac formula: IVDEX ESTO. SI PARET OPE CONSILIOVE DIONIS PEREGRINI LVCIO TITIO (sic legendum videtur apud Gai. 4, 37.) *) FVRTVM FACTVM ESSE PATERAE AVREAE, QVAM OB REM EVM, SI CIVIS ROMANVS ESSET, PRO FVRE DAMNVM DECIDERE OPORTERET et reliqua. Cf. etiam Cic. in Verr. 2, 12. Si igitur ita rem iudiciariam in litibus, quas cum peregrinis cives Romani haberent, comparatam fuisse ponimus, dubitari amplius non potest, quin Romani novam illam per formulas agendi rationem circa initium sexti post urbem conditam seculi non nove repererint, sed tantummodo a iurisdictione inter cives et peregrinos ad lites, quas ipsi inter se agerent, transtulerint. Cum enim viderent, quam aeque et ad quamque rem accommodate peregrinis ius diceretur, dum ipsi legis actionum laqueis constricti interdum iustissimas caussas perderent, merito e rep. fore duxerunt, si istius beneficii se quoque participes facerent. Est etiam insignis in hanc rem Ciceronis locus, quo iudicia recuperatoria opponuntur lege constitutis iudiciis, et in illis ple-

*) Sched. habent: *cr. meifilio.* Bluhm.: *er. filio.* Si posteriores litterae revera in codice exstant, facilius legetur: *civi Romano Titio*, vel *civi Romano Ofilio*. Quicquid est, nomen eius, cui furtum factum sit, in formula deesse non potest; eum autem, cui postea civitas Romana fingitur, antea expresse peregrinum appellari, certe valde commodum est.

num fuisse magistratuum arbitrium, in his astrictum et paene nullum, haud obscure significatur. Qui locus, quamvis ad rem iudiciariam Siculorum spectet, tamen quoniam Siculi illi liberi erant et suo iure utebantur, ad Romanam remp. commode referri potest. In Verr. 2, 13. *Haec omnia isto praetore non modo perturbata sed plane et Siculis et civibus Romanis erepta sunt: primum suae leges; quod civis cum civi ageret, aut eum iudicem, quem commodum erat, praeconem, haruspicem, medicum suum dabat: aut si legibus erat iudicium constitutum, et ad civem suum iudicem venerant, libere civi iudicare non licebat.* Quem enim hic dicit Cicero iudicem praeconem, haruspicem, medicum, eo eum recuperatores significasse e multis aliis tertii Verrinarum libri locis constat, velut c. 11. 12. 21. 29. 49. 60.

Ceterum quam potestatem recuperatores illi iuris gentium habuerint, in tanto testimoniorum silentio nemo facile dixerit. Hoc tamen pro certo affirmari potest, semper eos nominatim in unaquaque caussa a magistratibus datos esse et ex eius quidem populi civibus, apud quem ea res agebatur; iudicio autem constituto, eadem omnia subsecuta esse, quae in legitimis iudiciis a iudice observari solebant. Hoc cognoscitur ex iudicii exemplo recuperatorii in caussa repetundarum constituti, cuius meminit Liv. 43, 2. et quod ad antiquius illud genus recuperatorum referri potest. Sciendum enim est, repetundarum quaestionem publicam olim perpetuam non fuisse, sed cum rarum hoc delictum esset, sufficere visum, si peregrinorum populorum querelae de praesidibus provinciae a senatu examinarentur, et deinde, si pecunias raptas esse apparuisset, recuperatores prisco more ad res recuperandas darentur, cives autem expilati lege

agendo et vulgaribus sed item privatis iudiciis ius suum persequerentur (Cic. Divin. 5.). Postea demum, a. u. 605. cum hoc crimine ipsa resp. laedi videretur, perpetua quaestio cum iudicibus, populi Romani vicariis, lege Calpurnia constituta est (Cic. Brut. 27. in Verr. 4, 25.). Livius igitur loco laudato de sociis Hispanis, a Romanis magistratibus direptis, haec narrat: *Quum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas, L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est SCtum, iussique nominare patronos: quatuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Aemilium L. F. Paullum, C. Sulpicium Gallum. Cum M. Titinio primum, qui praetor A. Manlio, M. Iunio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniae populi M. Catonem et Scipionem, ulterioris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mucio consulibus triennio ante, hic biennio prius, L. Postumio, M. Popillio consulibus praetor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique: quum dicenda de integro caussa esset, excusati exsilii caussa solum vertisse.* An reis iudicatis etiam pecuniae exigendae negotium recuperatoribus datum sit, dubito; hoc enim imperii fuit et a iudicandi munere alienum.

Quare fides non videtur habenda huic graeci glossarii loco a Brissonio de V. S. v. *Recuperatores* exscripto, ubi recuperatores definiuntur *ἐξισωταὶ ἀνάληψιν δι' ἑαυτῶν ποιούμενοι, ὀρθωταὶ τοῦ δήμου.* nisi forte illa verba *δι' ἑαυτῶν* ex abundanti addita sunt.

Iam vero quaeritur, quomodo recuperatores etiam in ius civile invecti sint et inter ipsos cives Romanos iudicare inceperint. At hoc ex iis, quae ante diximus, ita iam apparet, ut vix opus sit disertis verbis ad quaestionem propositam respondere. Postquam enim magistratibus ordinandi iudicia et iis qui iudicarent, formulas praescribendi potestas lege permissa erat, quid eos prohibebat, quo minus recuperatores etiam in caussis civium et e diverso iudicem in controversiis peregrinorum aut inter se aut cum civibus Romanis litigantium redderent? Quemcunque praetor adpellavisset et ex formula iudicare iussisset, eum iudicare oportebat (Cic. in Verr. 2, 12.), et quod is iudicasset, ratum erat. Iudices dehinc appellabantur, non solum, qui ius reperiebant et pronunciabant, quae pristina eorum significatio erat, sed omnes, qui rem ex formula iudicabant, sicut ii quoque, qui rem iure iudicioque persequebantur, non lege agere ut antea, sed simpliciter agere posthaec dicebantur. Haec sola deinde remansit differentia, quod iudicia ex prisco iuris civilis instituto ordinata iure civili consistebant vocabanturque legitima, ea contra, quae magistratuum potestate constituta erant, tantummodo eius, qui rem iudicari iusserat, imperio continebantur. Quamobrem recuperatoria iudicia, quae propria erant iuris gentium iurique civili prorsus incognita, dubium non fuit, quin pariter atque illa, in quibus peregrini persona interveniebat, et quae extra urbem Romam accipiebantur, imperio continentibus

iudiciis (nam sic haec appellabantur) adnumeranda essent. Gai. 4, 105. *Imperio vero continentur recuperatoria* (sc. iudicia) *et quae sub uno iudice accipiuntur interveniente peregrini persona iudicis aut litigatoris. in eadem causa sunt, quaecunque extra primum urbis Romae miliarium tam inter cives Romanos, quam inter peregrinos accipiuntur. ideo autem imperio contineri iudicia dicuntur, quia tamdiu valent, quamdiu is, qui ea praecepit, imperium habebit.* — §. 109. *Ceterum potest ex lege quidem esse iudicium sed legitimum non esse. verbi gratia si ex lege Aquilia, vel Ovinia, vel Furia in provinciis agatur, imperio continebitur iudicium: idemque iuris est et si Romae aput recuperatores agamus vel aput unum iudicem interveniente peregrini persona* etc. Sed ad hoc discrimen legitimorum et imperio continentium iudiciorum revertendi infra opportunitas dabitur.

Cognito recuperatorum ortu primoque usu difficile non erit vim eorum ac potestatem, postquam inter ordinarios fori Romani iudices locum obtinuerunt, excutere.

Primo quaeri potest, quamobrem magistratus populi Romani, penes quos deinceps recuperatorum vel iudicum dandorum liberum arbitrium fuit, cum unum horum iudicum genus reip. necessitatibus sufficere potuisse videatur, tamen utrumque retinuerint. Quod ut facerent, sine dubio magna aliqua aequitatis vel utilitatis ratio eis persuasit; potuisse enim semper et iudicem et recuperatores ab iis dari, iam supra significavi, neque vero eos forte fortuna vel hos vel illum reddidisse, non solum sapientia, quae in illis magistratibus fuit summa, verum etiam loca quaedam, unde rationem et consilium in hac re adhibitum esse patet, dicere

vetant. Ut igitur ab illis locis incipiam, post orationem pro Tullio repertam iam dubitare non possumus, quin recuperatorum utilitas maxime in hoc constiterit, quod lites, his datis, citius, quam a iudicibus iudicarentur. Cic. pro Tull. §. 10. ... *et reciperatores dare, ut quam primum res iudicaretur.* §. 41. *Etenim, reciperatores, non damno commoventur magistratus, ut in haec verba iudicium dent: nam id si esset, nec reciperatores potius darent, quam iudicem.* Addatur Valer. Prob. de not. Rom. apud Gothofr. Auct. L. L. p. 1477. qui has notas ex edicto perpetuo refert: Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. D. T. D. D. P. F. hoc est, *Quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo, testibusque duntaxat decem denuntiandi potestatem faciam.* Quod enim praetor in iis iudiciis, quae hac formula pollicebatur, duntaxat exiguo numero testium denuntiandi potestatem faciebat, quo hoc pertinet, nisi ad accelerationem eiusmodi iudiciorum? Cum vero ex hoc loco simul appareat, istam clausulam edictis de recuperatoriis iudiciis reddendis addi solitam esse, ultro consequitur, praetorem tum cum rem mox iudicari vellet, recuperatores se daturum edixisse. Festinationis etiam mentio fit in hoc recuperatorii iudicii exemplo, quod Cic. Divin. 17. commemorat: *Ubi hoc quaestori Caecilio, viro optimo et homini aequissimo, nuntiatum est, vocari ad se Agonidem iubet; iudicium dat statim, si pareret, eam se et sua Veneris esse dixisse. iudicant recuperatores id, quod necesse erat; neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset.* Denique apud Gai. 4, 185. *Fiunt autem vadimonia quibusdam ex caussis pura, id est, sine satisdatione; quibusdam iureiurando; quibusdam recuperatoribus suppositis, id est, ut qui non steterit,*

is protinus a recuperatoribus in summam vadimonii condemnetur. Itaque quoties publice interesset, rem cito iudicari, toties recuperatores potius quam iudicem datos esse statuendum est.

Secundum hanc regulam primum dicemus, omnes illas caussas recuperatores plerumque habuisse, quae ut quam primum cognoscerentur, facti in iudicium vocati atrocitas postulabat. Quamquam hic discrimen faciendum est, ad totam illam distributionem caussarum in iudiciales (ut ita dicam) et recuperatorias pertinens; alia enim delicta sunt eiusmodi, ut nunquam non intersit, quam celerrime ea vindicari; alia interdum tantum festinationem desiderant, alia denique omnino nunquam. Quare tria fere existunt iudiciorum genera, unum, ubi semper, alterum, ubi plerumque vel certe aliquando, tertium, ubi nunquam recuperatores dabantur. Iam igitur recuperatorum in caussis atrocibus datorum exempla, quae a scriptoribus antiquis nobis servata sunt, recenseamus. De iniuriarum actione auctor est Labeo apud Gell. 20, 1. *Propterea, inquit,* (sc. quia poenae duodecim tabularum lege iniuriis statutae disconvenire coeperant) *praetores postea hanc abolescere et relinqui censuerunt, iniuriisque aestimandis recuperatores se daturos edixerunt.* Hoc confirmat ratione simul eius rei subiecta Cic. Rhetor. 2, 20. *Agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum; postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem, Extra quam in reum capitis praeiudicium fiat. Hic is, qui agit, iudicium purum postulat, ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quaestio est, excipiendum sit, annon. Ratio, Non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, praeiudicium fieri. Infirmatio rationis, Eiusmodi*

sunt iniuriae, ut de his indignum sit, non primo quoque tempore iudicari. Neque tamen semper ad recuperatores iniuriarum actum esse, sed tum, si caussa exigebat, inde intelligitur, quod iudicis quoque, qui in actionibus iniuriarum cognoverit, mentio fit apud Cic. ad Herenn. 2, 13. item Gai. 3, 224. Paull. S. R. V, 4. §. 7. Ulp. in Collat. 2, 2. et L. 5. §. ult. D. de iniur. quamquam posterioribus locis, ubi generaliter iudex (quod nomen postea etiam recuperatores comprehendit) commemoratur, non multum tribuerim. Maxime igitur, si iniuriae summae atrocitatis essent, vel de facto manifeste constaret, recuperatores a praetoribus datos opinor. Vi bonorum raptorum nonnisi recuperatorium iudicium praetorem promisisse, ex oratione pro Tullio cognoscimus. Idemque de interdicto, cuius principium est: *Unde vi hominibus armatis,* supra ad Orat. pro Tull. §. 46. ostendere conatus sum. Contra in actionibus ex interdicto de vi tantum proficiscentibus, item in ceteris plerisque interdictis, aut iudicem aut recuperatores sumi potuisse, ex Gai. 4, 141. comperimus, ubi ait: *Nec tamen, cum quid iusserit fieri, aut fieri prohibuerit* (sc. praetor), *statim peractum est negotium, sed ad iudicem recuperatoresve itur, et ibi editis formulis quaeritur, an aliquid adversus praetoris edictum factum sit, vel an factum non sit, quod is fieri iusserit.* Quodsi Gaius postea, ubi de ordine et exitu interdictorum loquitur, solius iudicis mentionem facit (4, 163. 166.), non ita intelligendus est, quasi in eadem caussa non aeque recuperatores posse dari censuerit, sed unum iudicum genus commemorasse satis habuit, vel iudicis nomine utrumque complexus est. Quin etiamsi arbiter petitus esset, recuperatores a praetore reddi potuisse non dubito. Arbitrum enim petere omnino

significat, petere iudicium in factum conceptum arbitrarium sine sponsione, cui deinde seu iudex seu recuperatores addicerentur, eaque dicendi formula ex illo tempore, quo recuperatores inter cives nondum iudicabant, in usu remansisse censenda est; sane enim non video, quidni recuperatores pariter ac singuli iudices arbitrio suo rem decidere potuerint. Rursum solos recuperatores redditos esse suspicor in ea formula, qua utebatur patronus contra libertum, qui eum adversus edictum praetoris in ius vocaverat. Gaius enim, dum in ceteris exemplis actionum, quae fortasse non magis apud iudicem quam apud recuperatores agi poterant, semper iudicem commemorat, istius actionis formulam sic refert: RECVPERATORES SVNTO. SI PARET etc. Sine dubio etiam in ceteris plerisque poenalibus iudiciis, quae praetor sub titulo de in ius vocando pollicebatur, recuperatores se daturum edixit. Plurimum enim interest, ne in ius-vocatio, ex qua omnis iuris persecutio initium sumit, impediatur aut frustretur. Eadem caussa est vadimoniorum, quae ex quibusdam caussis recuperatoribus suppositis facta esse, ex Gai. 4, 185. modo retulimus. Nam siquis ex decreto praetoris vadimonium non promisisset aut vindicem locupletem non dedisset, is qui ita decreverat, eum eo nomine in factum iudicium addictis recuperatoribus accipere cogebat, ut si non stetisset, absens protinus condemnaretur et in bona ipsius post statutum tempus iretur. Hoc enim illo Gaii loco significari, apparet ex L. Rubr. de Gall. cisalp. c. 21. in fin. *Quo minus in eum, quei ita vadimonium Romam ex decreto eius, quei ibi i. d. p., non promeisserit, aut vindicem locupletem ita non dederit, ob e. r. iudicium recup. is, quei ibei i. d. p., ex h. l. det, iudicareique d. e. r. ibei curet, ex h. l. n. r.*

Crimina publica, quorum iudicatio semper apud senatum populumque erat, nunquam quidem a recuperatoribus examinari potuerunt. Sed cum nonnullis iudiciis publicis etiam privata persecutio adiuncta esset, quod de repetundarum quaestione Dirksenius (Beytr. z. Kunde d. R. R. Comm. 3. p. 189 seq.) et Klenzius (Fragm. leg. Servil. Proleg. p. XI seq.) nuper egregie demonstrarunt, in his etiam recuperatores datos non mirabimur; praesertim cum ante leges de repetundis latas, peregrinis direptis ad res suas recuperandas nullum praeter recuperatorium constitutum esset iudicium, et ne hoc quidem ordinarium, sed specialiter in unaquaque caussa a senatu impetrandum (Liv. 43, 2.). Ex quo vero lege Calpurnia primum perpetua repetundarum quaestio instituta est, hic recuperatorum usus aut imminutus valde videtur aut plane abrogatus esse; quam rationem etiam proxime insequentes repetundarum leges tenuerunt; certe in omnibus monumentis, quae de his quaestionibus ex liberae reip. temporibus exstant, iidem iudices, qui reum capitis damnaverant, quos recuperatores non fuisse certum est, etiam litem ei aestimasse perhibentur (Cic. pro Cluent. 41. Leg. Servil. cap. XVIII. Klenz.); immo etiam legis actionis sacramenti hoc nomine mentio fit (ibid. cap. VIII.), qua praegressa recuperatores non potuisse iudicare constat. Et hoc ideo sic placuisse puto, quod, cum istis legibus praecipue poena publica peteretur, populo Romano debita, omnino effectum est, ut hae caussae a peregrinis ad populum Romanum transferrentur; quare is etiam procuravit, ut actor publice constitutus pro peregrinis res repetundas privato iudicio, sed eo, quod inter cives ordinarium erat, hoc est legis actione et iudicio legitimo persequeretur (cf. Klenz. l. c. p. XII.). Sed Imperatorum aetate, sive quod

legis actiones legibus Iuliis abrogatae erant, sive quod iidem iudices, qui de capite rei cognoverant, cetera negligentius tractare consueverant, de quo videatur Cic. pro Cluent. 41, litium aestimandarum munus iterum ad recuperatores reversum est, sicut hoc Taciti Annal. 1, 74. loco docemur: *Nec multo post Granium Marcellum, praetorem Bithyniae, quaestor ipsius, Caepio Crispinus, maiestatis postulavit. — — — Permotus his* (Tiberius sc.) *poenitentia patiens, tulit absolvi reum criminibus maiestatis, de pecuniis repetundis ad recuperatores itum est.* Tum igitur rursus ipsi peregrini egisse et recuperatores e formula iudicasse, neque pecuniae aestimatae, sicut antea, primum in aerarium populi Rom. delatae sed statim ad eos, ad quos pertinerent, pervenisse putandae sunt. Atqui similiter sine dubio aliis permultis legibus magistratus in publica caussa privati commodi ergo recuperatores dare iussi sunt, quarum memoriam temporum iniuria nobis invidit. Certe in legis, nescio cuius, fragmento, quod vulgavit Marinius in praeclaro opere, cui titulus: Gli atti e monumenti de' Fratelli Arvali Tom. I. p. 70. et ex illo Dirksenius (l. c. p. 216 seq.) saepius recuperatorum mentio fit, velut his versibus:

(18) . . RIS. RECVPERATOREM VNVM COMMVNEM. ADEVNTO. SIMVLQVE IVRANTO

. . IVDICASSIT ITA VTI S. S. E. MVLTA. ESTO. RECVPERATORE. VNOQUOTQUE.

Vide etiam v. 22. Sed universa illa fragmenta tam exilia sunt et lacerata, ut de argumento legis, ad quam pertinuerunt, ne divinari quidem aliquid possit. Non multo maioris momenti sunt alius legis reliquiae, quas idem Marinius operis laudati Tom. II. p. 569. primus publici iuris fecit, apud

nos repetivit Dirksenius (l. c. p. 218.). Earum versus 7 et 8. ita comparati sunt:

. . . QVEI. VOLET. MAGISTRATVS. EXSIGITO. SEI. POSTULABIT. QVEI. PETET. PR. RECVPERATORES. . . .

. . . OQVE EVM SEI. ITA. PAREAT. CONDVMNARI. POPVL. FACITOQVE. IOVDICETVR. SEI. CONDEMNATVS

Ex quibus colligi posse videtur, praetorem hic iussum esse recuperatores dare, qui nescio quem, si pareret, eum id, quod lex vetabat, fecisse, populo condemnarent. Idem quoque sequens versus 9. prodit, in quo de bonis damnati publice possidendis agitur. Generaliter omnes controversias, quae privato quidem iudicio peragendae erant, sed simul reipublicae utilitatem spectabant, ut fiscales, templorum et similes, plerumque recuperatores habuisse contenderim. Quo refero has recuperatorum commemorationes in antiquis monumentis obvias. De caussis sacris quod dixi, confirmare videtur Lactan. Inst. 3, 20. *Illud vero non summae vanitatis, quod ante mortem familiares suos rogavit, ut Aesculapio gallum, quem voverat, prosecrarent? Timuit videlicet, ne apud Rhadamanthum recuperatorem voti reus fieret ab Asclepio.* Votis enim nos obligari et actionem privatam eo nomine dari, indubitati iuris est (L. 2. D. de pollicitat.). Eodem sine dubio pertinet iudicium illud, quod paullo ante retulimus, a Caecilio contra Agonidem constitutum, cui cum verba forte excidissent, se et sua omnia Veneris esse, quaestor, religionis speciem prae se ferens, statim recuperatores dedit, qui praeiudicio, an Agonis ista verba dixisset, cognoscerent; nam cum illi id, quod necesse erat, pronunciassent, ream cum bonis ipsius Veneri adiudicavit. Privatarum populi Romani

caussarum ad recuperatores actarum nonnulla exempla iam attulimus, quibus haec adiicienda sunt. Legis Mamiliae capite quinto cavetur (Goes. Script. rei agrar. p. 340.): *Si quis adversus ea fecerit, is in terminos singulos quos eiecerit, locove moverit sciens dolo malo, HS. XXV. in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas esto; deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iurisdictio reciperatorumque datio addictio esto.* Postea quidem etiam iudicis mentio fit his verbis, quae modo exscripta nullis interiectis excipiunt: *Cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo iure dicundo praeerit, eius magistratus ea de re iurisdictio iudicisque datio addictio esto.* Sed haec cuidam legislatoris negligentiae tribuenda sunt, qui cum semel declarasset, cuius generis iudicium dari vellet, postea hanc formulam *iurisdictio iudicisque datio addictio* ad hoc solum posuit, ut solenni more id, quod uno verbo iurisdictio appellatur, significaret. Ceterum pessimum est et hanc quoque ob caussam citissima vindicatione dignum factum eorum, qui terminos finium caussa positos propellunt, id quod Imp. Hadrianus quoque rescripto significavit (L. 2. D. de term. mot.). De fiscalibus controversiis illustris Suetonii locus exstat in vita Neronis c. 17., quem cavisse ait, *ut rerum actu ab aerario caussae ad forum ac recuperatores transferrentur.* Antea igitur, priorum fortasse instituto Imperatorum, hae caussae extra ordinem a quaestoribus cognosci solitae erant, quibus Nero, ne nimio rerum iudicialium cumulo obruerentur, hac ratione subvenire voluit.

Ex ceteris privatis iudiciis semper praecipuus favor fuit liberalium caussarum; quare si quis ex

servitute ad libertatem proclamaret, in hac controversia recuperatores datos invenimus. Sic apud Plaut. Rudent. V, 1. v. 3 seq. Labrax Ceno dicit:

Quis me est mortalium miserior, qui vivat, alter hodie,
Quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus.
Abiudicata a me modo est Palaestra.

Nimirum Pleusidippus Palaestram in libertatem asseruerat. Eodem spectat quod narrat de Domitiano Sueton. Domitian. 8. *Recuperatores ne se perfusoriis adsertionibus accommodarent, identidem admonuit.* Quem locum bene explicuit Ernestus in excursu XXXII. ed. alter. p. 43 seq. Porro a liberali caussa non est segregandum iudicium, per quod quis ingenuum se esse asserit, in quo recuperatores iudicasse idem testatur Sueton. Vespasian. 3. *Inter haec Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellae, equitis Romani, Sabratensis ex Africa, delicatam olim, Latinaeque conditionis, sed mox ingenuam et civem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam, patre asserente Flavio Liberali.* Hic dum adiiceret Suetonius *recuperatorio iudicio*, hoc ipsum videtur significare voluisse, non ex ingenuitate in libertinitatem Flaviam petitam esse, quod iudicium ad recuperatores non agebatur, sed e libertinitate in ingenuitatem. Omnino his, quae de liberalibus caussis dixi, non officit, quod interdum alii iudices in iis commemorantur; nam quoties ad eum, qui adhuc in possessione libertatis vel ingenuitatis fuerat, in servilem vel libertinam conditionem detrudendum iudicium parabatur, toties idem libertatis favor per contrarium exigebat, ne eiusmodi iudicium quocunque modo praecipitaretur; quapropter tum vel singuli iudices sederunt, vel quod saepius

factum puto, decemviri stlitibus iudicandis et postquam hi centumvirali hastae praefecti sunt, etiam centumviri, quamvis de centumviris in contraria sententia stet Hollwegius (Zeitschr. f. geschichtl. Rechtsw. Tom. V. p. 373.). Verum quicquid de hac re statueris, certe lex Iunia Petronia, qua, teste Hermogeniano (L. 24. D. de manumiss.) cautum erat, ut si pares iudicum sententiae existerent, pro libertate pronunciaretur, etiam ad recuperatoria iudicia pertinuit; tametsi enim hi plerumque impari numero dabantur, tamen casu aliquo vel quod unus sibi non liquere iuraverat, facile accidere poterat, ut par numerus relinqueretur. Neque illud nos movere debet, quod iudices in ista lege memorantur; etiamsi enim Tribonianus hic nihil omisisse putetur, tamen iudicis appellatio, ut supra quoque dixi, generalis est et recuperatores complectitur (cf. Gai. 4, 104 et 105.).

In aliis controversiis praetor idcirco, quia alterius litigatorum maxime intererat, ne res sua diu in iudicio haereret, recuperatores dedisse videtur, sic tamen ut electionem praestaret ei, cuius intererat, utrum iudicem an recuperatores reddi mallet. Sic Verres, teste Cicerone (in Verr. 3, 14.), cum praetor Siciliam regeret, omnium controversiarum, quae essent inter aratorem et decumanum, si uter vellet, recuperatores se daturum edixerat. Quam quidem edicti partem Cicero ut callidam machinationem aratorum diripiendorum caussa repertam vehementer exagitat; sed haec reprehensio non tam id spectat, quod Verres omnino recuperatores se daturum illo modo edixerat, sed quod recuperatores, quos ille in Sicilia dabat, nunquam nisi ad nutum eius iudicabant. Alioquin enim negari nequit, tam decumanorum, ut celeriter ad suum pervenirent, quam pauperum aratorum, ut

iniuria sibi ereptum cito reciperent, vehementer interfuisse: qua ratione etiam illis pignoris captio lege concessa fuit, his propositum ipsius Verris edicto iudicium adversus decumanos in octuplum, et id quidem, ut videtur, semper recuperatorium (cf. in Verr. 3, 10–15.). Interim infitias ire nolim, si quis semel iudiciis ad rapiendum uti velit, ei et ipsi recuperatores magis convenire quam iudicem; et revera Verrem sua non litigatorum gratia semper recuperatores dedisse, ex iis saltim exemplis, quae Cicero deinde profert (in Verr. 3, 21. 22 seq. 28. 46. 49. 68.) pronum est ad suspicandum. Ad publicanorum controversias etiam illud iudicium pertinuisse videtur, de quo loquitur Cic. pro Flacc. 4. *Inimicus M. Caelius, quod, cum in re manifesta putasset nefas esse, publicanum iudicare contra publicanum, sublatus erat e numero recuperatorum.* Verum qua de re hoc iudicium constitutum fuerit, e reliquis orationis pro Flacco, quae integra non exstat, partibus comperire non potui. In universum autem mirandum non est, si in provinciis saepius quam Romae recuperatoria iudicia data esse legimus; ibi enim omnia unius hominis imperio administrabantur, quem insuper ingens aliorum negotiorum vis premebat, aliquando etiam bella avocabant; qui si tandem aliquando conventus circumibat iudiciaque diu eum opperta constituebat, nonne aequum erat, res in iudicium deductas, quo diutius ante iudicium iacuerant, eo deinde celerius iudicio constituto terminari? Accedit, quod cum in provinciis omnia iudicia imperio continerentur, periculum erat, ne, nisi cito ad finem perducerentur, iniudicata cum imperio eius, qui ea praecepisset, dissolverentur. Exemplum suppeditat controversia Hermippi, qui cum in Asia sub Flacco praetore ab Heraclide pecuniam repeteret, quam

Fufiis creditoribus eius fideiussor dependerat, hanc rem ad recuperatores actam Cicero narrat (pro Flacc. 20.). Hic enim specialis ratio, cur hanc rem cito iudicari oportuerit, praesertim cum mandati iudicium infamet, afferri non potest; nisi forte quis dicere velit, praetores cum in hac specie recuperatorium iudicium darent, ipsum ius civile subsecutos esse, quod in eum, pro quo sponsor dependisset, severissimum iudicium constituisse notum est (Gai. 4, 22.). Atqui mandati, neque depensi, Hermippum egisse, inde colligitur, quod Temnita fuit, qui ut peregrinus sponsu obligari non poterat (Gai. 3, 93. 127. 179.). Idem Hermippus cum postea tenere sententiam, quam recuperatores vi coacti pronunciassent, negaret, et quaedam mancipia, quae se coactum vendidisse dicebat, repeteret, Quintus Ciceronis frater, qui Flacco in Asia successerat, eosdem recuperatores, quos ille coactos iudicasse diceret, ei se daturum decrevit, quod decretum sane, sicut res erant, summa aequitate commendabatur (pro Flacc. 21.).

Ad specialem aequitatis rationem haec iudiciorum cum recuperatoribus exempla referenda videntur esse. Plaut. Bacchid. II, 3. v. 36 seq.

Postquam quidem Praetor recuperatores dedit
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos et mille Philippum.

Hic videlicet sermo est de pecunia, quam Nicobulus Atheniensis Ephesio cuidam mutuam dederat et mox cum non solveretur, filio suo, Ephesi ut exigeret, negotium dedit. Qua in caussa Plautum propterea recuperatores datos finxisse puto, quod Romae quoque, si petitor peregrinus esset, qui pecuniae petendae caussa longum iter suscepisset, ei, si vellet, recuperatores addici moris fuerit. Cave vero credas, peregrinos Romae litigantes perpetuo

recuperatores non iudicem accepisse, quod ut priscis temporibus, cum cives lege inter se agerent, omnino convenit, ita de posterioribus est falsissimum. Primum enim, ut antea iam monui, magistratus Romani, sicut in civium controversiis recuperatores, ita in peregrinorum caussis iudicem dare potuere. Deinde diserta testimonia exstant de iudiciis sub uno iudice ac peregrinis acceptis, velut apud Gai. 4, 37. ubi in formula furti adversus peregrinum utili iudex datus dicitur, et 4, 105. ubi generaliter iudiciorum mentio fit, quae sub uno iudice, interveniente peregrini persona iudicis aut litigatoris, accipiuntur; item Cic. in Verr. 2, 13. in Sicilia e lege Rupilia, quod civis Romanus a Siculo peteret, Siculum iudicem, quod Siculus a cive Romano, civem Romanum datum esse refert; et pro Flacc. 21. ubi exemplum est iudicii inter civem Romanum et peregrinum ab uno iudice exerciti. — Recuperatores etiam dati memorantur in illa Q. Trebellii et Sex. Digitii controversia, quorum uterque Carthaginis novae muros se primum ascendisse coronamque muralem sibi deberi contendebat, utrumque suis sodalibus adiuvantibus. *Ea contentio* (Livii 26, 48. verba sunt) *quum prope seditionem veniret, Scipio tres recuperatores quum se daturum pronunciasset, qui cognita caussa testibusque auditis iudicarent, uter prior in oppidum transcendisset; C. Laelio et M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adiecit, eosque tres recuperatores considere et caussam cognoscere iussit.* Hoc iudicium, si modo iudicium id vocare licet, manifestissime demonstrat, quam commode recuperatores, quibus, quid iudicarent, magistratus formula praescribebat, cuicunque caussae adhiberi potuerint. Hic enim non iuris aliqua persecutio erat, sed doni expetitio;

attamen controversia emerserat, quam mox decidi plurimum intererat; itaque recuperatores dati sunt. In eiusmodi caussis etiam tum, cum cives inter se solum lege agerent, facti quaestiones a recuperatoribus cognitas esse improbabile non est.

In plerisque rebus praetores sine dubio se aut iudicem aut recuperatores daturos, prout unum alterumve rei, quae ageretur, accommodatius videretur, edixerunt; et tum maxime in actionibus in factum conceptis vel stricti iuris eiusmodi, quae item in simplicis facti examinatione positae essent, recuperatores addixerunt; e diverso in actionibus in ius conceptis, maxime si bonae fidei essent, vel ex antiquo iure civili proditae eo tempore, cum Romae lege ageretur, velut in actione furti, legis Aquiliae, in vindicationibus et hereditatum petitionibus, proniores fuerunt ad unum iudicem dandum. Hinc saepe iudicis recuperatorumque datio vel petitio coniunctim memoratur. Sic in sponsione, quam P. Scandilius cum Apronio fecerat, ni Apronius dictitaret, Verrem sibi in decumis socium esse, Cicero (in Verr. 3, 58.) refert, Scandilium coepisse *recuperatores aut iudicem postulare.* Item in Legis Thoriae fragmentis saepius iudicis et recuperatorum nomina coniunguntur, velut his locis:

Sect. 1. v. 29. NEIVE. IVDICIVM. NEIVE. IVDICEM. NEIVE. RECVPERATORES. DATO.

v. 34. SEI. QVID. DE. EO. AGRO. LOCO. AMBIGETVR. COS. PR. CENS. QVEI. QVOMQVE. ERIT. DE. EA. RE. IVRISDICTIO. IVDICI. IVDICIS. RECVPERATORVM. DATIO. ESTO.

Sect. 2. v. 22. ET. IN. EVM. IVDICIVM. IVDICEM. RECVPERATORESVE. EX. H. L. DARE. OPORTERET.

V. 26. I. CAVSA. DECERNANT. EIVS. H. L. N. R. QVOD. IVDICIVM. IVDEX. RECVPERATORVE.

Praeterea sine dubio sub titulo de iudiciis speciales quasdam caussas, ex quibus recuperatores potius quam iudicem vel iudicem potius quam recuperatores daturi essent, enumeraverunt, velut recuperatores, si ambo litigatores convenissent, peregrinus peteret et ex similibus caussis, iudicem, si res maior esset; quorum quidem omnium nunc ne memoria quidem superest; praeter eam caussam, quam ultimo loco dixi: si res maior esset. Nam in talibus caussis iudicem dari solitum, ex hoc loco concludere mihi videor. Cic. in Verr. 3, 60. *Hic tu medicum et haruspicem et praeconem tuum recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum iudicem habebas, si qua res maior esset, Papirium Potamonem, hominem severum, ex vetere illa equestri disciplina?* Cf. c. 58. in fin. *Coepit Scandilius recuperatores aut iudicem postulare.* Sane enim illud iudicium de Verris existimatione erat maius. Quodsi in quovis iudicio simul sciremus, utrum recuperatores an iudicem ei magistratus in edicto assignavissent, sine dubio melius perspiceremus, qua ratione saepe novum iudicium introductum fuerit, quo nomine iam aliae actiones erant, interdum complures. Ita aedilitiam actionem, quae appellatur quanti minoris, ab actione empti praecipue in hoc quoque discrepasse puto, quod in illa semper recuperatores dati sint, in hac plerumque iudex; cuiusmodi in caussis, licet civilis actio plenior interdum esset, tamen honorariam, qua tantundem, vel etiamsi minus, hoc tamen citius, laturus esset, actor praetulit.

Hactenus exposuimus, quibus controversiis praetores, quibusque rationibus permoti, recuperatores addixerint. Iam vero duplex quaestio exoritur; altera, quae caussa effecerit, ut recuperatores citius iudicarent, altera, qua ratione, si singula spectemus, recuperatorium iudicium celerius quam id, quod sub uno iudice acceptum erat, ad finem perductum sit: ad quas quaestiones nunc respondendum erit.

Et ad priorem quidem quaestionem in promptu est responsio, si modo recuperatorum originis, quam supra erui, meminerimus. Nam cum ab initio nonnisi peregrinorum gratia, qui ad res recuperandas saepe longissima itinera emensi, quam primum in patriam redire cupiebant, recuperatoria iudicia constituerentur, tum haec ipsa ratio effecit, ut haec iudicia quam citissime ad finem perduci oporteret. Eadem ratione etiam a quibusdam Germaniae civitatibus, nundinarum celebritate florentibus, peregrinorum eo commeantium caussa propria quaedam iudicia constituta sunt, quae vocantur hospitalitia, et plerumque eodem, quo accepta sunt, die finiuntur: quo iure exempli gratia ea ipsa, in qua haec scribo, civitas utitur. Romanos vero, omnino summo iustitiae studio excellentes, huius erga peregrinos aequitatis non expertes fuisse, praeter foedus illud Latinum, quo convenerat, ut lites, quas Romani cum Latinis haberent, intra decem dies finirentur, etiam hic Senecae locus, ad praetoriam iurisdictionem respiciens, demonstrat. Epistola 106. ad Lucilium: *Dubitavi,* inquit, *utrum differrem te, an donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem. Humanius visum est, tam longe venientem non detinere:* quo loco voculam *an* transpositam esse et post *locus* reiiciendam, recte observavit G. Noodtius (de iurisd.

et imper. 1, 10.). Huic vero peregrinorum favori accedit, quod iudicia recuperatoria, cum solo magistratuum imperio continerentur, quibusdam legibus de singulis iudicibus latis, adstricta non fuerunt, de quo statim dicam.

Quod enim ad alteram illam quaestionem attinet, qua ratione recuperatoria iudicia celerius quam ordinaria iudicata sint, primo tenendum est, legem Pinariam, quae post diem trigesimum demum, quam lege actum erat, iudicem accipi iubebat (Gai. 4, 15.), ad recuperatores, quibus nihil erat cum legis actionibus commune, non pertinuisse, id quod primus, ut opinor, Dupontius (Disquis. in Comm. IV Inst. Gai. p. 151.) observavit. Hoc vero ius etiam post legis actiones sublatas durasse cum alia persuadent, tum maxime Gai. 4, 18. probatur, ubi ait condictionem olim legis actionem proprie nuncupatam fuisse, quia in ea actor adversario denunciavisset, ut ad iudicem capiendum die XXX. adesset; nunc vero non proprie in personam actionem sic dici, qua dari oportere intendatur; *nulla enim*, subiicit, *hoc tempore eo nomine denuntiatio fit*, quae verba indicare videntur, etiam Gaii tempore die trigesimo ad iudicem capiendum veniri quidem solitum esse, sed nulla, ut olim, denuntiatione eo nomine praegressa. Praeterea ponamus magistratus Romanos in hac re, sicut in omni fere re iudiciaria, in provinciis idem ius, quo urbs Roma uteretur, edictis suis statuisse, etiam hic Ciceronis locus ad confirmandam sententiam nostram laudari potest, in Verr. 2, 15. *Tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret, diebus XXX sortiri dicam, quibus scripta esset.* Ceterum opinandum non est, iudicem ipso trigesimo die statim dari solitum esse; quin haec minima tantum fuit ex lege Pinaria mora, quae

propter morem iuris dicundi Romae traditum interdum in longum temporis spatium extensa est. Cum enim certus ordo esset, quo litigatores in iure admitterentur, in anno litium (Iuvenal. 16, 42. Serv. ad Aen. 2, 102. Senec. ep. 106.) et magistratus Romani, quibus diebus iuri dicundo operam dabant, non promiscue omnis generis negotia iuridicialia tractarent, sed certis quibusdam rebus, in quibus etiam iudicis datio, certos dies destinare solerent; ex his facile intelligitur, si post trigesimum diem proximo die eo, qui iudicibus dandis statutus esset, tua caussa anteriores nondum cognitae essent, tum tibi tamdiu opperiendum fuisse, donec similis sessionum dies rediisset. Qua re quantopere interdum ductae sint controversiae ex eodem Ciceronis loco disci potest. Nam post verba supra allata sequitur: *Dies XXX nondum fuerant: sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium, quem provincia tum maxime exspectabat, successurum. Iste omnibus dicis* (sc. dica Heraclii ordine prioribus) *diem distulit: et eam diem constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri post dies XXX. ex lege posset.* Sine dubio igitur magnum temporis compendium fiebat, si recuperatoria iudicia non differebantur, sicut cetera, donec suus ei rei locus veniret, sed extra ordinem statim recuperatores eis addicebantur (cf. Seneca l. c.). Huic vero accelerandi haec iudicia caussae altera vicina est, quam prius exponam, quam testimonia utriusque probandae caussa producam. Iudices, etiam illos, qui privatas caussas susciperent, selectos fuisse et in album relatos, e quorum numero deinde singuli singulis litibus a magistratu addicerentur, ex Seneca (de benefic. 3, 7.) et Gellio (N. A. 14, 2.) satis constat. Quorum iudicum numerus etiamsi subinde admodum auctus fuerit,

tamen propter caussarum ab iis cognoscendarum ingentem vim credibile est, singulis tot iudicationes iniunctas fuisse, ut una vel altera controversia interdum diu differenda fuerit. Haec controversias ducendi caussa eximebatur, simulac etiam de populo quemvis arripere et iudicio praeficere licebat, quod in recuperatorum datione licuisse iam ideo credendum est, quia de his omnia in magistratus arbitrio posita erant, et eo tempore, quo recuperatores solum inter cives et peregrinos iudicabant, nihil impediebat, quo minus adeo peregrini recuperatores (quos tamen inter publicos iudices fuisse dici non potest) a magistratibus darentur. Sed etiam expressa testimonia exstant, tum ad hoc, tum ad id, quod paullo superius dixi, probandum, quae iam depromam. Primum testimonium denuncio Plinio, qui cum in epist. 3, 20. dicit: *Nam ut in recuperatoriis iudiciis, sic nos in his comitiis, quasi repente apprehensi, sinceri iudices fuimus;* satis aperte indicat, et quemvis ex populo et nullo interiecto temporis intervallo inter recuperatores legi potuisse. Idem apparet ex Livii loco (26, 48.), quem antea retuli, ubi ait: *C. Laelio et M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adiecit.* Item huc refero, quod Cic. Divin. 17. de Caecilio narrat: *Judicium dat statim, si pareret, eam, se et sua Veneris esse, dixisse; iudicant recuperatores id, quod necesse erat.* Porro hunc Polybii locum (Histor. 6, 17.): *Τὸ δὲ μέγιστον, ἐκ ταύτης* (sc. *συγκλήτου*) *ἀποδίδονται κριταὶ τῶν πλείστων καὶ τῶν δημοσίων καὶ τῶν ἰδιωτικῶν συναλλαγμάτων, ὅσα μέγεθος ἔχει τῶν ἐγκλημάτων.* Ait enim, ex senatorio ordine, cuius tunc solius iudicia fuisse constat, iudices datos esse ad plerasque graviores caussas sive publicas sive pri-

vatas; quibus verbis excipit primum quasdam graviores caussas, scilicet centumvirales, quae ad plebeios iudices agebantur (vid. Fest. v. *Centumviralia*); tum leviores, in quibus recuperatores plurimum sedisse supra demonstravi; ut hic quoque locus doceat, recuperatores non e centuriis iudicum sed promiscue ex populo electos fuisse. Postremo etiam hoc argumentum pro sententia mea facere videtur. Si enim verum est, iudices proprie eos solos fuisse, qui ex certis populi Romani ordinibus selecti in decurias describebantur et in album referebantur, in provinciis, ubi nulli erant populi Romani ordines, sed ii, qui iudicarent, semper ex conventu civium Romanorum aut peregrinorum sumebantur, non iudices illo, quo urbis proprium erat, sensu dici poterant. Quin iis, si rei originem spectes, potius recuperatorum, utpote qui soli ab initio in provinciis iudicassent, nomen conveniebat. Hinc autem patet, quamobrem lege Aelia Sentia cautum fuerit, ut consilium, penes quod manumissionum caussae approbandae erant, in urbe quidem Roma adhiberetur quinque senatorum et quinque equitum Romanorum puberum, in provinciis vero viginti recuperatorum civium Romanorum (Gai. 1,20. Ulp. 1,13.[a]). Nam senatores illi et equites Romani iidem plane sunt cum prima et altera decuria iudicum Romae iudicantium, qui eam solam ob caussam iudices in lege Aelia Sentia appellati non esse mihi videntur, quoniam cum haec lex ferretur, a. u. 757. quatuor vel minimum tres iudicum decuriae fuerunt (Sueton. Aug. 32. *)), hoc est, praeter senatores et equites

*) *Ad tres iudicum decurias quartam addidit ex inferiore censu, quae Ducenariorum vocaretur, iudicaretque de levioribus summis.* Quatuor decurias a. u. 757. iam fuisse iudicum, inde suspicor,

etiam tribuni aerarii, uti videtur, et ducenarii (cf. I. Hop. D. de iudic. a praet. dari solit. c. 2. in Oelrichs. Thesaur. nov. Diss. Belg. Vol. I. T. II. p. 533.), quorum tamen decurias, tanquam auctoritate et fide leviores, Augustus ab illo consilio sine offensa ipsorum remotas voluit. Et vero expressis verbis iudicum in caussis apud consilium probandis meminerunt Ulpianus L. 16. D. de manumiss. vind. et Imp. Antoninus L. 1. C. de vind. et apud consil. manum. Atqui si decem illi in urbe Roma et viginti in provinciis eiusdem fuerunt generis, ultro sequitur, ut qui iudices Romae, ii in provinciis solemni et legitimo nomine recuperatores dicti sint. Porro etiam non video, quare Theophilo (Paraphr. Inst. I, 6. §. 4.) fidem derogemus, illos viginti viros *recuperatores peregrinos* dictos esse testanti; nam et ab urbanis recuperatoribus multum differebant, qui in certas decurias descripti non erant, et peregrini eodem iure, quo vulgo dicitur praetor peregrinus, appellari potuerunt. Denique recuperatores simpliciter dictos esse iudices provinciales, etiam hic Apuleii locus (de mund. circa fin. p. 74. Wechel.) ostendere videtur: *Ut est lex civitatis semel promulgata, perpetuis observationum rationibus fixa, ipsa quidem immutabilis, at eius arbitrio parentium mentes agitantur, nutuque eius et dominatione flectuntur: et (ut) scitis eius magistratus tribunalia, principia milites frequentabunt, recuperatores iudiciis praesidebunt: decuriones etiam,* (et) *quibus est ius dicendae sententiae, ad consessum publicum commeabunt.* Cum enim alioqui solo iudicum nomine uti soleamus, quo etiam recuperatores comprehendantur,

---

quod tum ratio invenitur, cur numerus recuperatorum (20) senatorum et equitum (10) numerum ex lege Aelia Sentia duplicaverit.

hic Apuleius, quamvis de omnibus, qui caussas iudicant, generaliter loquens, solos recuperatores nominat; eum vero haec omnia non de urbe Roma sed de provinciis dixisse, ex ultimis verbis apparet. Secundum haec commune omnium iudicantium nomen in urbe fuit *iudices*, in provinciis *recuperatores*, quorum utrique rursus vel recuperatores vel singuli iudices erant. Neque refragatur, quod interdum etiam ii, qui in provincia iudicant, generali nomine iudices vocantur, velut a Cicerone in Verr. 2, 13. hoc enim communi loquendi consuetudine fieri putandum est, qua omnes homines ubique terrarum lites iudicantes iudices nuncupantur. Perpetuo autem in provinciis tum, cum conventus ageretur, iudicum sive recuperatorum decurias scribi solitas esse, paullo post ostendemus.

His ex ipsa, ut ita dicam, recuperatorum natura profectis caussis, quae efficiebant, ut sub recuperatoribus accipienda iudicia celerius quam sub uno iudice iudicari possent, accessisse aliae nonnullae extrinsecus quodammodo additae videntur. Cum enim recuperatores in peregrinorum usum inventi essent, quorum lites ut celeriter finirentur, Romanos operam dedisse ostendi, ultro intelligitur, multa deinde, quibus harum caussarum actiones coangustarent et undecunque circumscriberent, a magistratibus Romanis excogitata esse, quae postea in consuetudinem abierunt. Sic in iudiciis imperio continentibus, cuius generis olim sola recuperatoria erant, magistratui tempus iudicibus ad iudicandum praestituendi potestas fuit, de quo videatur Ulpianus L. 2. §. 2. L. 32. D. de iudiciis, quod in legitimis an licuerit, dubito. Sed postquam etiam sub uno iudice iudicia, quae imperio continerentur, accipi potuerunt, hoc ad iudices quoque translatum est. Praeterea, quoties recuperatores darentur, usu

receptum fuisse videtur, ut simul duntaxat X testibus denunciandi potestas litigatoribus fieret, quod demonstrat praeter formulam edicti perpetui, quam ex Valerii Probi notis superiori excursu dedimus, legis Mamiliae caput quintum, ubi posteaquam de recuperatoribus dandis cautum est, additur: *inque eam rem is, qui hac lege iudicium dederit, testibus publice duntaxat X denuntiandi potestatem facito, ita ut e republica fideque sua videbitur.* Ultima verba tamen ostendunt, sicut cetera in his iudiciis, ita hanc quoque rem in ius dicentis manu fuisse. Etiam absentem licuisse recuperatoribus condemnare, iam antea ex Gaio 4, 185. demonstravi; quo casu non puto triplici illo edicto, quo absentes citabantur, opus fuisse, sed aut statim reum condemnatum, aut protinus peremptorium edictum, quod vocatur unum pro omnibus, esse impetratum. De hoc enim scribit Ulpianus L. 72. D. de iudiciis: *Hoc autem aestimare oportet eum, qui ius dixit; et pro conditione caussae, vel personae, vel temporis, ita ordinem edictorum vel compendium moderare.* His similia multa fortasse circa haec iudicia obtinuerunt; sed eorum memoria ex antiquitate nulla superest. Quae vero a iudicis arbitrio pendent, in his recuperatores non magis circumscripti fuere, quam singuli iudices, quo in genere est, quod ab illis quoque semel et saepius ampliari caussa potuit. Exempla vide apud Cic. pro Tull. §. 1. pro Caec. 4. Liv. 43, 2.

Qui de recuperatoribus scripsere, quaerere merito solent, quid in caussa fuerit, ut iudices semper singuli, recuperatores fere nunquam nisi complures dati sint. Quod ad iudices attinet, Romani hunc morem a maioribus traditum acceperunt, ut in quavis controversia ex genere peccati, quod in iudicium deduceretur, iudices darentur; quare si

de publica noxia iudicandum erat, populi, si de privata, privati, hoc est, singulorum iudicium esse voluerunt; quod quam sapienter et naturali rationi congruenter statutum fuerit, nunc non dico. Quaeritur igitur, cur magistratus, cum recuperatoria iudicia constituere coepissent, ab hoc instituto deflexerint. Et puto, propterea, quod in caussis peregrinorum unus aequus iudex facile reperiri non poterat. Sive enim hospes peregrini iudicium susciperet, officii ratio, sive ignotus quidam, erga civem studium, iudicis fidem alterutri parti suspectam reddebat, quod, si civis cum cive litigabat, accidere non poterat; hoc igitur incommodum ut evitarent magistratus, utrumque litigatorem unum vel plures viros, in quibus fiduciam reponerent, aequali tamen numero, eligere passi sunt, et his, partim ut studia iudicum ab utraque parte lectorum miscerentur, partim ut in sententia pronuncianda suffragiorum paritas vitaretur, unum de medio adiecerunt. Certe hanc rationem horum iudiciorum constituendorum ex controversia illa de corona murali agitata discimus, ubi Scipio advocatis utriusque partis unum de corona adstantium adiecisse et hos tres recuperatores considere iussisse dicitur. Sed haec eius rei origo est; erraret, qui magistratus postea semper eandem rationem in recuperatoribus dandis secutos esse crederet. Primum enim, si inter partes de quibusdam recuperatoribus convenerat, hi sine dubio a praetore eis *addicebantur;* hoc enim verbo proprie significari dationem eius iudicis, quem partes sibi expetiverint, notum est. Recuperatorum autem addictionis in compluribus Legis Thoriae versibus, quos supra laudavi, mentio fit. Sin vero nihil convenerat, in provinciis quidem duplici potissimum modo recuperatores constituti esse videntur; sumendo et reiiciendo. Quod

ut recte intelligatur, paullo altius rem repetam. Simulac praetor in civitatem aliquam iuris dicundi gratia advenerat, morem urbis Romae imitatus, ex conventu civium Romanorum decurias quasdam recuperatorum, ex quibus iudices aut recuperatores dati caussas tum ad praetorem delatas iudicarent, scribebat. Cic. in Verr. 2, 13. *Ceterarum rerum selecti iudices ex civium Romanorum conventu proponi solent.* 3, 11. *Nam de conventu nullum unquam iudicem nec recuperatorem dedit.* 3, 59. *Praeterea conventus honestus Syracusis, multi equites Romani, viri primarii, ex qua copia recuperatores reiici oporteret, qui aliter iudicare nullo modo possent.* 3, 60. *Scandilius postulare de conventu recuperatores.* Cf. Gai. 1, 20. Quodsi extra conventum iudicium aliquod dandum erat, huius iudicii gratia extemplo decuriae conscribebantur, quod certe fecit (an ex ordine, dubito) C. Verres, de quo Cic. in Verr. 3, 11. *Quid praetor? iubet recuperatores reiicere. Decurias scribamus* (sc. inquit praetor). *Quas decurias? De cohorte mea reiicies, inquit.* Quot recuperatores una decuria comprehenderit, utrum decem, quod nomen indicat, an plures, propter fontium penuriam definire non ausim. Scriptis autem decuriis aut iudices ex iis singuli singulis caussis aut recuperatores attribuebantur. Si iudices, eodem iure litigatores in provinciis usi videntur esse, quod Romae valebat, ut quoties iniquus alterutri latus aut a praetore ostensus esset, eum eierare liceret. Sin vero recuperatores, aut sumendi potestas partibus facta est aut reiiciendi, utrum praetor voluisset. Cic. in Verr. 3, 13. — *hoc tibi defensionis ad iudicium tuum comparabas, habuisse te edictum: recuperatores daturum in octuplum? Si mehercule ex omni copia conventus Syracusani,*

splendidissimorum honestissimorumque hominum, faceres potestatem aratori, non modo reiiciundi, sed etiam sumendi recuperatores, tamen hoc novum genus iniuriae ferre nemo posset. Ibid. 3, 10. *Quid ergo? Apronio permittis, ut quos velit de cohorte sumat recuperatores? Indignum, uni potius ex iniquis sumendi, quam utrisque ex aequis reiiciendi fieri potestatem.* Ex his locis apparet, sumere recuperatores significasse utriusque partis ius, ex multis ad electionem propositis unum vel duo vel tres vel quot per edictum liceret, seligendi, quos deinde praetor, uno praeterea adiecto, iudicium suscipere iuberet; utriusque, dico, ius; cui posterior locus e Verrinis adversari videtur; sed ibi hoc dicere Cicero putandus est, de iniquorum caterva sumendi potestatem facere, vel etiamsi uni fiat, indignius tamen id esse, quam ex aequis, licet utrique parti, ut reiiciant permittere. E diverso reiicere est utriusque ius, e decuriis iudicum propositis quosdam tanquam iniquos deprecandi, ut deinde praetori facultas esset, quos vellet dare recuperatores: quale ius hodie observatur, si res ad extraneos, uti dicitur, iudicanda transmittitur. *) Ergo nulla iniuria facile affici poterant, quibus iudicem postulare permittebatur; paullo deterioris conditionis erant, quibus recuperatores sumere ex edicto licebat, quoniam hic unum saltem gratiosum iudicem ingerere praetor poterat, denique omnino a praetoris

*) Huic nostro instituto non modo simile sed paene par in Sicilia observabatur, si privatus a populo petebat aut populus a privato. Tum enim (Cic. in Verr. 2, 13.) senatus ex aliqua civitate, qui iudicaret, dabatur, cum alternae civitates reiectae essent; ad quae verba vereor ne fallatur Asconius notans, petitoris ac rei civitates ad iudicandum primum propositas esse et reiectas. De his enim sine dubio non cogitaverat Rupilius.

arbitrio pendebant, quibus solum reiiciendi recuperatores potestas fiebat; quamobrem Cicero Verrem eo quoque nomine insectatur, quod in controversiis decumanorum et aratorum, si uter vellet, recuperatores se daturum edixisset (Cic. in Verr. 3, 14.). Recuperatores enim solum reiicere permittebat, et praeterea non de conventu dabat sed de cohorte sua, ut nemo nisi tales iudices, qui, quid Verri luberet, iudicarent, nancisci posset. — Romae plerumque quidem sumtos esse recuperatores, quod et aequius ius et antiquitus traditum erat, verisimile est. Sed tamen etiam reiectos esse interdum, quanquam id paullum diversa ratione, quam in provinciis, ex hoc Plinii loco intelligitur. Panegyr. 36. *Sors et urna fisco iudicem adsignat; licet reiicere, licet exclamare: hunc nolo, timidus est, et bona seculi parum intelligit: illum volo, quia Caesarem fortiter amat.* Hic enim sortitio videtur praecessisse, et deinde ex iis, qui ex urna ducti erant, quosdam reiicere iniquos utrique licuisse. Ceterum quod Plinius de iudice loquitur non de recuperatoribus, movere nos non debet; hoc enim nomen latiori sensu hic sumendum esse, ex eo, quod de caussis fiscalibus ex Suetonio supra retulimus, apparet; nisi forte hoc ius postea mutatum fuit.

Utrum aliquando etiam unus recuperator datus fuerit, dubitatur. Sed plerique negarunt, quorum opinio secundum ea, quae de recuperatorum origine dixi, haud improbabilis est. At in nonnullis antiquorum scriptorum locis unius recuperatoris mentio fit. Cic. pro Caec. 3. *At si quis mihi hoc iudex recuperatorve dicat* etc. ibid. 21. *Non enim reperies quemquam iudicem aut recuperatorem, qui tanquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum.* In Verr. 3, 11.

Nam de conventu nullum unquam iudicem nec recuperatorem dedit. Ibid. c. 29. *At arator repetere poterat. Verum Artemidoro recuperatore.* Ibid. c. 49. *Atqui tum neque iudicium de modo iugerum dabatur; neque enim erat Artemidorus recuperator.* Ibid. c. 60. *Scandilius vero negat sese apud Artemidorum recuperatorem verbum esse facturum.* Lactant. Inst. 3, 20. *Timuit videlicet, ne apud Rhadamanthum recuperatorem voti reus fieret.* Sed his locis omnibus, quod alii quoque animadverterunt, non unus aliquis recuperator, solus ad rem iudicandam datus, significatur, verum unus ex pluribus recuperatoribus, qui una uni rei addicti sunt. Haud multo plus dubii iniiciunt vetustarum legum fragmenta, in quibus unius recuperatoris mentio iniicitur. Legis Thoriae Sect. 2. v. 26.

I. CAVSA. DECERNANT. EIVS. H. L. N. R. QVOD. IVDICIVM. IVDEX. RECVPERATORVE.

Sed suspicor, de negotio aliquo Legem locutam esse, quod non nisi ab uno recuperatore de ceterorum sententia procurari poterat: sicut in iudicio, cuius Liv. 26, 48. meminit, unus recuperatorum Scipioni aliquid renuntiasse dicitur. Neque improbo restitutionem illam, quam primum Sigonium proposuisse credo: RECVPERATORVE. *reddiderit. id. ius. ratumque. esto.* Conferatur Lex Rubria de Gall. cisalp. Col. 1. v. 19. 20. *D. e. r., quod ita iudicium datum, iudicareve iussum, iudicatumve erit, ius ratumque esto.* Sed pro *reddiderit* malim *iudicaverit*. Petr. Diacon. de not. litter. p. 1512. v. 5. in Gothofr. Auct. L. L.: I. I. I. *iusta iudicavit iudicia.* Cf. ibid. v. 57. Praeterea in Lege, quae dicitur multitia, v. 19.

ROS. RECVPERATOREM VNVM COMMVNEM. ADEVNTO SIMVLQVE IVRANTO

ipsa adiectio *communem* ostendere videtur, de uno ex pluribus parti utrique datis recuperatoribus sermonem esse. Denique v. 20. eiusdem Legis:

IVDICASSIT. ITA. VTI. S. S. E. MVLTA. ESTO. RECVPERATORE VNOQVOTQVE

ubi ablativus prisce pro dativo positus est (vid. Gronov. de pecun. vet. p. 29.), Legem unicuique recuperatori iudicare recusanti multam comminari, in aprico est. Cum igitur alias semper recuperatores commemorentur (etiam siglam, qua notari soliti sunt, habent Valer. Prob. p. 1477. et Magno p. 1493. in Gothofr. Auct. L. L.) et pluralis numerus huic iudicum generi unice conveniat, mihi quoque probatur, singulos recuperatores aut nunquam aut saltem extra ordinem tantum, idque perraro, datos esse. Plures autem, qui dabantur, ita iudicasse, ut id, quod maior pars sensisset, pronunciaretur, et ultro intelligitur et videtur indicari hoc versu Legis Thoriae (Sect. 2. v. 30.):

... IVDICIVMVE. FACTVM. NON. SIET. SEI. MAIOR. PARS. EORVM. RECVPERATORVM.

De vi ac potestate iudiciorum sub recuperatoribus acceptorum haec iudicia imperio continentibus adnumerata esse, iam antea ex Gai. 4, 105. ostendi, caussamque, cur id factum sit, aperui. Adhuc igitur dicendum est, quem effectum istud discrimen imperio continentium et legitimorum iudiciorum habuerit. De hoc Gai. 4, 106. his verbis edisserit: *Et siquidem imperio continenti iudicio actum fuerit, sive in rem, sive in personam, sive ea formula, quae in factum concepta est, sive ea, quae in ius habet intentionem, postea nihilominus ipso iure de eadem re agi potest. et ideo necessaria est exceptio rei iudicatae, vel in iudicium deductae.* — §. 107. *At vero, si legitimo iudicio in personam actum sit ea formula, quae*

iuris civilis habet intentionem, postea ipso iure de eadem re agi non potest, et ob id exceptio supervacua est. si vero vel in rem, vel in factum actum fuerit, ipso iure nihilominus postea agi potest et ob id exceptio necessaria est rei iudicatae vel in iudicium deductae. Quae verba longo commentario non egent. Scilicet cum imperio continentia iudicia iuri civili prorsus incognita essent, consequens erat, ut litis contestatio et res iudicata, quae his iudiciis fierent, sicut ipsa iudicia, ex solo praetoris imperio substantiam caperent; ergo nec litis contestatio obligationes, quae civili novatione ipso iure tolluntur, tollere ipso iure, neque ex re iudicata, si pareret, reum sestertium tot millia dare oportere, intendi posset. Attamen cum publice interesset, ut ii quoque, qui imperio continenti iudicio egissent, rei quidem a novis persecutionibus securi praestarentur, actores vero id, quod petivissent, ferrent, praetor et exceptionibus rei in iudicium deductae vel iudicatae et actione iudicati utili aut in factum (erat enim in ea formula aut: SI PARET NVMERIVM NEGIDIVM SESTERTIVM TOT MILLIA CONDEMNATVM ESSE; aut: SI LEGITIMO IVDICIO CONDEMNATVS ESSET, TVM SI SESTERTIVM TOT MILLIA N. N. A. A. EO NOMINE DARE OPORTERET) ita prospexit, ut ipsa re inter legitimum et imperio continens iudicium non multum interesset. Quocirca etiam si ad recuperatores actum erat, eadem ratione, quae in legitimis iudiciis observabatur, iudicatum exigebatur. Cic. pro Flacc. 20. *Itaque recuperatores rem minime dubiam prima actione iudicaverunt. Cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo et ab hoc ductus est.* Conferatur etiam Divin. in Caecil. 17. et Lex, quae vocatur iudiciaria, quam supra quoque citavimus, versibus 7—9:

. . . QVEI. VOLET. MAGISTRATVS. EXSIGITO. SEI. POSTVLABIT. QVEI. PETET. PR. RECVPERATORES. *dato. addicito*

iubet OQVE EVM. SEI. ITA. PAREAT. CONDVMNARI. POPVL. FACITOQVE. IOVDICETVR. SEI. CONDEMNATVS

erit AD. QV. VRB. VT. BONA. EIVS. POPLICE. POSSIDEANTVR. FACITO etc.

Sic enim ut fecimus, haec legis pars posse suppleri videbatur. Porro si imperio continenti iudicio communi dividundo vel familiae erciscundae actum erat, quae iudex vel recuperatores adiudicaverant, velut ususfructus aut servitutes, iure non consistebant (Fragm. Iur. Rom. Vatic. §. 47.); sed praetor etiam adiudicationes tuebatur, ut Paullus loquitur L. 44. §. 1. D. Famil. ercisc., exceptiones aut actiones dando. Postremo quaecunque iudicia imperio continebantur, si eo, qui ea constituerat, magistratu abeunte, iudicata nondum erant, dissolvi necesse erat, cum legitima antea quidem perpetua essent, postea autem lege Iulia anno et sex mensibus morerentur (Gai. 4, 104.). Quod discrimen effecisse videtur, ut ante legem quidem Iuliam iudex legitimo iudicio addictus, etiamsi actor rem suam deserere vellet, semper aut condemnare aut absolvere reum necesse haberet, ne alioqui iudicium nunquam exstingueretur, dum imperio continenti iudicio constituto, actori caussam relinquere et a iudice abire licebat, cui tunc eam rem iudicare nulla necessitas erat imposita (Cic. pro Flacc. 21.). Sed quod ad recuperatores ac iudices a provinciarum praesidibus datos attinet, postea salubri observatione obtinuit, ut ab uno dati etiam a successore eius iudicare cogerentur. Ita enim scribit Paullus lib. 3. Respons. (L. 49. §. 1. D. de iudic.): *Iudices a praeside dati solent etiam in tempus succes-*

sorum eius durare et cogi pronunciare: easque sententias (L. eaeque sententiae) *servari. In eundem sensum etiam Scaevola respondit.*

Recuperatores evanuerunt cum ipsis ordinariis iudiciis adeo ut postea ne nomen quidem eorum inveniatur. An tamen recuperatorum appellatio tum alium sensum adepta sit, eum quem haec veteris glossarii definitio a Brissonio de V. S. h. v. exprimit: *Recuperatores sunt, qui latrones et alios delinquentes recipiunt*, neque affirmare neque negare audeo.

EXCURSUS III.

[Ad Orat. pro Tull. §. 7.]

DE TAXATIONIBUS.

Iurisconsultorum Romanorum imitati consuetudinem a verbi etymologia et explicatione initium faciamus. Paullus ex Festo (ipsius Festi verba infra adscribemus) v. *Taxat*, notat: *Taxat et taxatio a verbo tango dicuntur. unde et taxatores a scenicis dicuntur, qui ad alterutrum* (L. *quia alter alterum*) *maledictis tangunt.* Qua in sententia etiam stat Macrob. Saturn. 6, 7. seu potius Gell. 2, 6. ex quo ille ad verbum transscripsit, dicens: *Taxare pressius crebriusque est, quam tangere, unde id procul dubio inclinatum est.* Sed hoc verum non puto. Nunquam enim in latino sermone *ct* litterae, quae sunt in *tactum*, cum *x* commutantur; nisi forte *s* accesserit, quae eliminata *t* ex *c* (vel *g*) et *s* efficit *x*, sicut in *pax* (pactum), quod tamen et ipsum rectius a stipite, ut ita dicam, verbi *paco* deducitur. Neque defendi

potest haec originatio forma *taxo, taxis, taxit,* quae est futurum exactum a *tago*, pro *tagesco* (tagero) sicut *faceso* (facero) dedit *faxo.* Igitur arbitror, *taxare* ex Graeca lingua originem ducere idemque esse verbum quod *τάσσειν;* namque *ss* et *x* antiquitus permutata esse, ostendit verbum *asso* vel *axo, coasso* vel *coaxo,* de quo lexica adi; item *laxus* et *laxare,* quod a primo non distulisse videtur a *lassus* et *lassare;* quippe quod defatigatur et vigorem exuit, idem quoque resolvitur et relaxatur; sed ut paullum diversi sensus sono quoque distinguerentur, postmodo ex uno verbo duo effecta sunt. Denique posteri Latinorum ex *maximo* iterum effecerunt *massimo*, ex *saxo sasso* et ita in omnibus eiusdem generis. Secundum haec prima verbi *taxare* significatio fuit *statuere, definire;* quod etiam Festus concedere videtur, cum ait: *Taxat verbum ponitur in iis, quae finiuntur, quoad tangi liceat;* et recte addit: *quoad tangi liceat;* semper etenim, posteriore saltem latinitate, *taxare* ad finem refertur, quem excedere non liceat; quare etiam distat taxatio ab aestimatione; etiamsi enim qui aestimat, dum certum rei pretium statuit, et ipse taxat, pretium videlicet, tamen qui taxat, non utique etiam aestimat; quia alia quoque praeter rerum pretia definiri possunt. Quam ob caussam taxandi verbo, ubi ad pretium refertur, plerumque additur modus vel mensura, qua taxetur, velut Sueton. Calig. 38. *Cognoscebat*, inquit, *de talibus caussis, taxato prius modo summae;* et Flor. II, 6. §. 18. *Modii duo annulorum Carthaginem missi: dignitas equestris taxata mensura.* Cum tamen aestimari non possit, nisi pretii modo statuto, mirum non est, si saepissime *taxare* positum inveniatur pro aestimare, velut apud Senec. de consol. ad Marc. 19. *Tanti quodque malum est,*

quanti illud taxavimus. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 8. Goes. *Si utriusque* (L. *utrisque*) *possessoribus conveniat, ut finales arbores deiiciant, aut ut pretio taxent.* Plura exempla lexica suppeditabunt. Sed quamdiu proprie verbis usi sunt Romani, taxationis appellatio semper iuri civili inservivit, eo sensu, ut taxari diceretur, cuicunque modus ac finis praestitueretur, ultra quem progredi non liceret. Usitatissima vero in legibus fuit formula *dum — taxat*, hoc est, si modo is, penes quem eius rei potestas est, definiat, addito modo, qui esset definiendus; et rursus illud *dum — taxat* nusquam frequentius usurpatum videtur, quam in legibus multam irrogari iubentibus. Eius generis duo, quod sciam, exempla nobis servata sunt, sed utrumque ita corruptum, ut haec res adhuc penitus ignorata sit. Alterum est in lege Silia, cuius extrema verba Festus v. *Publica pondera* sic refert:

> *Si quis magistratus adversus haec d. m. pondera modiosque vasaque publica, modica, minora maiorave faxit, iussitve fieri, dolumve adduit, quod ea fiant, eum quis volet magistratus multatetur, dum minore patrisfamilias taxat, liceto, sive quis in sacrum vindicare voluerit, liceto.*

Alterum reperitur in lege illa iudiciaria, ex qua in superiore quoque disputatione quaedam depromsimus, cuius versus 9 et 10. Dirksenius (Beiträge z. Kunde d. Röm. R. p. 218.) ex Marinio in hunc modum exhibet:

> .. ADQ.. VRL.. AVT.. BONA. EIVS. POPLICE POSSIDEANTVR. FACITO. SEI. QVIS MAG. MVLTAM INROGARE VOLET
>
> .. PARIVS. FAMILIAS. TAXSATE. CETOEIOS OMNIVM. RERVM. SIREMPS. LEXS. ESTO. QVASEI. SEI. IS. HAACE. LEGE

In his utriusque legis verbis primum alia sunt vitiosa; nam in priore pro *modica* aperte legendum est: *modicis*, ut sensus evadat: iis quae legitimum modum habent, maiora vel minora; deinde in fine pro: *in sacrum vindicare* (vel *indicare*) reponendum cum Scaligero: *in sacrum iudicare*, uti probat fragmentum legis, quod exstat in Muratorii Thes. Inscr. Tom. II. p. DLXXVI. n. 1.

....SCIENS. D. M. EI. MVLTA. ESTO. HS. IXI. EIVSQ. PECVNI*ae*...

....POPVLI.IVDICIO.PETERE.VEL.IN.SACRVM. IVDICARE. LICETO....

Item Cicero de leg. 3, 3: *Cum magistratus iudicassit inrogassitve: per populum multae poenae certatio esto.* Denique ulcus illud *eum quis — multatetur* ita sanandum: *ei sei quis — multam irrogare*, ut olim scriptum fuerit: *multam ir* (littera *i* cum virgula transversa, ut significetur *in*). Verbum enim rogandi notatum esse littera *r*, illa notissima formula e. h. l. n. r. id est: *ex hac lege nihil rogatur* et aliae docent. Confer. Valer. Prob. de not. Rom. p. 1475. v. 20 et ult. In alterius vero legis versibus exscriptis initio corrigendum esse AD. QV. VRB. VT. iam Dirksenius recte animadvertit.

Sed quid illud est, quod huc pertinet, in priore lege: *dum minore patrisfamilias taxat*, et in altera: ..PARIVS FAMILIAS. TAXSATE. CETOEIOS et reliqua? quae verba Dirksenius ita corrigere tentavit: PATRIS. FAMILIAS. TAXAT. VTI. EIS. Sane quod utramque legem eandem formulam exprimere putavit, in hoc prorsus assentior viro doctissimo. Sed paterfamilias iste hic nihili est. Quid ergo? Restituendum censeo in lege Silia ex iudiciaria: *dum minoris partis familias taxat;* et in iudiciaria ex lege Silia: [*d. min.*] PARTIS. FAMILIAS. TAXSAT. LICETO. EIOSQ.

(sc. multae) etc. Quae verba hunc sensum praebent: ei, qui contra hanc legem fecit, quicunque volet magistratus multam irrogare liceto, si modo minoris partis bonorum definiat (sc. multam). Multis enim dicendis contumaces coerceri, non familia everti, leges voluerunt: quare illud laxamentum omnibus multarum summis aut infinitis aut paullo maioribus adscribi solitum est. Res extra dubium ponitur hoc Catonis ex oratione pro Rhodiensibus loco, quem servavit Gellius (7, 3.) sed depravarunt et male intellexerunt Gellii editores: *Quid nunc? et quae tandem lex est tam acerba, quae dicat: Si quis illud facere voluerit, mille nummi dimidium familiae multa esto: Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto.* Ad quem locum I. F. Gronovius adnotat: *MSS. mille minus, alii nummis. Scribendum: Mille nummei, vel, ut olim editum, Mille nummum, dimidium familiae, mulcta esto. Formula in eis adhiberi solita, in quibus, quae per se peccabat paterfamilias, mille nummis ei luendum erat; si per quem e familia, quinquagenis.* Hanc sententiam Iacobus Gronovius appellat praeclare enodatam, ipse tamen, quoniam optimi codices *minus* habeant, legendum suspicatur *minis.* Sed quis hoc unquam statuit, filiosfamilias peccantes mitius legibus puniri quam patresfamilias? Immo si quis e familia deliquit, eadem ubique poena est, parenti modo noxae dandi potestas remittitur. Summam vero graeco vocabulo in lege populi Romani Quiritium conceptam ecquis feret? Ne multis, retinenda est codicum tantum non omnium lectio: *mille minus dimidium familiae multa esto*, hoc sensu: mille (sc. *sestertii nummi*, cf. Gai. 4, 43. 51. aut, si hoc malis: *librae aeris.* Cf. Fest. v. *Viginti quinque poenae significat viginti quinque*

asses. v. *Centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras.*) dummodo minus id sit quam (*quam* omittitur ut ibidem postea in illo: *plus quingenta,* et alibi) dimidium bonorum eius, cui multa irrogatur. Dubitari ergo non potest, quin Cato hic tralatitiam illam legum eiusmodi formulam: *dum minoris partis familias taxat* significaverit. Iam cum eandem formulam (quod dubitare non licet) in aliis quoque praescriptionibus, quibus magistratus vel alius quivis non ultra certam summam statuere iuberentur, legumlatores usurparent, ei idem, quod similibus evenit, ut paullatim mediis verbis omissis, solum poneretur *dumtaxat,* addito eo numero vel modo, quo is, ad quem ea res pertineret, constringeretur; et primo quidem separatim scribi solitum, *dum taxat,* velut hoc legis Serviliae fragmento cap. XII. v. 34. Klenz.

SECVMVE. DVXERIT. DVM. TAXAT. HOMINES. III.

item in lege Rubria de Gallia Cisalpina Col. 2. v. 19.

QVANTA. EA. PECVNIA. ERIT. DE. QVA. TVM. INTER. EOS. AMBIGETVR. DVM. T. XV. S. F. S.

et in tabulis honestae missionis, in hac formula:

AVT. SI. QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DUXISSENT. DVM. TAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. etc.

quamquam in quibusdam, maxime inferioris aetatis, exemplaribus iam compareat DVMTAXAT indistincte exaratum. Quod vero in illo fragmento legis Rubriae posterior huius verbi pars notata invenitur, documento est, quam haec vox frequentata fuerit in legitimis monumentis. Postea nota *d. t.* universam vocem insigniri solitam, discimus ex iis, qui iuris notas collegerunt. Vide Goeschen. Ind. siglar. quae in Gaii Cod. reper. p. 432. Adde

tab. honestae miss. XI. Spangenb. Postremo ambae voces in unam coaluerunt, quae dehinc, ut melius enunciari posset, scribi coepta est *duntaxat*, simulque ex rigidis legum carminibus etiam in vulgaris usum migravit sermonis, retenta tamen illa significatione, quam ab initio habuit: non amplius, non plus, vel, ut in glossario graeco explicatur: *μέχρι τούτου*. Unde existimari potest, plerumque quidem sed non semper *solum* sive *tantum* et *duntaxat* unum alterius vice fungi posse. Posteaquam vero *dum taxat*, eo quo dixi modo, hanc significationem *dum minus taxetur* obtinuit, *taxatio* quoque et *taxare* ad hanc sententiam denotandam quasi proniora facta sunt; potissimum ubi rei alicuius definitionem verbo *dumtaxat* praescripto factam indicant. Et hinc etiam nomen *taxatorum*, quos Festus refert, explicandum est; qui non inde, ut ille ait, ita dicti sunt, quia alter alterum maledictis tangat, sed inde, quod si quis in altero, quicquid est laude dignum, duntaxat aliquatenus aestimat, is sine dubio est detractor, carptor, vituperator. Ita etiam *taxare* Sueton. Octav. 4. posuit pro *reprehendere*. Quanquam communi sermone haec significatio est infrequentior, et plerumque *taxare*, ut dixi, nil nisi *certum modum definire* denotat.

At vero in iure civili, ubi taxatio semper ad circumscriptionem verbo *duntaxat* expressam respicit, fere nunquam alio sensu, hoc verbum dicitur, atque ad denotandam istam circumscriptionem. Et sane in omnibus paene partibus iuris civilis eiusmodi taxationes inveniuntur. Exempla legum dedi. Ex edictis perpetuis haec sunt: Valer. Prob. de not. Rom. p. 1477. v. 30. in Gothofr. Auct. L. L. *Quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo, testibusque duntaxat*

X *denuntiandi potestatem faciam*; quem locum superiori excursu explicui. L. 1. §. 10. D. de inspic. ventr. — *Mittantur autem mulieres liberae dumtaxat quinque, haeque simul omnes inspiciant.* Et paullo post eodem edicto: *Mittantur mulieres liberae dumtaxat quinque, ita ut, praeter obstetrices duas, in eo conclavi ne plures mulieres liberae sint, quam decem.* L. 1. pr. D. quando de pecul. actio annal. Praetor ait: *Post mortem eius, qui in alterius potestate fuerit, posteave quam is emancipatus, manumissus alienatusve fuerit, dumtaxat de peculio, et si quid dolo malo eius, in cuius potestate est, factum erit, quo minus peculii esset, in anno, quo primum de ea re experiundi potestas erit, iudicium dabo.* Ex testamentis duo exempla afferam. Apud Gruter. p. DCCXLVIII. 11. inscriptio lapidis sepulcralis exstat, ex testamento defuncti hoc caput continens:

Ob memoriam patris sui, Dec. VII. Colleg. I. Fabr. M. R. H-S. M. N. *) *liberalitate donavit, sub hac conditione, ut quotannis rosas ad monumentum eius deferant, et ibi epulentur, dumtaxat in V Idus Iulias. quod si neglexerint, tunc ad VIII. eiusdem collegii pertinere debebit, conditione supra dicta.*

Hic additum: *dumtaxat in Idus Iulias*, ne alias cogerentur legatarii eo quoque tempore rosas deferre, quo nullae esse solent. —

*) Hoc est: *Decuriam septimam Collegii primi Fabrorum Militiae Ravennatis sestertiis mille nummis.* Notas *Fabr. M. R.* (M. R. in ipsa inscriptione lineam supra se habent) Spangenbergius Iur. Rom. tab. Negot. solemn. p. 389. male explicuerat: *Fabrum nemorariorum.* Vid. Valer. Prob. de Not. Rom. p. 1467. v. 60. et observa, lapidem Ravennae inventum esse.

Alfenus Varus Lib. 2. Digest. L. 202. D. de V. S. hanc elegantem quaestionem tractat: *Cum in testamento scriptum esset, ut heres in funere aut in monumento duntaxat aureos centum consumeret: non licet minus consumere: si amplius vellet, licet: neque ob eam rem contra testamentum facere videtur.* Quem locum nec Cuiacius Obss. 2, 12. neque Heineccius in editione operis Brisson. de V. S. v. *dumtaxat* recte ceperunt. Nimirum hic *duntaxat* ex mente Alfeni non ad verba *in monumento* verum ad *aureos centum* respicit, et caussa dubitandi fuit, quod *duntaxat* summae praepositum plerumque hanc significationem habet: *non amplius quam.* Sed vulgari sermone eo perventum erat, ut *duntaxat* etiam significaret *saltem, minimum.* Cic. ad Attic. 5, 10. §. 3. *Quid est praeterea? nihil sane nisi illud: valde me Athenae delectarunt, urbs duntaxat et urbis ornamenta.* Potest enim illud *non amplius*, quod semper latet in hoc verbo, sic cogitari, ut ne amplius detrahatur, deminuatur. Cum igitur scriptura illa anceps esset, et aut significaret: *si modo non plus funeri meo detrahas, quam ut relinquantur*, aut: *si modo non plus eroges, quam sunt,* dubium non erat, quin pro testatore interpretandum esset.

Sed ut tandem ad id veniamus, de quo proprie agere hoc excursu constituimus, sciendum est, postquam formulis Romani litigare coeperant, nusquam frequentius taxationes poni solitas esse, quam in ea formularum parte, quae condemnatio appellatur, hoc est, qua iudici condemnandi aut absolvendi potestas tribuitur. (Gai. 4, 43.) Fest. v. *Taxat verbum ponitur in iis, quae finiuntur, quoad tangi liceat, in litibus quoque arbitrove cum proscribitur quoad ei ius sit statuendi.* Ta-

xatio dicitur quae fit certae summae. Qui locus et emendandus et aliter distinguendus est, in hunc modum: *Taxat verbum ponitur in his, quae finiuntur, quoad tangi liceat. In litibus quoque iudici arbitrove cum praescribitur, quoad ei ius sit statuendi, taxatio dicitur, quae fit certae summae.* Excidisse enim *iudici,* demonstrat ipsum illud *arbitrove.* Valer. Prob. de not. Rom. p. 1476. v. ult. T. I. A. V. P. U. D. *Tempore iudicem arbitrumve postulat ut des.* Cf. Cic. pro Mur. 12. in fine. Sed ut Festi definitio, quae est verissima, manifestior fiat, tenendum est, praetores ceterosque magistratus, potestate illa sibi concessa, ut iudicibus, quod iudicarent, conceptis verbis praescribere possent, hoc inprimis remedio vincula, quibus legis actiones ius civile constrictum tenebant, solvisse utiliumque actionum numerum auxisse, ut quicquid actor intendisset, semper in pecuniam reum condemnari iuberent. Ita enim efficiebatur, ut ex quovis iudicio, re ad condemnationem perducta, actio iudicati nasceretur, id est, actio iuris civilis, per quam solam reus ut actori satisfaciat cogi potest. (Gai. 4, 21 — 25. 48.) Sed cum ipsa aequitas posceret, ut in tantam pecuniam reus condemnaretur, quantae in eum actio data esset, necessario evenit, ut istae pecuniariae condemnationes iudici praescribi solitae perquam diversae essent. Qua de re Gai. 4, 49.: *Condemnatio autem vel certae pecuniae in formula ponitur vel incertae.* §. 50. *Certae pecuniae in ea formula, qua certam pecuniam petimus; nam illic ima parte formulae ita est:* IVDEX NVMERIVM NEGIDIVM AVLO AGERIO SESTERTIVM X MILIA CONDEMNA: SI NON PARET ABSOLVE. (Item in formulis in factum conceptis, quibus certam poenam persequimur. Cf. Gai. 4, 46. L. 1. pr. L. 5.

§. 6. D. de his qui effud. vel deiec. L. 42. D. de aedilit. edict.) §. 51. *Incertae vero condemnatio pecuniae duplicem significationem habet. Est enim una cum aliqua praefinitione, quae vulgo dicitur cum taxatione; velut si incertum aliquid petamus [nam illic ima pars] formulae ita [concipitur]*: IVDEX NVMERIVM NEGIDIVM AVLO AGERIO DVMTAXAT X MILIA CONDEMNA: SI NON PARET ABSOLVE. *diversa est, quae infinita est; velut si rem aliquam a possidente nostram esse petamus, id est si in rem agamus, vel ad exhibendam. nam illic ita est:* QVANTI EA RES ERIT, TANTAM PECVNIAM NVMERIVM NEGIDIVM AVLO AGERIO CONDEMNA: SI NON PARET ABSOLVITO. Ex his apparet, formulas cum taxatione quodammodo medium locum inter formulas certae pecuniae et plane infinitas obtinere. Videamus tamen, anne formularum cum taxatione duo proprie genera sint, ex quibus alterum solum brevitatis studio vel aliam ob caussam Gaius retulerit. Taxatio enim rursus aut finita esse aut infinita potest. Finita est, ubi certa summa praefinitur, quam iudici excedere non licet, quam et Gaius et Festus commemorant, et quae sola condemnationem aliquatenus certiorem reddit. Infinita est, qua et ipsa quidem condemnationi limes aliquis statuitur, ultra quem iudici evagari non liceat, is tamen incertus et iterum in aestimatione iudicis positus. De hac prius agamus. Ad hoc alterum genus taxationum referendae sunt formulae actionis de peculio et de in rem verso, qua domini parentesque ex negotiis eorum, qui in potestate ipsorum sunt, conveniuntur. Postquam enim actor Aulus Agerius Numerium Negidium filiumfamilias ex fide bona dare facere oportere intendit, in condemnatione ita pergit: QVANTI EA RES EST

TANTAM PECVNIAM IVDEX LVCIVM TITIVM, CVIVS IN POTESTATE EST NVMERIVS NEGIDIVS, DVNTAXAT DE EO QVOD IN REM LVCII TITII VERSVM EST ET DE PECVLIO, QVODVE DOLO MALO LVCII TITII FACTVM EST, QVO MINVS IN PECVLIO ESSET, ET DE EO QVOD DOLO MALO LVCII TITII IN EA RE, QVA DE RE AGITVR, CAPTVS FRAVDATVSQVE AVLVS AGERIVS EST, CONDEMNA, SI NON PARET ABSOLVE. *) Huius actionis duntaxat de peculio deque in rem verso datae saepissime mentio fit in libris iuris. L. 57. D. de iudic. *Tam ex contractibus quam ex delictis in filiumfamilias competit actio: sed filio mortuo post litis contestationem, transfertur iudicium in patrem, dumtaxat de peculio, et quod in rem eius versum est.* — L. 35. D. de noxal. act. — *Quin imo etiam illud dicendum est, patrem quoque post condemnationem filii, duntaxat de peculio posse conveniri.* L. 12. pr. D. de tribut. act. *Alius duntaxat de peculio, alius tributoria, servi nomine cum domino agit* etc. L. 44. D. de pecul. *Si quis cum filiofamilias contraxerit, duos habet debitores: filium in solidum, et patrem duntaxat de peculio.* Adde L. 6. §. 6. D. de negot. gest. L. 1. pr. D. de tribut. act. L. 2. L. 5. pr. §. 1. L. 30. §. 1. L. 36. D. de pecul. L. 1. pr. D. Quando de peculio act. ann. L. 1. §. 42. D. Depos. L. 6. §. 12. D.

*) Obiter moneo, haec verba: *condemna, si non paret, absolve* his quatuor litteris: c. s. n. p. a. notari solitas esse (vide Goeschenii indicem siglarum quae in Gaii Codice reperiuntur p. 490.) easque etiam exstare in lege de Gallia Cisalpina. col. 1. v. 31 et 40. ubi ab interpretibus infelicissime explicata sunt. Iidem quoque non viderunt, priorem formulam quae ibi proponitur v. 22. pergere usque ad v. 31. Sed de hac re alibi.

Quae in fraud. credit. Ex quibus locis simul apparebit, pro diversitate caussarum, modo latius modo angustius taxationem concipiendam esse. Sed *taxationem* quoque dici hanc condemnationis circumscriptionem, probatur L. 24. §. 2. D. de act. empt. et vend. ***Servo vendente hominem, fideiussor venditionis omnia praestare debet, in quae obligaretur, si pro libero fideiussisset. nam et in dominum actio sic datur, ut emptor eadem consequatur, quae libero vendente consequi debuisset: sed ultra peculii taxationem dominus non condemnatur.*** Alia huius generis taxatio est, cum iudex duntaxat de eo, quod ad reum pervenerit, quantive is locupletior factus sit, condemnare iubetur; nam hoc in heredibus et aliis quibusdam personis interdum aequum est. L. 17. §. 1. D. de dolo malo. ***Haec actio in heredem et caeteros successores datur, duntaxat de eo, quo ad eos pervenit.*** L. 7. §. 5. D. de tribut. act. ***Haec actio et perpetuo et in heredem datur, de eo duntaxat, quod ad eum pervenit.*** Adde verba Senatusconsulti, quod de hereditatibus petendis Hadriano Imperatore factum est. L. 20. §. 6. D. de hered. petit. Porro in hoc genere etiam condemnationes duntaxat in id, quod actor facere potest, ponendae sunt, quae quibusdam personis competunt, et aliae fortasse, quae mihi nunc in mentem non veniunt. Harum omnium igitur condemnationum addita taxatione haec potestas est, ut iudici non totum illud, quanti ea res sit, sed eatenus solum, quatenus taxatio permittit, aestimare liceat. Ceterum hic iudex plus condemnando litem suam facere facile non potest, certe non facilius, quam in formulis sine omni taxatione conceptis; quamvis enim modus ei sit praescriptus, tamen cum is rursus ab eius taxatione pendeat, potest sane sine dolo malo

ipsius maior minorve summa condemnationis ab eo confici.

Hoc plane diversum est in ea taxatione, quae fit certae pecuniae, qualis ea quoque est, quae in oratione pro Tullio §. 7. commemoratur. Hic enim iudex cum certam summam prae oculis habeat, quatenus ius ei sit statuendi, non potest non facere dolo malo vel lata culpa, si nihilominus pluris condemnet: Gai. 4, 52. [*Quacunque de re vero*] *) *iudex, si condemnat, certam pecuniam condemnare debet, etsi certa pecunia in condemnatione posita non sit. debet autem iudex attendere, ut, cum certae pecuniae condemnatio posita sit, neque maioris neque minoris summa petita condemnet: alioquin litem suam facit. item si taxatio posita sit, ne pluris condemnet, quam taxatum sit; alias enim similiter litem suam facit, minoris autem damnare ei permissum est.* Quae diversitas certarum et infinitarum taxationum etiam inprimis movisse Iurisconsultos videtur, ut si de condemnationibus cum taxatione sermo esset, illas fere solas intelligerent.

Quemadmodum vero formula concipienda sit addita taxatione, exempla eiusmodi condemnationum, quae apud Gaium exstant (4, 41 et 51.) ostendunt. Ponitur enim summa pecuniae taxata praescripto verbo *duntaxat* ante ipsam clausulam condemnationis: *condemna, si non paret, absolve.* Item taxationis summam minorem vel maiorem pro actoris arbitrio positam esse, praeterquam Tullianae orationis loco supra citato, etiam a Gaio 3, 224. et Paullo (Collat. 2, 6.) docemur. Gaii verba de in-

*) Ita explendam hanc lacunam puto. In codice, teste Bluhmio, est: *q de re ue,* ubi litterae *cq* inter *q* et *d* aut excidisse aut ad finem transposita videntur, ut novissimum illud *e* (*c*) solum ex his notis remanserit.

iuriis sunt: *Sed nunc alio iure utimur. permittitur enim nobis a Praetore ipsis iniuriam aestimare, et iudex vel tanti condemnat, quanti nos aestimaverimus, vel minoris, prout illi visum fuerit. set cum atrocem iniuriam Praetor aestimare soleat, si simul constituerit, quantae pecuniae nomine fieri debeat vadimonium, hac ipsa quantitate taxamus formulam, et iudex quamvis possit vel minoris damnare, plerumque tamen propter ipsius Praetoris auctoritatem non audet minuere condemnationem.* Paullus vero: *Qui autem iniuriarum in quid aget, certum dicat, quid iniuriae factum sit, et taxationem ponat non minorem, quam quanti vadimonium fuerit.* Et sane cum liceret iudici, in quamcunque minorem summam condemnare, ei, quicum agebatur, nullum periculum ex insanis actoris taxationibus imminebat.

At enimvero perobscurum videtur, quibus in caussis et qua ratione permoti praetores hanc taxandi licentiam actori remiserint. Gaius (4, 51.) ait: *si incertum aliquid petamus.* Sed qui depositi experitur, is, ut omnes qui ex bonae fidei contractibus agunt, incertum sine dubio intendit: et tamen Gaius qui duas depositi formulas, easque, ut videtur, undequaque perfectas et integras nobis servavit, (4, 47.) neutri taxationem addidit. Eadem etiam non exstat in actionibus, quae in lege Rubria de Gallia Cisalpina contra eum, qui damni infecti nomine non repromiserit aut satis non dederit, proponuntur, quamvis illae ex bonae fidei stipulationibus oriundae sine controversia et ipsae incertum persequantur. Sed etiam exempla harum condemnationum nobis servata non multum auxilii praestant. Nam praeter iniuriarum et vi bonorum raptorum actionem nullius formulae cum taxatione

dari solitae antiqui libri meminerunt. Videamus ergo, an ex ipsa condemnationis natura praeceptum illud, quod praetor in taxationibus ponendis vel non ponendis secutus sit, extricare possimus.

Igitur, ut supra quoque significavi, in condemnationibus id ante omnia praetori agendum est, ut in tantam pecuniam reus damnetur, quantae pecuniae res in lite versatur. Quae si certa est, etiam condemnatio in certam summam concipitur. Quodsi certa quidem res neque tamen pecunia est, velut si hominem Stichum dari oportere intendatur, itidem sufficit, in condemnatione poni: *quanti ea res est, tantam pecuniam condemna,* quoniam sic certa pecunia saltim demonstratur. Sin vero incertum petitum est, veluti: *hominem Stichum aut HS. X millia dari oportere,* aut: *quicquid ob eam rem dari fieri oporteat ex fide bona,* rursus est distinguendum. Aut enim ad restituendum pertinet actio, ut ex eadem caussa, si eius, qui cum agitur, procacia restitutum non sit, etiam in litem iurari possit, aut non est ad restituendum. In illis actionibus, quibus omnes arbitrariae et pleraeque bonae fidei actiones adnumerandae sunt, semper iudicis arbitrio restitui iubetur et cum id solum restitui possit, quod in statu ac conditione bonorum actoris immutatum esse probetur, hic quoque verba illa: *quicquid dare facere oportet ex fide bona,* vel in arbitrariis iudiciis: *quanti ea res est,* certam designationem continent. Sane in una specie, si res absit, maxime si dolo suo reus restituere posse desierit, iudex rursus certa ratione, quam sequatur, destituitur, quo casu quid officio eius conveniat, paullo post videbimus. At in omnibus incertis actionibus, quae ad restituendum non sunt, nihil sane habet modi iudex, ad quem aestimationem suam instituat; manifestumque est peri-

culum, ne aut pluris aut minoris quam quanti ea res sit, quae in iudicium venerit, condemnet. Hic ergo quid conveniens erat aequitati? Ut uterque litigator summam, qua pluris vel minoris damnari non deberet, praefiniret? At rei, qui se iniuriam fecisse negat, non est, quanti condemnari velit, praescribere. Aut enim fecit iniuriam, tum poenae suae arbiter esse non debet, aut non fecit, et erit absolvendus. Soli vero reo taxationem permittere, etiam absurdius foret. Ergo relinquebatur, ut actori taxandi facultas praestanda esset, iudici autem infra taxatam summam aestimandi condemnandique potestas fieret. Adhuc sane actor iniuriam pati poterat eo, quod iudex iusto minoris rem aestimaret; sed hoc etiam in formulis, quibus certum intenditur, accidere potest, et ut ubique melior est caussa possidentis, ita hic quoque aequitati satis fecisse praetor putandus est, si consuluit, ne in id quis condemnari possit, quod actor sibi deberi arbitratus non fuerit. Iam vero in omnibus actionibus facile definiri poterit, utrum cum taxatione an pure datae sint. Ex in rem actionibus, quae omnes ad restituendum pertinent, nulla est cum taxatione; inter personales, quaecunque liberum iudicis arbitrium continent, eae taxationem non habent, nisi forte ad restituendum non sint, quales sunt ex empto et ex conducto et aliae complures, inprimis contrariae, actiones. Quare suspicere hoc rescriptum Impp. Diocletiani et Maximiani (L. 4. C. de act. empt. et vend.) huc pertinere: *Si traditio rei venditae iuxta emptionis contractum procacia venditoris non fiat: quanti interesse compleri emptionem fuerit arbitratus Praeses provinciae, tantum in condemnationis taxationem deducere curabit.* At cavit Iustinianus, ne iuris antiqui nec vola nec vestigium, ut aiunt, relinqueretur; taxatio

illo loco solum communi sensu posita est, quo certae summae vel mensurae definitionem significat, sicut apud Senec. de benefic. 3, 10. Quintilian. Declam. 5, 4. L. 6. pr. D. Ut legat. s. fideicomm. (ubi videatur glossa) et aliis locis; hoc enim inde apparet, quod ipse praeses et taxare et condemnare ibi dicitur. Quodsi ex vendito vel ex aedilitio edicto ad rem redhibendam agatur, nulla erit taxatio; idemque in actione locati dicemus. Sed et si actio partim ad restituendum sit, partim alia damna persequatur, magis est, ut taxetur, velut si tibi mandaverim, ut rem aliquo perferres, eamque tu amiseris. Idem in divisoriis iudiciis. Condictio, si certum petatur, sine taxatione est, triticiaria ita, si certum in obligationem deductum fuerit. (L. 74. 75. D. de V. O.). Nam si incertum petit actor, formula ei taxandi erit, velut si quis operas stipulatus sit. Eiusmodi ex stipulatu actionis et taxationis in ea ponendae exemplum tamen nobis servarunt elegantissimum Digestorum compositores, quod iam referam. Paullus lib. 7. ad Plautium (L. 39. D. de oper. libert.): *Si ita stipulatio a patrono facta sit: Si decem dierum operas non dederis, viginti nummos dare spondes? videndum est, an nec viginti actio danda sit, quasi onerandae libertatis gratia promissi sint; nec operarum, quae promissae non sint: an vero operae duntaxat promissae fingi debeant, ne patronus omnimodo excludatur? et hoc praetor quoque sentit, operas duntaxat promissas.* Quam sententiam veram puto, quoniam praetor solum exigit, ut de operis praestandis inter patronum et libertum convenerit, non etiam ut stipulanti promiserit. Ergo utile iudicium ita concipiendum erit: I. E. SI LIBERTVS PATRONO SVO CVM MANVMITTERETVR, DECEM DIERVM OPERAS PRO-

MISISSET, QVANTAE PECVNIAE TVM CONDEMNARI OPORTERET et reliqua. Deinde Paullus addit §. 1.: *Sequens illa quaestio est, an libertus impetrare debeat, ne maioris summae quam viginti condemnetur? quia videtur quodammodo patronus tanti operas aestimasse, ideoque ipse non deberet egredi taxationem viginti. Sed iniquum est, nec oportet liberto hoc indulgere, quia non debet ex parte obligationem comprobare, ex parte tanquam de iniqua queri.* Quaerit Paullus, an in formula ab actore taxanda (quod enim taxatione hic opus est, ansam huic quaestioni dedit) libertus impetrare debeat, ut ne maiorem actor taxationem, quam viginti, debeat in condemnatione ponere? (*ipse non deberet egredi taxationem viginti*). Et recte rejicit hanc sententiam. Hoc etenim ipso, quod illud sibi concedi postularet, quodammodo approbaret patroni obligationem, quam non praestando operas iudiciumque opperiendo improbarat, et sic quodammodo damni per se dati arbiter fieret. Egregie ergo Paullus id, quod antea dixi, reo nunquam taxationem permitti debere confirmat. Formulam vero supra inchoatam sic perficiemus: TANTAE PECUNIAE DVNTAXAT CENTUM NUMMOS (vel quanti patronus aestimaverit) IVDEX LIBERTUM PATRONO C. S. N. P. A. Actiones quae ex delicto nascuntur, pleraeque taxatione egent, velut furti in duplum et in quadruplum; nam incertum est, quanti furem actori damnum eo nomine restituere oporteat. Item de injuriis placuit, postquam praetores, poenis duodecim tabularum usu abolitis, actori iniuriam acceptam aestimare permiserant. Et Paullus quidem loco citato actori consilium dat, ne unquam vadimonii summa minorem taxationem ponat; Gaius loco citato in atroci

iniuria ait tanti, quanti praetor vadimonium fieri iusserit, taxari solere. Uterque vere; nam vadimonium plerumque non fit tanti, quanti res ipsa est (Gai. 4, 186.); si vero praetor atrocis iniuriae aestimationem, vadimonii summa constituta, ipse facere solet, prudenter faciet actor, si ipse maiorem summam non taxaverit; ipse enim auctoritati praetoris obsecundans hoc ipso iudicem, ut idem faciat, adducit. Actio legis Aquiliae proprie certi condictio est (L. 9. §. 1. D. de reb. cred.), ergo taxationem non habet. Ait quidem Quintilian. Decl. 13, 6. ubi de damno iniuria dato agit: *Quod si mihi fortuna vel ingenii vires vel suas dedisset, crimen istud non privatam taxationem formulae merebatur.* Sed, si recta est lectio, (quidam codices habent: *privatae exactionem formulae,* unde quis effecerit, *privatae executionem formulae* cf. L. 7. §. 1. D. de injur. L. 2. §. 1. Vi bon. rapt.) taxationem privatam formulae dicit a iudice privati iudicii faciendam, hoc est, condemnationem pecuniariam, ideoque hic locus nihil contra nos probat. Caetera privata delicta, exceptis iis, quibus certa poenae summa iure legitimo aut honorario statuta est, fere omnia cum taxatione exequenda sunt, quae singulatim recensere huius non est loci.

Antea dixi, interdum etiam in his actionibus, in quibus res arbitrio iudicis restituitur, evenire, ut quanti ea res sit, iudex aestimare commode non possit speciemque, in qua id eveniat, indicavi. Quod cum forte fortuna ita cadat, et a natura ipsius iudicii, quod a primo solum ad restituendum pertinet, alienum sit, apparet hanc ob caussam taxationem in formula poni non debere. Verum totum hoc officio iudicis expediendum est: qui si rem aliquatenus aestimare posse sibi videtur, eamque

levi culpa possessoris restitutam non esse compererit, tanti, quanti actoris interest, damnabit. Sin vero dolo reus fecit, quo minus restituere posset, quoniam tunc actori in litem iurare et praeter rem ipsam dolorem quoque suum aestimare permittitur; eo casu, quia res prorsus incerta fit, iudicis officio congruens est, ut actori taxationem ponat, quam iurando non excedat. Nam cum ipsam in litem iurandi facultatem aequitas hoc casu actori largiatur, eadem aequitas simul postulat, ut abuti ea licentia sibi permissa prohibeatur. Haec igitur taxatio formulis aliena, et a iudicis officio proficiscens, tunc solum locum habet, ubi altera illa in formula non invenitur. Unde Paullus Lib. 11. ad Edictum (L. 18. pr. D. de dolo): *Arbitrio iudicis in hac quoque actione restitutio comprehenditur: et, nisi fiat restitutio, sequitur condemnatio, quanti ea res est. Ideo autem et hic, et in metus causa actione, certa quantitas non adiicitur* (hoc est taxatio ab actore non ponitur,); *ut possit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor in litem iuraverit: sed officio iudicis debet in utraque actione taxatione iusiurandum refrenari.* Item Ulpiani sententia vexatissima hinc illustratur, qui Lib. 51. ad Edict. (L. 68. D. de rei vindicat.) scribit: *Si vero non potest restituere: si quidem dolo fecit, quo minus possit, is quantum adversarius in litem sine ulla taxatione in infinitum iuraverit, damnandus est.* Hic enim Ulpianus, sicut Paullus loco supra exscripto, de illa taxatione sentit, quae in formula poni solebat et proprie taxatio appellabatur. Ergo idem ipse sibi non contradicit, cum lib. 36. ad Edict. (L. 4. §. 2. D. de in litem jur.) scribit: *Iurare autem in infinitum licet. Sed an iudex modum iuriiurando statuere possit, ut intra*

certam quantitatem iuretur, ne arrepta occasione, in immensum iuretur, quaero? Et quidem in arbitrio esse iudicis, deferre iusiurandum, nec ne, constat. An igitur, qui possit iusiurandum non deferre, idem possit et taxationem iuriiurando adiicere, quaeritur? Arbitrio tamen bonae fidei iudicis etiam hoc convenit. Item lib. 24. ad Edict. (L. 3. §. 2. D. Ad exhibend.) *Praeterea in hac actione notandum est, quod reus contumax per in litem iusiurandum petitoris damnari possit ei, iudice quantitatem taxante.*

Ex his de taxationibus, quae formulis olim addi solitae sunt, late disputatis, etiam nihil me monente, intelligetur, quo sensu Iavolenus lib. 7. Epist. verba *taxationis loco* posuerit (L. 41. §. 1. D. de leg. 2.): *A me herede uxori meae ita legatum est: Quicquid propter Titiam ad Seium dotis nomine pervenit, tantam pecuniam Seius heres meus Titiae det. Quaero, an deductiones impensarum fieri possint, quae fierent, si de dote ageretur? Respondit: non dubito, quin uxori suae, quod ita legatum est: A te heres peto, quicquid ad te pervenisset, ut tantum ei dares, tota dos sine ratione deductionis impensarum mulieri debeatur. Non autem idem ius servari debet ex testamento extranei, quod servatur in testamento viri, qui dotem uxori relegavit: haec enim taxationis loco habenda est, Quicquid ad te pervenit; illic autem, ubi vir uxori relegat, id videtur legare, quod in iudicio dotis mulier consecutura fuerit.* Similiter illa verba: *quasi taxationis vicem obtinere* apud Iulianum lib. 15. Digest. (L. 5. D. de tritico vin. vel oleo leg.) posita sunt: *Cum certus numerus amphorarum vini legatus esset ex eo, quod in fundo Semproniano*

natum esset; et minus natum esset: non amplius deberi placuit; et quasi taxationis vicem obtinere haec verba: Quod natum erit. Ex quo loco nostri discrimen inter demonstrationem et taxationem legatis earum rerum, quae pondere numero vel mensura constant, adscribi solitam effecerunt. At cum iidem, ubi de dotibus agunt, inter aestimationem venditionis caussa et aestimationem taxationis caussa factam distinguunt, sane non translate loquuntur, sed verbis abutuntur.

Superest, ut vicissitudines, quas taxationes post ordinaria iudicia sublata expertae sunt, paucis enarrem. In libris iuris civilis, quos Iustinianus componi iussit, illa taxatio quae certae pecuniae est, nusquam fere comparet: at illa, quae infinita est, velut de peculio et de in rem verso, item taxatio, quam iudex iuranti praescribit, incolumis retenta est. Quod utrumque non casu sed consulto factum esse, neminem fugiet, qui mutationem illam, quam ordo iudiciorum Iustiniani tempore iam diu subierat, diligentius expenderit et ad diversa taxationum genera retulerit. Namque ex quo iudices ac formulae a praetore dari desiverant et magistratus ipsi iudicabant, ea omnia, quae ex discretis praetoris ac iudicis muneribus manaverant, evanescere atque exstingui necesse erat. E contrario quaecunque iuris magis quam formulae iudicisque dati erant, ea nunc quoque retinebantur. Priori generi sine dubio certae pecuniae taxationes accensendae sunt, posteriori taxationes infinitae et a iudice iuranti statutae. Etenim cum universum iudicium ab eadem persona tractaretur, aestimatio eius, quanti ea res esset, non secus in actionibus cum taxatione atque in certi condictionibus et arbitrariis iudiciis, pars fiebat probationis, quam iudex ab actore desiderabat; similiter ut hodieque

is, qui aliquid dari vel fieri sibi oportere intendit, aut in rem agit, si res ipsa ei non praestetur, damnum sibi factum aestimare aestimatumque probare solet. Idque eo magis obtinere necesse erat, quoniam in omnibus actionibus, priusquam in pecuniam numeratam reus condemnabatur, ipsius rei praestatio ei imperari coeperat. E diverso illa taxatio, quae condemnationem ad modum extrinsecus venientem referebat, et quae in litem iurantem refrenabat, quocunque iudiciorum genere res cognosceretur, semper eandem aequitatem et utilitatem habebat. Ceterum ubi posteriorum Imperatorum et Iustiniani constitutiones taxationis mentionem faciunt, semper prior illa a iudice posita intelligitur, velut in constitutione Zenoniana de damni a violentis invasoribus dati aestimatione (L. 9. C. Unde vi.), item in Iustiniani Nov. 53 c. 1. et Nov. 82 c. 10. de litis expensis iureiurando cum iudicis taxatione aestimandis, et in glossariis graecis v. *taxatio*, quae laudantur a Brissonio de V. S. sub eadem voce.

EXCURSUS IV.

[Ad Orat. pro Tull. §. 17.]

DE FINIUM DEMONSTRATIONE.

Venditor fundi duas res praestare cogitur, quas rei mobilis venditor non praestat, ut vacuam fundi possessionem tradat et ut fines demonstret. Cuius differentiae quae ratio sit, quaeritur. Et de vacua quidem possessione tradenda supra in commentariis ad orationem pro Tullio (ad §. 17.) exposuimus. De finibus demonstrandis hic agere destinavimus.

Si quis fundorum naturam contempletur eamque cum rerum mobilium natura componat, eum fugere non potest, maximum discrimen inter haec duo rerum genera in eo versari, quod fundi universi, quotquot ab hominibus iam occupati sint vel dominum adhuc exspectent, natura praegrandem quidem sed unam tamen rem conficiunt, quae terra appellatur, et quae similiter uno spiritu continetur, ut quaepiam mobilis res, velut piscis, avis, lapis, pecunia: contra mobiles res, quotcunque homini parent, ita sunt inter dominos divisae, ut unusquisque quam rem possidet, eam solus possideat, et ne cogitari quidem queat, ut alter fortasse dorsi, alter pedum animalis dominus sit. Idem sic quoque definiri potest: fundi corporaliter divisionem recipiunt, mobilia non recipiunt; nam si unius rei in plura corpora non scissae (nam hoc si esset, rursus tota, non partes existerent) complures domini sint, ita tamen ut partes pro indiviso non habeant, hoc fieri non potest, nisi ea res eiusmodi sit, ut dividi potuerit. Et sic sane fundo e regionibus diviso partes dici poterunt, quoniam pars est totius, quod totum esse non desiit; quare Servio apud Paullum lib. 21. ad Edictum (L. 25. §. 1. D. de V.S.) assentior, contra Q. Mucium arbitranti, partis appellatione non solum partem pro indiviso verum etiam pro diviso (fundi videlicet) significari, quam sententiam etiam Paullus probavit. Ex hoc vero moventium et fundorum discrimine aliud consequitur, fundorum dominia hominum arbitrio discerni, moventium natura discreta esse; quod Pomponius indigitavit, cum diceret, nostra destinatione fundorum nomina et domus (L. *dominia*) non natura constitui (L. 24. §. 3. D. de leg. 1.). Nam qui equum emit, traditumque accipit, quid corporis is habeat, ipsa res demonstrat; at in fundi Corneliani

emptione, quamvis universe inter partes constet, quinam sit ille fundus, tamen, ut accurate sciatur, quantus sit, percontandum est, ad quosnam usque fines patentem homines fundum Cornelianum appellaverint. Iam vero patet, quid sit finium demonstratio, et quam ob causam venditor fundi ad eam peragendam emptori obligetur. Cum enim bona fides a venditore exigat, ut rem emptori praestet, neque vero intelligi res immobilis possit, nisi certis circumscripta finibus, quos nemo venditore accuratius novit, ipsa contractus natura venditorem obstringit, ut fundi terminos emptori ostendat. Hac ergo finium demonstratione primum corpus fundi concluditur, quod dominio alicuius cedat, adeo ut id venditum esse dici debeat, quod auctor fines demonstrando secrevit. Hinc Alphenus lib. 4. Digestorum a Paullo epitomatorum (L. 45. D. de evictt.): *Qui fundum tradiderat iugerum centum, fines multo amplius emptori demonstraverat. Si quid ex his finibus evinceretur, pro bonitate eius* (h. e. quanti ea res erit) *emptori praestandum ait: quamvis id quod relinqueretur, centum iugera haberet.* In hac enim specie quod convenit, ut centum iugerum fundus esset, solius emptoris caussa additum est, et ut minimum fundus tantum modum compleat, cavet; quid vero venierit et quo nomine auctoritas praestanda sit, sola finium demonstratio ostendit. In eandem sententiam etiam Imp. Alexander rescripsit (L. 10. C. de evictt.): *Si fines agri venditor demonstravit et legem dixit, intra eos neminem ingressurum: si quid inde evincatur, periculo fit auctoris. Quod si finibus suis, quos demonstravit, agrum vendidit, lis finalis ad venditorem non pertinet.* Finibus enim esse perturbatis, vel vicino fundo servire, secundum naturam fundorum est, ideoque hoc nomine

neminem teneri oportet. Sed hoc de ignorante; nam qui sciens finium regundorum actionem immi-nere tacuit, ex dolo suo obligatur. Quodsi quis non ipse sed per servum fines demonstravit et is vel errore vel dolo plus demonstraverit, id tamen demonstratum intelligi oportere, quod dominus senserit, Pomponius lib. 9. ad Sabinum scribit (L. 18. §. 1. D. de contrah. empt. et vendit.). Quod verum est quoad evictionis praestationem, quoniam dominus non videtur plus vendidisse, quam de quo sensit. Interdum tamen hoc nomine obligari potest; nam si emptor ex ea re damnum sensit, puta, si errore ductus in alieno severit aut aedificaverit, et venditor servum, qui fines non pernosset, aut so-cordem vel subdolum ad demonstrandum miserit, ex culpa sua tenebitur. Finium autem demonstratio etiam in dominii quaestione magni momenti est, siquidem et traditio et mancipatio ad id referenda sit, de quo partes sensere, quod ante fines demon-stratos accurate intelligi non potest. Huc spectat Paulli sententia ex lib. 3. Respons. (L. 12. D. Fin. regund.): *Eos terminos*, inquit, *quantum ad do-minii quaestionem pertinet, observari oportere fundorum, quos demonstravit is, qui utriusque praedii dominus fuit, cum alterum eorum ven-deret. Non enim termini, qui singulos fundos separabant, observari debent, sed demonstratio adfinium novos fines inter fundos constituere.* Et sane cum termini agris positi non aliam ob caussam finem faciant, quam quod adfines ea parte fundos suos disterminare voluerunt, necesse est, ut quod sola voluntate constitit, deficiente voluntate dissolvatur. Quod vero de dominio diximus, idem quoque de possessione valet, ut etiam possideri fundus nisi certis quibusdam finibus inclusus non possit. Differre autem finium demonstrationem a

vacuae possessionis traditione, in aprico est. Primum enim finibus non demonstratis traditio tamen celebrari potest, ut tantum emptor possideat, quantum nullo contradicente a venditore in eum translatum sit. Sed cum hoc nimis sit infinitum, etiam post vacuae possessionis traditionem venditor ut fines ostendat, conveniri poterit; quem in sensum Scaevola quoque respondit, cuius verba ex lib. 2. Respons. (L. 48. D. de action. empt. et vend.) adscribam: *Titius heres Sempronii fundum Septicio vendidit ita: Fundus Sempronianus, quicquid Sempronii iuris fuit, erit tibi emptus tot nummis: vacuamque possessionem tradidit, neque fines eius demonstravit: Quaeritur, an empti iudicio cogendus sit ostendere ex instrumentis hereditariis, quid iuris defunctus habuerit, et fines ostendere? Respondi, id ex ea scriptura praestandum, quod sensisse intelliguntur: Quod si non appareat, debere venditorem et instrumenta fundi et fines ostendere: hoc etenim contractui bonae fidei consonat.* Per contrarium etiam ante vacuam possessionem traditam fines ostendi possunt, velut si antequam contractus perficeretur, venditor cum emptore fines agri circuierit. Plerumque tamen utrumque una fiebat, quemadmodum cognosci potest ex hac actorum donationis Ravennae circa annum 489. p. Ch. n. celebratorum parte (Spangenberg. Iur. Rom. Tab. Negot. sollemn. p. 171.). *Et cum hodie ambulassent et pervenissent ad singula praedia, atque introissent . . . . . 22 . . . m et inquilinos, sive servos, et circuissent omnes fines, terminos, agros arbos cultos vel incultos seu . . . 4 . . . et traditio corporalis celebrata fuisset Actoribus Pieri v. i., nulla* (nullo) *contradicente, et alio die ad civitatem reversi fuissent* etc. Ad quem

locum non erat, quod animadverteret vir doctissimus, satis fuisse, si introiissent, conferre lectorem iubens L. 3. §. 1. D. de acquir. poss. Sed idem quoque (quod obiter) *arbos* (arvos) male interpretatur *campos, fundos*, cum ad *agros* pertineat et adiectivi vice fungatur: Isidor. Orig. 15, 13. *Omnis autem ager, ut Varro docet, quadrifarius dividitur. Aut enim arvus est ager, id est sationalis: aut consitus, id est aptus arboribus: aut pascuus* etc. Plaut. Truc. I, 2. v. 47. *Non arvus hic sed pascuus est ager.* Finium autem demonstrationem cum possessionis traditione coniunxisse etiam videtur P. Fabius, cum fundum Claudianum Acerronio vendidisset: certe sic rem narrat Cicero §. 19.: *illis absentibus fines Acerronio demonstravit: neque tamen hanc centuriam populianam vacuam tradidit.* Qui locus etiam ostendit, etiamsi cum finium demonstratione traditio simul perficiatur, non tamen utique etiam vacuam possessionem traditam esse. Quam ob caussam in omnibus gestis traditionum ex antiquitate servatis adscriptum invenimus: *nullo contradicente* traditum esse, quod nunc fere insuper haberi solet (cf. apud Spangenberg. l. c. p. 242. 258.).

Quod autem dixi, ad fines demonstrandos venditorem obligatum esse, et ipsius contractus natura ostendit et confirmat Scaevolae responsum, quod supra laudavi. Sed videamus, ne huic intercedat Iavolenus, qui lib. 7. ex Cassio (L. 63. §. 1. D. de contrah. empt.) scribit: *Demonstratione fundi facta, fines nominari supervacuum est: si nominentur, etiam ipsum venditorem nominare oportet, si forte alium agrum confinem possideat.* Quo loco, si fundus demonstratus sit, finium demonstrationem supervacuam videtur putare. At vereor, ne nulla omnino apta sententia ex his verbis

elici possit. Nam si demonstratione fundi idem quod finium demonstratione significari ponimus, qui sensus sane verbis aptissimus videtur, non intelligo, quo agri demonstratio differat a finium nominatione. Sin vero illud dixisse Iavolenus putetur, generali fundi demonstratione facta, velut, *Qui est ex porta Esquilina euntibus ad dextram*, aut, *Qui Gaas appellatur*, fines demonstrari supervacuum esse, omnem finium demonstrationem tollit, siquidem de finibus demonstrandis tunc omnino primum quaeratur, ubi in universum de fundi, qui venierit, partibus convenit. Praeterea cum fines nomina non habeant, etiam dubito, an *nominari* fines dici possint; quo pacto vero posterior istius sententiae pars priori congruat, plane ignoro. Sed, ne diutius lectorem morer, omnes difficultates expediuntur, si illa verba: *facta fines*, non dicam corrigamus, sed rectius legamus, sic scilicet: *facta, affines*. Nam Haloandro legenti *confines*, dubito an ullus codex suffragetur. Sic vero nascitur sententia elegantissima: fines demonstrare venditor cogitur, adfines nominare non cogitur; ad rem enim venditam designandam fines demonstrati sufficiunt; et quamvis emptoris intersit scire, qui vicini eius sint, tamen hoc nomine venditor nihil praestabit; nam cum fundi dominos invito quoque adfini mutent, mali vicini similiter naturale fundorum incommodum sunt, uti servitutes et fines perturbati. Duobus duntaxat in casibus venditor hoc nomine obligabitur, primum si adfines nominari convenit, quo casu, ut Iavolenus hic recte notat, se ipsum quoque, si confinem agrum habeat, venditorem nominare oportet; praeterea, si malum vicinum sciens celavit, de quo Gaius L. 35. §. 8. D. de contrah. empt. videndus est. Fidem enim servari oportet. — Ceterum adfinium appellationem pro-

priam esse in agris vicinorum, quod Cuiacium in explicatione L. 12. D. Fin. regund. (ad Paull. Resp. lib. III. Tom. VI. p. 319.) latuisse videtur, nisi aliunde sciremus (cf. Brisson. v. *adfines*), ex Obligatione, quae appellatur, praediorum, quae in agro Velleiate reperta est, discere possemus, ubi cum aut convenisset adfines adscribi, aut etiam, quia Imperatoris tabulario hoc aes inferendum erat, ita fieri oportebat (cf. Hygin. ap. Goes. p. 193.) praediorum adfines sexcenties et nunquam nisi hoc nomine nuncupantur. Ex hoc monumento etiam illustrari potest, quod Iavolenus ait, se ipsum quoque, si adfinis sit, nominare venditorem oportere. Namque segm. 5. cuiusdam M. Antonii Prisci praedia sic designantur: — *obligare fundos Antonianum et Cornelianum qui sunt in Velleiate pago Albense, vico Seceniae, adf. Antonia Vera et se ipso quos professus est* etc.

EXCURSUS V.

[Ad Orat. pro Tull. §. 17.]

DE

PROBABILI PROCURATORUM ORIGINE.

De procuratorum origine anquisiturus praemoneo, hanc quaestionem nihil habere commune cum mandatis et mandatorum executoribus; alioqui sane, cum mandata iuris gentium sint et ius gentium cum ipso humano genere natum, valde absurda foret mea quaestio. Sed plurimum interest

inter eum, qui mandatum suscipit et procuratorem. Mandati susceptor, ut quicunque alius negotiorum alienorum gestor, ex contractu obligatur; procurator vice domini est; procurator quidem non est nisi ex mandato; sed non omnis, cui mandatur, procurator est. Fidem enim servare et promissis stare gentium iuris est et naturalem obligationem generat; alterum vero pro altero censeri, longe a naturali veritate deflectit et iuri civili debetur. Hac praescriptione munito iam quaerere licebit: quando coeperint Romani procuratoribus uti?

Antiquissimum ius civile unumquemque patremfamilias ipsum sibi sua negotia gerere voluit. Quod qui non valerent, pupilli, feminae, insani, prodigi et si quos alios praetoria iurisdictio deinde addidit, iis vel tutores vel curatores, lege, testamento, a magistratu datos praeesse iussit ita, ut eius, qui ipse se suasque res tueri et curare non posset, vice et loco domini censerentur (Gai. 2,64. L. 27. D. de adm. et peric. L. 7. §. 3. D. Pro empt. L. 11. §. 7. D. Quod vi aut clam. L. 56. §. 4. D. de furt. L. 157. pr. D. de R. I.). Neque hoc rationi adversabatur. Nam et leges ei, qui ipse sibi non poterat, consulere rectum erat, et cum ipsis alienandi facultas non esset, eam quo minus alii haberent, nihil impediebat. Sed hoc utrumque in patrefamilias bonae frugi et sanae mentis diversum erat: de cuius familia, cum ipse sui bonorumque suorum compos esset, publice aliquid scisci non modo inelegans sed invidiosum fuisset; ipse autem negotiis suis aliquem praeponens, efficere tamen, quamvis maxime cuperet, non poterat, ut contra verum is domini loco in iis rebus censeretur, quae dominum suum haberent. Tametsi enim eiusmodi vicarius si litem fortasse domini nomine intentaret, quo casu praecipue an quis domini loco esset, quae-

rebatur, rem, si revera ei mandatum erat, in iudicium deducebat (nam consensu suo ipse dominus egisse et alienasse videbatur), tamen, quoniam id ipsum an dominus mandasset, incertum erat, iudicium cum illo vicario accipere nemo cogi poterat. Similiter etiam in ceteris rebus quae iuris sunt et alienationem continent, velut in solutionibus accipiendis, rebus corporalibus vel incorporalibus deminuendis. Nihilominus dominis negotiorum multitudine oppressis vel etiam absentibus peroptato interdum erat, ut haberent, qui certe molestissima negotiorum parte, hoc est, litibus eos relevarent easque ipsorum nomine peragerent. Quorum necessitati primum subventum est cognitoribus repertis, qui cum coram adversario certis verbis in litem substituerentur, dubium non erat, quin rem semper in iudicium deducerent. Neque enim nunc obscurum erat, dominum eam rem eis commisisse, neque postea mandatum solenniter celebratum nuda domini voluntate revocari poterat (cf. Fragm. iur. Rom. Vatic. §.333.). Ex hoc autem simul apparet, cognitores non ex eodem genere fuisse cum tutoribus et curatoribus. Cognitore enim dato adversarius magis cum ipso domino litem contestatus esse videbatur, opera duntaxat aliena interveniente; si vero tutor vel curator agebat, hi magis alienam rem ut suam persequebantur: ambo igitur domini quidem loco erant, sed uterque diverso modo; cognitor videlicet, quia eadem quasi cum domino persona erat, tutor et curator vero, quia domini res propria ipsorum esse videbatur. Quapropter etiam, si cum cognitore agebatur, dominum, si cum tutore vel curatore, ipsum tutorem vel curatorem satisdare oportebat (Gai. 4, 101.). Praeterea maxima differentia in hoc versabatur, quod cognitores non nisi ad lites dare licebat, tu-

tores et curatores universa bona administrabant. Ergo cognitoribus inductis nondum imminutum erat illud iuris praeceptum, quod patrimonio eorum, qui ipsi suarum rerum gerendarum potestatem haberent, alteros quasi dominos poni vetabat.

Hoc vero factum est procuratoribus adinventis. Quorum ipsum nomen intuentem latere non potest, (nec latuit Isidor. Orig. 9, 4.), similiter hoc effictum esse ex *pro* et *curatore*, ac *proconsulis* et *propraetoris* nomina nata sunt ex *pro consule* et *pro praetore*. Hoc vero suspicionem movet, eandem forsitan rationem ab initio intercessisse inter procuratores et curatores, quae fuerit inter consules et proconsules. De quo ut sententiam meam lectori aperiam, paucula praemittenda sunt. Ex universa rei Romanae historia cognoscitur, Romanos terram Italiam (sic enim non sine caussa appellabant) a ceteris orbis partibus, quibus imperabant, per omnia fere iuris momenta distinxisse, quae si quis una inspectione comprehendere velit, dicere possit, Italiam Romanis verum reip. suae territorium, civitatis, quatenus in solo est, velut vivum vigensque corpus visum esse, populi non domicilium sed possessiones, reip. non partes sed viciniam domitam prudentissime habuisse. Et hoc non solum ad reip. statum sed etiam ad privatorum iura pertinuit. Etenim extra Italiam neque resp. videbatur a suis magistratibus geri, neque privati, qui trans mare Alpesve profecti erant, suis domi rebus superesse. Itaque sicut contra vetus institutum sensim placuit, provincias transmarinas non a praetoribus et consulibus, sed ab eorum vicariis, propraetoribus et proconsulibus administrari, ita nunc receptum est, ut qui peregre profecti essent, procuratores relinquere domi possent. Itaque (ut hoc ad vivum resecemus) prima illa syllaba in proconsulibus et pro-

curatoribus significat, proprie non esse hos consules vel curatores, quippe rei vel publicae vel privatae, quae suum administratorem iam habeat, alter administrator esse non possit; sed tamen utilitatis caussa ita acceptum esse, quasi extra Italiam absentes suarum rerum impotes essent, ideoque similiter sibi procuratorem (proconsulem) nominare posse, ac furiosis et aliis personis lege curator detur. Attamen praeter eos, qui in Italia non essent, iis quoque, qui reip. caussa abessent, quoniam his necessitas caussa absentiae foret (L. 36. D. Ex quib. causs. mai.), procuratores relinquere concessum est. Quod utrum prius an posterius factum sit, difficile quidem est dictu; utrumque vero vel lege aliqua cautum, vel usu longinquo, qui pro lege observaretur, obtentum esse, cum aliis argumentis probabile est, tum testatum fieri videtur hoc Ciceronis loco, qui omnino id quod adhuc de procuratoribus diximus, egregie confirmat. Pro Caec. 20. *Quid ergo? Isti homines latine non loquuntur? immo vero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam voluntatem: cum sibi hoc proposuerint, ut sive tu me deieceris, sive tuorum quispiam, sive servorum, sive amicorum, ut servos non numero distinguant, sed appellent uno familiae nomine: de liberis autem quisquis est, procuratoris nomine appellatur: non quo omnes sint aut appellentur procuratores, qui negotii nostri aliquid gerant: sed in hac re, cognita sententia edicti verba subtiliter exquiri omnia noluerunt. Non enim alia causa est aequitatis in uno servo et in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator deiecerit, is qui legitime procurator dicitur, omnium rerum eius, qui in Italia non sit, absitve reipublicae causa, quasi quidam*

puene dominus, hoc est, alieni iuris vicarius: an tuus colonus, aut vicinus, aut cliens, aut libertus, aut quivis, qui illam vim deiectionemque tuo rogatu aut tuo nomine fecerit. Posthaec igitur procurator constitutus perinde domini loco erat, ac curator vel tutor, quamobrem etiam omnes iudicium cum eo domini nomine accipere cogebantur, neque eum, qui procuratorem reliquerat, si is modo boni viri arbitratu defendebat, defensum non esse queri poterant. Propter incertum tamen mandati, procuratorem agentem semper satisdare, rem ratam dominum habiturum, oportebat (Tit. D. Ratam rem. Gai. 4, 98.).

Ex hac procuratorum prima indole complura huius doctrinae capita illustrantur, ex quibus nonnulla afferamus. Primum ex ea intelligitur, quare procuratio sicut tutela et cura publicum et virile munus habitum sit, a quo multae personae repellerentur. Deinde apparet, quid sit illud, quod Ulpianus ex Pomponii lib. 24. ad Edictum refert (L. 1. §. 1. D. de procurat.), quosdam non putavisse, unius rei mandatum suscipientem procuratorem esse; sicuti ne is quidem, qui rem vel epistolam vel nuncium perferendum susceperit, proprie procurator appelletur. Ipse tamen arbitratur, etiam eum procuratorem esse, qui ad unam rem datus sit. Caussa enim dubitandi fuit, quod sicut curatores duntaxat iis dantur, qui omnibus rebus suis superesse non possunt, etiam procuratores tantummodo omnium rerum admitti debeant. Et sane contra rationem foret, in uno negotio quempiam domini loco censeri, qui in toto patrimonio non sit, cum dominus esse nequeat, nisi pater*familias.* Nihilominus recte recepta est communis sententia. Nam etiam curationes et tutelae (ut imperia taceam) sic dantur, ut ab una re gesta finiantur (Gai. 1, 184. Ulp. 21, 24.

L. 21. §. 2. D. de excusatt. §. 3. I. de auctor. tut. §. 2. I. de curator.). Et hoc ita procedit, ut patris*familias* quidem loco sint, sed, ceteris rebus detractis, hoc unum eis negotium relictum esse videatur: quo exemplo etiam adversus minimae rei possessorem hereditatis petitio utilis est, et exheredatus filius non videtur, qui in una re heres institutus est. Porro hinc intelligitur, procuratoris vim ac potestatem non in hoc proprie fuisse, quod mandatum haberet, sed in hoc, quod pro absente domino quasi vicarius eius interveniret. Unde eorum sententiam probo, qui, teste Gaio 4, 84. eum quoque procuratorem videri existimarunt, cui mandatum non sit, si modo bona fide ad negotium accedat, et caveat, dominum rem ratam habiturum; igitur etsi non habeat mandatum, agere tamen posse, quia saepe mandatum exordio litis in obscuro sit et postea apud iudicem ostendatur. Quod tametsi postea displicuit (L. 24. C. de procurat.), nunc tamen hoc fere iure utimur.

Postremo ex his, quae dixi, illustratur, quamobrem procuratorum nomen, ut Cicero quoque significat (pro Caec. l. c.), tam varie acceptum sit, et qua ratione potestas ac ius eorum post tantopere immutatum sit. Sine dubio Romani negotia longinqua iam diu amicis vel clientibus commendare soliti erant, cum quibus quasi cum ipsis dominis plerique negotia gerere, interposita de rato cautione, non dubitaverant. Saepissime vero hoc factitatum puto in fundis procul ab urbe sitis, in quibus, quae facti erant, villicus, quae iuris, procurator vel actor (L. 16. C. de procurat. Colum. 1, 6. 7.) administrabat. Cf. Heinrichius ad orat. pro Tullio §. 17. Sed totum hoc genus procuratorum, quamvis legitime hoc nomen non gereret, neque iudicium ab iis institutum quisquam accipere cogeretur, neque in his,

quae publice celebrarentur, velut in censu profitendo, dominorum vice admitterentur, tamen frequenti usu effecit, ut etiam in leges et edicta reciperetur, eorumque sententia propter duplicem procuratorum significationem interdum anceps redderetur. Sed in interdictis de vi et similibus iudiciis, in quibus non de iusta sed illicita procuratoris actione quaeritur, sine dubio verum est, quod Cicero asserit, non iustum ac legitimum sed quotidianum istum accipiendum esse procuratorem; qua in sententia etiam Neratius et Ulpianus fuerunt (L. 25. §. 3. L. 31. §. 14. D. de aedilit. edict.). Sed de isto legitimo procuratorum genere, de quibus longum praetoris edictum scriptum fuit, valde quidem obscurum est, quando etiam iis, qui in Italia essent, immo praesentibus quoque (Fragm. iur. Rom. Vatic. §§. 317. 326. 331. 333. L. 5-7. L. 65. D. de procurat.), tales procuratores constituere permissum fuerit; illud vero apparet, posteaquam ingens civium Romanorum multitudo per omnes provincias diffundi, et Italiae privilegia cum ceteris imperii Romani partibus paullatim communicari coeperant, ut iam inter provincias et illa civitatis incunabula non multum interesset; priscam illam procuratorum circumscriptionem tanquam obsoletam lege aut edicto et longa consuetudine abrogatam esse.

COMMENTATIONES

DE

TIBULLIO ET PROPERTIO.

I.

DE NYMPHIS ET PUELLIS PERSONATIS.

[AD TIBULLI ELEGIARUM LIBRUM TERTIUM.]

Omnibus fere, qui nostra aetate, nec paucis eorum, qui patrum nostrorum memoria Tibulli carmina ediderunt, in prima statim libri tertii Elegia sive Epistola offensioni fuit Nympha, quo titulo Lygdamus per Musas salvere iubet Neaeram v. 21.

Sed primum Nympham longa donate salute:

cumque in libris quibusdam huic nomini vel adscriptum vel substitutum viderent vocabulum meritam, hoc illi sufficere, duce praesertim Scaligero, haud dubitarunt. Qui si meminissent, posse fieri, ut, quod in proverbio est, nubem pro Iunone amplectantur, profecto manum a Nympha abstinuissent. Nunc vocem in contextum intulerunt mendosam et eam adeo, si in integrum restituatur, ne metro quidem convenientem. Non enim meritam adscripsit ille, quicunque fuit, certe vetustus grammaticus, sed maritam. [1]) Qua de re neminem

1) Vetustum dico Grammaticum, huius interpretationis auctorem, cum alias ob causas tum propterea, quod credibile est, maritam eius, metro contrariam, procreasse omnia illa, quae Heynius dicit, lectionis monstra marathum, myrcum, meritum etc. inania verba, maritae substituta a librariis, ut saltem versus constaret. Paullo quidem reliquis doctior fuit, qui substituit meritam. Sed hanc quoque Meritam, si Vossio credis, absolute positam, cum Tenera, Germana eius sorore, quam idem intulit in huius Elegiae vs. 14. abire iubemus illuc, unde negant redire quemquam.

in posterum dubitaturum esse arbitror. Audiatur tamen Servius ad Virgil. VIII, Aen. 336.

Carmentis Nymphae monita et deus auctor Apollo.

Carmentis Nymphae] matris Evandri. — Nymphae autem maritae dicit. nam Graece sponsa νύμφη dicitur. Haec autem non vere Nympha fuit sed vaticinatrix. Sic Servius. Burmannus edidit: nam Graece νύμφη, Latine sponsa dicitur. Quae inconcinna est lectio et haud dubie falsa, repetita, si quid video, e libris interpolatis, quibus adversantur complures optimae notae codices, quos laudat Burmannus ipse, et Editio princeps, quae servatur in bibliotheca Rostochiensi. Recte. Non enim Latini sponsas dicunt Nymphas, sed Graeci, quamquam hi etiam, sicut illi, interdum maritas, in primis Homerus, quem sequitur Ovidius in Epistolis. At obstat, inquit, Forcellinus. Audio. Sed hunc, ad quem nuper in hac causa remissus sum, qui locum de Nympha satis molli brachio tractavit, neque vero, quid in voce meritam lateret, magis intellexit, quam Scaliger — Vossius, Wunderlichius, Bachius: hunc igitur cum annotatione sua, significationem illam nymphae pro marita Graecis relinquendam esse, donec certior Latina auctoritas appareat, nunc etiam missum facio. Vel fabula de Numa et Egeria docet, significationem illam Romanis familiarem ac quasi domesticam fuisse. Hinc Egeriam Nympham et Livius I, 21. dicit Numae coniugem et Ovidius III. Fastt. 262. scribit:

Nympha, Numae coniux, ad tua facta veni.

Ib. vs. 276.

Illa Numae coniux consiliumque fuit.

Accedunt inscriptiones. Lapis apud Gruterum p. CCXXVIII. n. 1.

DIVO. AVG. SACRVM
C. PONTIVS C. Ɔ. L
CHRESTVS
PERELIA. A. Ɔ. L
NYMPHE
PRO. FILIIS. SVIS
A. PEREL. V. M. NYMP
V. S. L. M.

Pag. DCXVIII. n. 4.

DIS. MANIBVS
N. SATRI
AVGVSTALIS
SATRIA
NYMPHE
VERNAE. SVO
CARISSIMO
VIX. ANN. XXII
M. I. DIEB. IIII.

P. MCXII, n. 10.

CINNAMVS
T. CAESARIS. AVG
PEDISEQVVS
NYMPHAE. CONIVGI
FECIT

Ubi mirationem facit Nymphae et Coniugis coniunctio. Insolitam etiam Nymphae, tamquam praenominis, positionem offert lapis p. DCCXCIII. n. 4.

DIS. MANIBVS
NYMPHAE. IVLIAE. MELLIFL.
BENEMERENTI. DE. FRATR. SVI
CONIVGE —

Sed res ipsa hoc perinde atque illo scribendi genere confirmatur. Inde est, quod Acro ad Horatii I, Carm. 4, 5.

Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes,

ita scribit: per Nymphas mulieres intelligi voluit, per Gratias virgines. Ergo grammaticus ille Tibullianus, qui Nympham recte interpretatur maritam, in ea fuit opinione, quam postea professus est Muretus, agi in his carminibus de coniugio Lygdami et Neaerae, inito illo quidem sed qualicunque de causa mox interrupto. Quod coniugium cuius fuerit generis, manifesto apparet e vs. 23.

Haec tibi vir quondam nunc frater, casta Neaera,
Mittit et accipias munera parva rogat:
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniux sive futura soror.

Unde recte colligit Muretus, Lygdamum cum Neaera non modo coniugii sed etiam cognationis vinculo fuisse coniunctum et eo quidem tali, quali coniunctus fuit, ut hoc in primis exemplo utar, M. Antonius cum patrui sui, C. Antonii, filia, post eiecta. De qua re Cicero Phil. II, 38. ita scribit: „Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. Filiam eius, sororem tuam, eiecisti, alia conditione quaesita et ante perspecta.“ Ubi Lambinus perperam corrigit, uxorem tuam. Pergit enim Cicero, „Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam feminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu Kalendis Ian. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses.“ Plura exempla congessit Perizonius Anim. Hist. c. III, p. 107, et seqq. monente Garatonio, quem vide, si tanti est. Nam, quod scribit Ernestius ad Suetonii Calig. c. 25. constat hodie etiam inter tirones. At, inquit, „qui maritus

olim fuerat Neaerae: damus enim aliquantisper et concedimus Mureto illud commentum: idem maritus eodem tempore nonne etiam fuit frater?" Fuit, sed potius coniux, quod ipse scribit Tibullus. „Quo pacto igitur vir quondam, nunc frater dici poterat?" Nimirum quia virum eundemque fratrem dereliquerat uxor eademque soror. Aufugiente autem sorore solus remanebat frater. „Aut quomodo Neaera, quae nupta, simul et uxor fuerat et soror, nunc dicatur (v. 26.) futura soror?" Atqui eadem ibidem dicitur futura coniux, si nimirum exorari se passa fuisset, quod cummaxime optabat Lygdamus, ut ad maritum rediret. Sin minus, nihil illi reliqui erat, nisi nomen sororis, ut in simili causa scribit Seneca, Iunonem ita quiritantem inducens Herc. Fur. I.

Soror Tonantis — hoc enim solum mihi [2])
Nomen relictum est — semper alienum Iovem
Ac templa summi vidua deserui aetheris,
Locumque coelo pulsa pellicibus dedi.

2) Hinc Iuno, Iovis simul soror et coniux, ipsa ei dicitur esse *διπλοῦν ὄνομα φύσεως καὶ συμβιώσεως* apud Heracl. Alleg. Homer. p. 438. ed. Gal. De hoc matrimonii genere Scholiastae Ambrosiani B. Q. nuper editi sic scribunt ad Odyss. *κ*, 7. *Ἀρχαῖον ἔθος τὸ συνοικίζειν ἀδελφούς. καὶ ὁ Ζεὺς ἀδελφῇ οὔσῃ συνοικεῖ τῇ Ἥρᾳ. μεγίστη γὰρ εὐδαιμονία καθ' Ὅμηρον ἡ ὁμοφροσύνη.* (Od. *ζ*. 180-183.) *ὅταν οὐκ τῷ τῆς συνοικήσεως ἐπιτερπεῖ προςυπάρχοντι* (fort. *προςυπάρχον ᾖ τι* vel *τὸ*) *φυσικὸν φιλοστοργίας πάθος ἐκ γένους καὶ συναναστροφῆς παιδικῆς, διπλασιάζεται εὔνοια.* In quo scholio Buttmannus praef. p. XIII. agnoscit hominem Alexandrinum regibus suis adulantem. Quod equidem nec negare nec affirmare ausim. Hoc scio, eum qui Scholion confecit, hominem fuisse doctum, qui illud genus connubii inter deos deasque, iisdem parentibus ortos, solemne,

Eodemque modo Octavia, Claudii filia, nupta Neroni sed repudiata, viduam se et tantum sororem dicit apud Tacitum XIV. Ann. c. 64.

Relinquamus igitur eiusmodi quaestiones Eichstadio, qui sensum poeticum habet, et progrediamur ad Spohnium. Hic unam eandemque puellam esse ait Neaeram et Deliam. At hoc ne minimam quidem habet probabilitatem, si vera est illa, quam supra proposui, Nymphae interpretatio, suppeditata a veteri Grammatico. Nunquam enim matrimonium iniit cum Delia Tibullus nec, quod sciam, inire voluit Eques cum libertina. Enimvero Delia non est libertina. Hoc volebam. Sed audiamus Tibullum I, 6, 67.

non minus cognitum haberet, quam quod obtinuit apud Graecos inter fratres sororesque germanas, eodem tantum patre natas. Quo commemorato, At id quidem, ait Corn. Nepos, nostris moribus nefas habetur: — non illud, de quo agitur apud Tibullum. Caeterum Senecae loco uti poterat Bentleius ad expediendum locum Horatii, satis impeditum, III. Carm. 27, 33. de Europa:

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater o relictum
Filiae nomen, pietasque, dixit,
Victa furore!

Ubi Bentleius duplicem iniit interpretationis viam, quarum altera ad genitivum, altera ad dativum Filiae ducebat. Tertiam si inisset viam, qua quaeri poterat, relictum essetne forsitan positum pro reliquum, sicut apud Senecam et Plautum Mercat. III, 4, 81.

Nam mihi nihil relicti quicquam aliud iam esse intelligo:

dubitare profecto non poterat, quin Filiae sit dativus. Et haec vera videtur ratio. Pater enim pietasque quid aliud est, quam pietas erga patrem? Hanc sane non reliquerat Europa, sed domi victam furore secum attulerat in Cretam. Hoc solum illi nomen relictum erat. Prorsus autem abiicienda est lectio codicis Vigorn. O pater, O relictum etc. Nam filiae nomen quo tandem modo reliquerit Europa? Hoc nimirum foret, se ipsam.

Sit modo casta, doce: quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Hunc locum primus omnium Bauerus retulisse fertur ad virgines Vestales, quae vitta et stola longa uti solebant. Atqui diu ante Bauerum idem fecit Cyllenius 3) sed cautior illo addidit matronas, scribens sic: „Sacerdotum integritatem tangit et matronarum pudicitiam. quippe sacerdotes capillos suos vitta purissima obligabant. Iuvenalis Crispino (IV, 9.) Cum quo nuper vittata iacebat. Matronae vero stola utebantur. id autem erat indumentum ad talos. Utrumque hoc Ovidius de arte amandi (vs. 31.) complexus est:

Este procul vittae tenues, insigne pudoris,
Quaeque tegis medios instita longa pedes.

Namque instita, ut Acron I, Sermonum testis est, fuit tenuis fasciola, quae et praetexta dicitur, quae stolae unam (leg. imam) partem ambit. Horatius:

Quarum subsuta talos tegit instita veste.“

Eandem cautionem adhibet Spohnius, locum Tibulli (De T. Vit. et Carm. Disput. p. 42.) ita explicans: Fac modo, cara mater, ut filia minus peccet, quamvis non nimis pudica sit; atque ut minus saltem aliorum amore capiatur, etiamsi castos matronae pudicae virginisque Vestalis mores non imitetur.“ Sed nego equidem, virgines Vestales hic recte inferri. Nam maritam, qualis nunc est Delia, quacum ille caput satis lima-

3) Sicut diu ante Vulpium Ayrmannus de vita Tibulli et Messalae Viteb. 1719. § 64. animadverterat, Neaeram plane ab Albii amore alienam fuisse puellam. Utrumque ignorabat censor Spohnii Schützio-Erschianus (A. L. Z. ann. 1825. n. 131, seqq.) de plagio, quod nullum est, more suo blaterans p. 213. deinde expromens aliquid, quod suum est, de syllabarum in nominibus fictis pro veris quantitate, p. 234. seqq. Quam fictionem infra in quadrum numerumque redigemus.

verat, cum virgine, praesertim Vestali, propter castitatem comparare ineptum et a consuetudine Latina prorsus alienum est. Gallis hanc, Philodemus ait, si verba illa in hanc partem detorquere licet. Galli enim, qui nomen Vestalium a Romanis acceperant, quum rem ipsam non haberent, quae illi nomini vel ordini adiuncta est notio secundaria, primariam fecerunt et omnes feminas castas dixerunt Vestales; plane ut libertinos dicunt non homines a domino dimissos sed eos, qui, sicut illi, liberiori vitae generi se dedunt ac, data licentia vivendi, omnes sibi fenestras ad nequitiem patefactas putant. Hoc satis comprobavi in margine. 4)

4) Notissimae sunt eaedemque frequentissimae Gallorum formulae: elle fait la Vestale; elle se donne pour Vestale. Quo translato scribendi genere nemo, si memini, Romanorum utitur. Gallico igitur non Latino sensu locum Tibulli, quamvis non vitta ligatos — pedes, interpretatur Spohnius ita: quamvis non nimis pudica sit; etiamsi virginis Vestalis mores non imitetur. Hoc est ad verbum: quoiqu' elle ne se pique pas d' être Vestale. Perperam. Illud nihil peregrini habet, etiamsi matronae pudicae mores non imitetur. Hoc voluit Tibullus. Iam quod Vestalibus, idem accidit Libertinis in Gallia: immo aliquid amplius. Nam Galli adeo libertinitatem non modo ad mores referunt, sed etiam ad litterarum studia. Quae si quis leviter tractat ac dissolute, dicere solent: il y a trop de libertinage dans ses études. Hoc prorsus abludit a Latinitatis ingenio. Accedit quodam modo licentia. At haec, si ad litterarum studia refertur, in partem optimam, illa Gallorum libertinitas, ut dixi, in pessimam accipitur. Testis non longe quaerendus est. Nam Grammaticus, qui Vitam Tibulli composuit, qua antiquiorem non habemus, sic scribit:

Albius Tibullus, Eques Romanus, insignis forma cultuque corporis observabilis, ante alios Corvinum Messalam oratorem dilexit, cuius et contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus est. Hic multorum iudicio, maxime Quintiliani, viri in studio litterarum acerrimae licentiae, inter Elegiographos summum obtinet locum etc.

Rectius igitur maritam dissolutam, moribus et origine libertinam, cum matrona pudica comparaverit Tibullus, quam cum virgine Vestali. Hanc interpretationem confirmat imitatio Ovidii Ep. ex Pont. III, 3, 49. (apud Spohnium p. 41.) confirmant ii, qui stolatum pudorem pro matronali ponunt, ut Martial. I, ep. 36. atque adeo stolam simpliciter pro matrona, ut Statius I, Silv. 2, 235. confirmat quodam modo etiam Caligula, qui Liviam, proaviam suam Sueton. c. 23. stolatum Ulyssem dicebat, intelligens non tam vafram et astutam, quod interpretes putant, quam ignobilem matronam, quasi materno avo, quod Suetonius ipse addit, Decurione Fundano ortam; sicut Graeci, in primis Sophocles, Ulyssi exprobrabant originem furtivam et inhonestam, e clandestino Sisyphi cum Anticlea concubitu repetendam, Ai. vs. 190. Philoct. vs. 384, et 417. Quod attinet ad nobilitatem Deliae, clamant mores eius cum gemmis annulisque, quorum magnam partem haud dubie Tibullo ipsi debebat, referendam eam esse ad equestrem quidem ordinem, sed medium illum feminarum,

Haec illa locutio est, quam supra p. 53. dixi paullo quidem esse insolentiorem sed eam tamen bene Latinam. Ea viris doctis offensioni fuit tantum non omnibus. Ergo Ayrmannus sicut postea Burmannus, alii, licentiae substituunt diligentiae. Quid Vossius nostras? Hic vitae illi antiquitatem suam neutiquam denegat sed totum hunc locum, maxime Quintiliani, viri in studio litterarum acerrimae licentiae, suspectum habet et aliunde invectum additamentum. Mihi e contrario rara haec locutio prodere videtur scriptoris vetustatem. Nam plane ita scribit Gellius XV. 3. Praeterea vir acerrimae in studio litterarum licentiae M. Tullius non sola esse haec duo verba dixisset, si reperiri posset ullum tertium. — Ibi rursus editores corrigunt diligentiae, etiam scientiae, invito Gronovio, qui formulam probabiliter explicat.

quem lepidissime dicit Plinius H. N. XXXIII, 12: inter stolam plebemque, quibus mos erat, etiam pedibus aurum induere. Habeant, ait, illae feminae in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrant catenae circa latera et inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendeant, ut in somno quoque unionum conscientia adsit: etiamne pedibus induitur, atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem facit? 5)

Reliqua, quae huc pertinent, partim dictata circumferuntur, partim notata breviter sunt in Epistola ad Spohnium: 6) cui ut persuaderem, diversas esse puellas Deliam et Neaeram, opposui etiam in transcursu diversam syllabarum mensuram, qua alterum nomen ab altero distinguitur, non quo multum tribuerem huic argumento sed ut, quid de hac re statueret vir doctissimus, blande elicerem.

5) Hunc Plinii locum egregie illustrat Ferrarius de re vest. III, 17, p. 227. Quemadmodum in viris aurum in annulis distinguebat a Curia et a plebeio ordine Equites atque medium ordinem faciebat: ita in mulieribus aurum compede gestatum distinguebat libertinas tum a stola, id est, a matronis honestis, tum a plebe inope: itaque medium quemdam et veluti equestrem feminarum ordinem faciebat. Cave calceorum ornatum hinc colligas in feminis equestris ordinis hunc fuisse: non ea Plinii sententia est. nam equestris ordinis matronae et ipsae longa veste, hoc est, stola matronali usae. At Libertinae, quibusque Venus non impermissa, quum altius tunicas succingerent, ut ex Ovidio et aliis scriptoribus liquet, pedes circulis aureis cultos ostentabant. Hactenus Ferrarius. Qui quum scribebat, tum a plebe inope, ob oculos habebat, quod narrat Plinius ib. c. 54. Argentum succedit aliquando et auro, luxu feminarum plebis, compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat. Ubi vide Dalec. et Harduin.

6) Vide Ephem. Lips. a. 1825. num. 237.

Haec nimirum tralaticia observatio, primum prolata ab Acrone ad Horat. I, Serm. 2, 64. illustrata a Bentleio ad Horat. II, Carm. 12, 13. repetita a Fabricio Bibl. Lat. T. I. p. 434. Ern. a Burmanno ad Propertium p. 2. a Buttmanno in Commentatt. historico-philolog. Academiae Berol. a. 1814. p. 49. et, ut alios praeteream, a Weicherto in Comment. de Iarbita Timagenis aemulatore Grim. a. 1821. p. 9. haec igitur tralaticia observatio, nuper bis terve pro novo invento tradita, quum fugere Spohnium nullo modo potuerit, satis apparet, parum aut nihil ei tribuisse virum doctissimum cum Buttmanno p. 50. qui etsi rem agnoscit, recte tamen negat, perpetuam hanc fuisse poetarum huiuscemodi consuetudinem. Cui accedere videtur Apollinaris Sidonius II, Ep. 10. scribens: Reminiscere quod saepe versum Corinna cum Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Gaetulico, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. — Hic enim Corinnam eandem esse putabat atque Iuliam, ut patet e Carm. XXIII. vs. 160. nec diverso syllabarum numero ab hac sententia deduci se passus est. Sed apertius regulae illi adversatur Violantilla, Stellae amica postea uxor, quae Ianthis dicitur a Martiale VII, 14. Asteris a Statio I, Silv. 2, 197. quibus diversis nominibus, nec cum primitivo syllabarum numero nec inter se convenientibus, a Stella ipso celebrari illa vix potuit. Et hic quidem fontem in villa sua scaturientem uxoris item ficto nomine Ianthida appellasse fertur, quam rursus Martialis egregio figmento in Nympham et eam simul coniugem Stellae, tamquam alteram Egeriam, mutans, dominam Naïda vocat, quod non facturus fuisset, nisi Romani coniuges dixissent Nymphas. Hoc lepidum epigramma, VII, 15. cui, quae ad nominum permutationem pertinent,

commode subiungi possunt, hoc loco descripsi, sicut vulgo legitur:

Ad Arginum puerum Ianthidos.

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
  Et fugit ad dominam Naïada? numquid Hylas?
O bene quod sylva colitur Tirynthius ista,
  Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres.
  Nil facient Nymphae: ne velit ipse, cave.

Hic primum Arginus mutandus est in Argynnum, quod nomen sortitus est Stellae puer a puero Agamemnonis, in Cephiso dum natat, submerso, unde pendet lepos epigrammatis. Athenaeus XIII, p. 603. D. Ἀγαμέμνονά τε Ἀργύννου ἐρασθῆναι λόγος ἰδόντα ἐπὶ τῷ Κηφισῷ νηχόμενον· ἐν ᾧ καὶ τελευτήσαντα αὐτὸν — συνεχῶς γὰρ ἐν τῷ ποταμῷ τούτῳ ἀπελούετο — θάψας εἵσατο καὶ ἱερὸν αὐτόθι Ἀφροδίτης Ἀργυννίδος. Propertius III, 7, 21.

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Quae notat Argynni poena natantis aqua. 7)

More autem receptum erat apud Romanos, pueros puellasque eiusmodi, forma insignes, graecis mactare nominibus, qualia sunt Ianthis, Asteris vel Asteria — Delia — Cynthia — Glaphyre,

7) Ad quem Propertii locum Passeratius scribit: „Hanc fabulam Stephanus recitabat voce Κηφισσὸς, ut nos monet Parrhasius, qui Stephani integro codice usus est. nam vulgo ea parte mutilus circumfertur.“ Idem tradidit Nic. Lloydius ad Car. Stephani Dictionarium sub v. Argynnis, sed e commentario Passeratii ad Propertium, de cuius ille fide postea dubitabat, monente Pinedo in praefatione et ad locum operis interruptum p. 374. Sed Passeratius bona fide egisse videtur, mala, si forte, Parrhasius. Respice igitur, ut nunc est, Stephanum in v. Ἄργεννος, hoc est, ut litterarum ordo demonstrat, Ἄργυννος.

Glycera etc. De Ianthide, quam Stephanus non praeteriit in indice Thes. L. Gr. sub v. ἴανϑον (nunc in contextu ed. Lond. p. 91.) satis supra diximus. Ea Asteris quoque appellata, sed a nemine, quod sciam, nisi a Statio, quem ipsum auctorem esse huius denominationis existimo, Stellae sic magis quam Violantillae adulantem I, Silv. 2, 195. — 199, loco longe omnium ineptissimo. Haec consuetudo, nova de integro nomina imponendi huiuscemodi puellis, Graecis pariter familiaris ac Latinis, tam parum cognita erat Claud. Verderio, ut crederet, Stellam ipsum a Statio vocari Asterida, dummodo accurate de eo retulerit Vossius Instit. Rhet. V, 4, 3. qui tamen ipse non magis animadvertit quam Verderius cum caeteris interpretibus, hoc idem nomen tribui puellae ab Horatio, cuius notissimum est carmen ad Asterien, III, 7. Quod nomen non differt ab Asteride nisi forma, interdum tamen etiam significatione, caeterum promiscue ponitur et cum illo confunditur a scriptoribus quibusdam. Ἀστερὶς, insula maris Ionii prope Ithacam, commemoratur ab Homero, Od. δ. 846.

Ἀστερὶς οὐ μεγάλη· λιμένες δ' ἔνι ναύλοχοι αὐτῇ.

Hanc Ausonius convertit in Asteriam, Perioch. IV. Etiam Stephanus Byz. in v. Ἀστερία. — ἔστι καὶ νησίον Ἀστερία μεταξὺ Κεφαληνίας καὶ Ἰϑάκης. Ὅμηρος Ἀστερίδα ταύτην φησίν. Sed vetustiores Graeci distinguunt Ἀστερίδα et Ἀστερίαν, illo nomine designantes parvam, quam diximus, insulam inter Ithacam et Samum, hoc Cycladum mediam, longe celeberrimam, quam dicit Plinius IV, 22. Delum, de qua Callimachus in Hymno vs. 37.

Ἀστερίη τὸ παλαιὸν, ἐπεὶ βαϑὺν ἥλαο τάφρον,
οὐρανόϑεν φεύγουσα Διὸς γάμον, ἀστέρι ἴση.

Callimacho, dum scribebat hunc Hymnum, obversari debuit, certe ignotus esse non potuit Pindari Paean prosodius ad Delum, cuius duo supersunt fragmenta splendidissima, in quibus Asteria non legitur sed intelligitur ap. Boeckh. p. 587. *ἅντε βροτοὶ Δᾶλον κικλήσκουσιν, μάκαρες δ' ἐν Ὀλύμπῳ τηλέφατον κυανέας χθονὸς ἄστρον.*

Ergo non pro nihilo habenda sunt cognomina illa puellarum, quarum alteram Horatius Asterien, alteram Statius, diversa quidem forma sed eadem, credo, significatione, Asterida [8]) dixit, deri-

8) Dum quaero simile exemplum huiuscemodi varietatis in una voce vel in uno nomine, offert se mihi Pallas *Ἀκρία* eademque *Ἀκρὶς* in acropoli Argiva, quam laudat Müllerus in Prolegom. ad Mytholog. p. 311. Citatur ibi primum Pausanias II, 24, 4. Sed pace viri doctissimi dixerim, nulla hic comparet Pallas nec *Ἀκρία* nec *Ἀκρὶς*, sed *Ὀξυδερκής*, a Diomede consecrata propter opem, a Pallade ei latam ad Troiam Il. ε, 127. Nimirum Pausanias quatuor fana in acropoli illa, quae Larissa vocabatur, fuisse narrat 1) *τῆς Ἀκραίας Ἥρας·* 2) *τοῦ Δειραδιώτου Ἀπόλλωνος·* 3) *τῆς Ἀθηνᾶς Ὀξυδερκοῦς·* 4) *τοῦ Διὸς Λαρισσαίου.* Ex quo consequitur, Acrisium non sepultum fuisse in fano Palladis *Ἀκρίας*, quae ibi nulla fuit, sed Palladis, si forte, *Ὀξυδερκοῦς.* Sed hoc universe quaeritur, utrum ille in Larissa, arce Argiva, sepultus fuerit, quae Mülleri sententia est, an in Larissae urbis arce, ubi periit; quod Welckerus ponit in Trilog. Aeschyl. p. 387. laudans Clem. Alexandr. Protrept. p. 29. Sylb. ubi rursus nulla est Pallas *Ἀκρία*, quam ille item commemorat. Nimirum Clemens sic scribit: *ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει, τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου.* Hoc Arnobius VI, 6. (quem locum Müllerus, vir humanissimus, exemplari, quod muneri mihi misit, ipse adscripsit) ita latine convertit: In templo rursus eiusdem (Minervae) quod in arce Larissae est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius. Ubi Barthius ad Stat. Theb. I, 382. legendum

vanda illa ab insula, quae tamquam stella inter minores insulas in mari Aegaeo micat, vel potius a Coei filia, Latonae sorore, unde insula Delus Asteriae nomen accepisse fingitur, more in omni dominante mythologia Graecorum, ubi sermo est de conditis condendisve insulis et urbibus. Apollodor. I, 4, 1. Hanc autem puellam proxima cognatione attingit, quam supra statim Asteriae adiunxi, Delia Tibulli: unde deducendum nomen? A

censet, in arce Larissa. Probabiliter. Clemens certe aliter intelligi, si quid video, noluit, nisi forte verba, ἐν τῇ ἀκροπόλει, quae Λαρίσσῃ languide apponuntur, ab aliena manu invecta sunt. Quibus eiectis vel omissis ambiguum foret, intellexeritne Clemens arcem Argivam an urbem Thessaliae. At nondum inventa est Pallas Ἀκρία. Eam scilicet suppedidat Hesychius in v. Ἀκρία. ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Ἄργει, ἐπί τινος ἄκρας ἱδρυμένη, ἀφ' ἧς καὶ Ἀκρίσιος ὠνομάσθη. ἔστι δὲ καὶ ἡ Ἥρα — οὕτως — προσαγορευομένη ἐν Ἄργει etc. Atqui hanc Ἥραν Pausanias vocat Ἀκραίαν. Ergo etiam Hesychius de sententia quidem Alberti. Hoc idem pertinet ad Appollodorum, I, 9, 28. §. 4. ubi pariter Codd. praebent τῆς Ἥρας τῆς Ἀκρίας apud Corinthios. Sed Aegius restituit τῆς Ἀκραίας ex Pausania, sequente Heynio, quem vide. Nulla igitur Pallas Ἀκρία, si ratio illa non fallit, in Larissa arce; nulla usquam gentium Pallas Ἀκρίς: neutra apud Eustath. ad Od. α, vs. 153. p. 1403. 63. scribentem: τὸ δὲ κίθαρις ἀπὸ τοῦ κιθάρα· ὡς ἀπὸ τοῦ χαρὰ χάρις. καὶ δαμάλη δάμαλις, καὶ ἄκρη ἄκρις· ὡς τὸ, ἄκριας ἠνεμοέσσας. ὧν ἐκ μὲν τοῦ ἄκρη, Ἀκραία Ἥρη· ἐκ δὲ τοῦ ἄκρις, ἄκριος Ζεύς. Hinc facilis fit transitus ad ἀκρίαν Ἀθήνην, quam sine admonitione dimittit etiam Valckenarius ad Shol. Phoen. p. 110. Nec haec forma minus quam illa comparet in compositis, Ἐπακρία, Διακρία, Διακρίς. Vid. Etym. M. p. 352, 49-53. Pollux VIII, 109. Anecd. Gr. Bekkeri T. I, p. 242. 14. 259. 9.

δῆλος, inquit. [9]) Immo a Δῆλος. Nam ut δῆλος non est planus, quod ridicule sumitur, ita a planus nullis unquam fidiculis extorquebitur Planius, sicut a δῆλος nunquam δήλιος. Enimvero a Δῆλος prono alveo defluit Δήλιος, quemadmodum a Κύνθος defluit Κύνθιος. Quidnam igitur significat Delia Tibulli? Nempe idem quod Cynthia Propertii. Nam quum a Delo insula Delia, a Cyntho, Deli monte, Cynthia cognominetur Diana, castissima eademque pulcherrima Dea, his cognominibus amicas suas ornarunt poetae illi, ut eas simul castitatis et pulchritudinis laude ab aliis puellis distinguerent. Nec primus amicam denominavit Deliam Tibullus sed praeeuntem habuit Virgilium Ecl. III, 67.

Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

Venio nunc ad Glaphyren, ne forte erres, M. Antonii amicam. Hanc semel tantum commemoratam memini, idque in epigrammate Augusti, quod integrum suo ipsius epigrammati inclusit Martialis XI, 20. raro exemplo, nec comparabili cum fabula Archilochi, cuius sensum magis quam verba expressit Pindarus Pyth. II, 131 — 161. [10])

9) Vide Horreum, quod inscribitur Archivum, ad Philol. et Paedag. pertinens, curante Seebodio Tom. II, Part. II, p. 191.

10) Vide Dissertationem meam de Fabulis Archilochi in Miscell. Philol. Augusti Matthiae Vol. I, Part. I. quam non frustra scriptam esse testantur editores Pindari Pyth. II, 101 — 142. Heyn. Boeckhius, Thierschius, Ahlwardtus. Quibus accedit is, quem dixi, amicissimus Matthiae in Program. De loco quodam Pindari, tum de Babrii Fabulis. Altenburg. 1822. Accedere fortasse etiam debebat Heindorfius ad locum difficilem, immo facilem sed corruptum Platonis Hipp. Mai. §. 20. p. 143. ὦ ἄνθρωπε, ἀγνοεῖς, ὅτι τὸ τοῦ Ἡρακλείτου εὖ ἔχει, ὡς ἄρα πιθήκων ὁ κάλλιστος

nec cum carmine Theocriti VII, 52 — 89. quod hodie Lycidas caprarius, quem canentem inducit felix ille Sophronis Mimographi aemulus, ipse composuisse narratur; [11]) neque vero cum

αἰσχρὸς ἄλλῳ - γένει - συμβαλεῖν, καὶ χυτρῶν ἡ καλλίστη αἰσχρὰ παρθένων γένει συμβάλλειν, ὥς φησιν Ἱππίας ὁ σοφός. Illud ἄλλῳ, ut verbis utar Heindorfii, adeo friget et fluctuat, ut vix digna exeat Heraclito sententia: pulcherrimam omnium simiam deformen esse, quando cum alio genere comparetur. Nam in seqq. certa rerum genera proferuntur etc. Recte. Certa rerum genera proferuntur, velut χυτρῶν ἡ καλλίστη αἰσχρὰ παρθένων γένει συμβάλλειν. Ad quam normam scribere non potuit Plato pro ἄλλῳ γένει, quod vult Sydenhamus, ἀνθρωπίνῳ vel, quod malit Heindorfius, ἀνθρωπείῳ· sed si humanum genus h. l. inferre voluit Plato vel potius Heraclitus, scribere saltem debuit, ἀνθρώπων γένει. At quaenam ista est audacia, pro ἄλλῳ reponere ἀνθρώπων vel ἀνθρωπείῳ! Hoc nimio plus est. Longe propius ad veterem scripturam accedes, si pro ἄλλῳ γένει legeris ἀλωπέκων γένει. Aut si hoc etiam nimium videtur, sicut est, sine ambagibus pro ΑΛΛΩΓΕΝΕΙ lege ΑΛΩΠΕΚΙ, et in mediam incides fabulam Archilochi de Vulpe et Simio. Archilochum autem si ob oculos habebat Heraclitus, necessario uni Simio unam Vulpem opponere debebat, sicut in fabula, non vulpinum genus. Plane ita scribit Plato paullo post, rursus de sententia Heracliti, ὅτι ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται, καὶ σοφίᾳ καὶ κάλλει καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν. Quae postrema verba notanda sunt propter censorem Lipsiensem a. 1824. n. 85. p. 673. agentem de loco Pindari Pyth. II, 131. Heyn. καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός.

11) Rursus in Horreo illo Seebodiano Vol. II, Part. I, p. 181. Quae ratio si valeret, Ilias Homeri, ut hoc exemplo defungar, non constaret nisi fragmentis Deorum heroumque, Jovis, Minervae, Agamemnonis, Menelai etc.

fragmento **Fabulli**, si Diis placet, **poëtae**, quod totidem paene verbis suum fecisse affirmatur [12])

novoque hoc argumento plene confirmaretur coniectura Wolfii. De fragmentis Virgilii in Ecl. IX. quae ibidem ad testimonium vocantur, vide Vossium, in primis ad vs. 21-25. p. 459. et ad vs. 26-29. p. 461.

12) Catullus ad Fabullum.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dì favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Coenam: etc.

Huic loco duo aliorum poetarum exempla adscripsit Muretus, alterum Propertii, II, 19, 28. memento, Venturum **paucis** me tibi **luciferis**; hunc locum Mureto tacitus sublegit Fabulli poetae patronus, apud Seebodium Vol. II, Part. I, p. 182; alterum Martialis: (III, 12.) quem ille locum praetermisit. Atqui Propertii exemplum ad rem non pertinet; Martialis locus Catulli carmen mirifice illustrat, penitusque evertit Fabullum poetam. Hic iterum ad nomina ficta revolvor. Est nimirum praeter illud, quod supra attigi, genus quoddam nominum, quod **perpetuum** et **stabile** dixerim, quo uti solent posterioris aetatis poetae satyrici, Martialis, Juvenalis, Persius. Qui ubi aequalium aliquem aliquo vitio insignem perstringere volunt, non eum suo sed invento nomine perstringunt apud Lucilium, Catullum, Horatium, qui mores hominum ad vivum, proprie simul ac communiter, expresserunt. Res in vulgus nota, post admonitionem Buttmanni p. 52. nuper denuo a Weicherto de Jarbita egregie pertractata est. Et Martialem quidem habemus confitentem in praefatione libri I. „Spero, inquit, me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit, quum salva infimarum quoque personarum reverentia ludant: quae adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis." Huc haud dubie pertinet III, ep. 12.

In Fabullum.

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here, sed nihil scidisti.
Res salsa est, bene olere et esurire.
Qui non coenat et ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Catullus Carm. XIII, 1-2. sed unico in suo genere et vel propter auctorem commemorabili exemplo. Nam Martialis auctorem epigrammatis mere historici laudat Augustum, epigrammati eius praefatur, epilogum addit:

> Caesaris Augusti lascivos, livide, versus
> Sex lege, qui tristis verba Latina legis:
> Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi poenam
> Fulvia constituit, se quoque uti futuam.

Jam comparando Catullum cum Martiale fateberis, in utroque carmine eandem rem perstringi. Et Catulli quidem carmen satyricum esse ac iocosum, vel sine Martiale intelligere poteras. Docet ipsum carminis initium, quod descripsi. Docet dies invitationis prodictus ad Graecas scilicet Kalendas. Docet formula, si tibi Di favent, hoc est, si Dis placet vel, ut ad nostrum morem Graeci quoque scribebant, εἰ δαίμων ἐθέλοι· docent reliqua. Invitatus igitur ad coenam a Fabullo Catullus nihil fere retulerat nisi caput unctius. Ut remuneretur eum quam simillimo munere, vicissim Fabullum invitat ad coenam, paene dixerim, unguentariam, ea conditione, quam nosti. Reliqua persequi longum est. Abeat igitur Fabullus poeta cum versiculis suis illuc, unde malum pedem tulit et in locum eius succedat Antiphanes, cuius epigramma in foeneratorem (χρήστην) nunc sic legitur in Anth. Pal. IX. 409.

> *Εἴ τινα μὴ τέρπει λωτοῦ χέλυς ἢ γλυκὺς ἦχος*
> *ψαλμῶν, ἢ τριγέρων νεκτάρεος Βρόμιος,*
> *ἢ πεῦκαι, κοῦροι, στέφανοι, μύρα, λιτὰ δὲ δειπνῶν*
> *λαθροπόδας τρώκταις χερσὶ τίθησι τόκους,*
> *οὗτος ἐμοὶ τέθνηκε, *περίμνηστιν δὲ παρέρπω*
> *νεκρὸν, ἐς ἀλλοτρίους φειδόμενον φάρυγας.*

Fulviam ego ut futuam? quid? si me Manius oret
Paedicem, faciam? non puto, si sapiam.
Aut futue aut pugnemus, ait. quid? quod mihi vita
Carior est ipsa mentula. Signa canant!
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui.

Hic quaeritur, quaenam ista sit Glaphyre, Antonii amica? Unam habuit Antonius amicam, quod constet, Cytheridem, uxores quatuor, 1. Fadiam, Q. Fadii, hominis libertini, filiam, Phil. II, 2. 2. Antoniam. Qua eiecta, (Phil. III, 38.) duxit, 3. Fulviam, M. Fulvii Bambalionis filiam, III, 6. ex qua puerum suscepit, de quo agitur Phil. II, 36. Fulvia mortua duxit 4. Octaviam, de qua videndus est Garatonius ad Phil. II, 38. Jam Antoniam eiecit Antonius, alia, ut ibidem scribitur, conditione quaesita et ante perspecta. Hoc vulgo refertur ad Fulviam. Immo referendum est ad Cytheridem, quacum ille ante matrimonium cum Fulvia initum consuescebat, eo tempore, quo Caesar in Hispaniam proficiscens Antonio conculcandam Italiam tradiderat, Phil. II, 23-24. „Vehebatur in essedo Tribunus plebis: lictores laureati antecedebant, inter quos, aperta lectica, mima portabatur, quam ex oppidis municipales, homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine sed Volumniam consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, (leonibus) comites nequissimi: reiecta mater amicam impuri filii, tamquam nurum, sequebatur.“ Ubi notanda sunt verba, tamquam nurum. Semper enim Cicero, ubi de Antonii et Cytheridis amoribus loquitur, de

hac scribit invidiose tamquam de legitima illius uxore, quam scilicet in domo sua haberet, cui claves credidisset, cum qua tandem divortium fecisset, Phil. II, 28. Etsi igitur locutio illa, conditionem aliam quaerere et perspicere, proprie ad legitimum matrimonium pertinet, tamen hoc loco ad Cytheridem referenda est, quum praesertim Suetonius etiam Octav. c. 69. de innuptis nuptiis hanc formulam ponere non dubitaverit, monente Graevio. Quid? quod illi etiam qui de Fulvia cogitant, non possunt non locutionem, de qua agitur, sensu interpretari nequissimo, siquidem Antonius ante nuptias legitimas rem habuit cum Fulvia nec iustum cum ea matrimonium contraxit nisi tandem admonitus a Caesare. Plutarch. Anton. Vol. V. 10. p. 118. Reisk. At hoc interea tempore consuescebat ille etiam cum Cytheride. Hinc fletus rixaeque sonant. Res apparet ex epistola Antonii ad Fulviam, quam scripsisse fingebat in Gallia, unde redierat, sed tradebat ipse tempore nocturno, capite involuto. Phil. II, 31. „Ianitor, Quis tu? a Marco tabellarius. Confestim ad eam, cuius caussa venerat, eique epistolam tradidit. Quam quum illa legeret flens — erat enim amatorie scripta; caput autem litterarum, s i b i c u m i l l a m i m a p o s t h a c n i h i l f u t u r u m : o m n e m s e a m o r e m a b i e c i s s e i l l i m a t q u e i n h a n c t r a n s f u d i s s e — quum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit: in collum invasit.“ Ecquod autem illud iter Antonii in Galliam? quo illud tempore initum? Nempe eo, quo Caesari rem feliciter gerenti in Hispania multi obviam processere cives cum alii tum Antonius, qui tamen substitit Narbone in Gallia, unde, allato nuntio, conturbari Italiam ex rumore falso, Caesarem mortuum esse, e vestigio

Romam rediit, urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbans. Rem accurate narrat Plutarchus, commemorata etiam epistola, cuius modo fecimus mentionem e Cicerone. Atque haec epistola demonstrare mihi videtur, Antonium in illo itinere comitem habuisse Cytheridem. Nam quod scribit ille, omnem se amorem abiecisse illim atque in hanc transfudisse, hoc vix scribi potuit nisi de relicta in itinere puella. Et Servius quidem ad Virgilii Ecl. X, 1. diserte scribit, Cytheridem, meretricem, libertam Volumnii, Antonium, euntem ad Gallias, esse secutam; et paullo post, Aperte hic Antonius carpitur inimicus Augusti, quem contra Romanorum morem Cytheris est in castra comitata; hoc est, ut ego interpretor, in castra Caesaris commorantis in Hispania. At Servius, quum legeret apud Virgilium, Lycoridem, Galli amicam, item secutam esse nescio quem amatorem in Galliam, nulla habita temporum ratione, hanc esse Antonii Cytheridem sibi persuadebat. Quem errorem, satis post Martinium ab Heynio confutatum, novo nuper commento cumulavit is, cuius annuum doctrinae ad hoc argumentum pertinentis proventum satis adhuc ventilavi, rursus in Horreo illo Seebodiano Tom. II, Part. II, p. 1, (189) professus, Lycoridem vero nomine appellatam fuisse Cytheridem, adhibito iterum aequalitatis syllabarum in utroque nomine adminiculo et ementito etiam testimonio Vossii ad Ecl. X, p. 501. cui, sagaci in primis in huiusmodi rebus viro, nihil minus in mentem venire poterat quam fictum nomen Cytheridis pro vero ac proprio sumere Lycoridis. Licet, ait Servius ipse ad vs. 2. Licet poetis alia nomina pro aliis ponere, id est, ficta fictis substituere.

Quod pertinet etiam ad epigramma Augusti, unde digressi sumus. Hoc epigramma incidit haud dubie in illud tempus, quo M. Antonius in Oriente cum Cleopatra amores, L. Antonius et Fulvia in Italia cum Octaviano rixas agitabant, in bellum Perusinum vertentes. Quum nondum ad extrema ventum esset, obtulit se, credo, vel obtulisse fingitur Fulvia Octaviano, qui tamen,. spreta illa, non recusavit bellum, occinens illi, quod ipse scribit, Signa canant. Ergo Glaphyre, quam obtendisse dicitur turpitudini Fulvia, aut Cleopatra est aut Cytheris. Si Cytheris, par fere syllabarum ratio intercedit inter Volumniam, Cytherida et Glaphyren, atque inter Violantillam, Ianthida et Asterida, qua maior discrepantia cogitari nequit: sin autem Cleopatra, rursus nullam habuit syllabarum rationem Octavianus, quum huic substitueret Glaphyren. Eat nunc aliquis et Glyceram Horatii eandem esse dicat ac Nemesin Tibulli propterea quod in his duobus nominibus aliqua inest syllabarum aequalitas metrica. Sed hoc hariolis relinquo. Illud potius repetendum est, quod supra proposui, consuetudinem nova de integro nomina imponendi puellis aeque Graecis familiarem fuisse quam Latinis. De Latinis satis dictum. De Graecis exstat locus classicus Plutarchi, Quare Pythia desierit etc. Tom. II, Part. II, p. 642. Wyttenb. ubi quum alia exempla mutatorum nominum profert tum Mnesaretae, quae postea appellata fuit Phryne ab oris pallore, (sicut Aspasia appellata fuit *Μιλτὼ* ab oris rubore, Aelian. V.H. XII, 1.) tum Polyxenae matris Alexandri, quae deinceps dicta fuit Myrtale, Olympias, Stratonice. Cui observationi ille addit, quod in primis notandum est: *πολλὰ δὲ, ὡς ἔοικε, τῶν ὀνομάτων ἀποκρύπτουσιν αἱ παρωνυμίαι,* multa nomina

videmus a cognominibus occultari, obscurari. Immo magnam hae παρωνυμίαι in rem litterariam intulerunt confusionem et in errores gravissimos coniecerunt Graecos interdum ipsos velut Athenaeum XIII. p. 596. B. incusantem ignorantiae Herodotum, patrem historiae, quod Doricham, quam dixit Sappho, Charaxi fratris sui amicam, et Rhodopidem meretricem pro una eademque habuerit puella, II, 134. seqq. Et Athenaeus quidem ad ipsum provocat Sapphus carmen, et Posidippi epigramma (Anth. Pal. Tom. II, p. 780.) quo Doricha proprio nomine appellatur et perstringitur. Atqui ad idem Sapphus carmen provocat Herodotus et hanc tamen Charaxi amicam dicit Rhodopidem. Quid igitur est? Nempe Dorichae proprium nomen adscito postea Rhodopidis nomine adeo obrutum est et obscuratum, ut Herodotus maluerit adscitum ponere, in vulgus notum, quam proprium, paucis notum, minime tamen Herodotó ipsi. Ergo Athenaeus potius ignorantiae quam Herodotus erroris insimulandus est. Hoc argumentum nuper tam accurate pertractavit Guil. Henr. Grauertus, iuvenis eruditissimus, in praeclara Dissertatione Philologica, De Aesopo et Fabulis Aesopiis, Bonn. 1825. nihil ut scribi in hoc genere possit accuratius.

Sed redeo tandem ad Nympham Ianthida vel dominam Naïda, ad quam fugere ait Martialis, ut nunc est, Argynnum, verentem, ne a Nympha rapiatur, sicut Hylas v. 2.

Et fugit ad dominam Naïda? numquid Hylas? Falso! Non enim ad dominam Naïda fugit Argynnus puer, sed potius fugit a domina Naïde, quae verendum erat scilicet, ne eum raperet, sicut alterum Hylam. Quo sensu iterum scribit Martialis ad fontem Ianthidos VII, ep. 50.

Fons dominae, regina loci, quo gaudet Ianthis,
Gloria conspicuae deliciumque domus:
Cum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro,
Quid facit Alcides silva sacratus in ista?
Tam vicina tibi cur tenet antra deus?
Numquid Nympharum notos observat amores,
Tam multi pariter ne rápiantur Hylae?

Ergo scribere debuit certe potuit Martialis:

Et fugit a domina Naïde? numquid Hylas?

Sed propius a vulgata lectione abest emendatio Gronovii,

Et fugitat dominam Naïda? numquid Hylas?

addentis: Fugitare videtur, dum absistit, nec audet approquinquare. fontem vocat Naïda dominam, quia gerebat nomen dominae Argini (Argynni) uxoris Stellae, qui eius dominus. Sed quo modo Martialis Violantillam Naïda dixerit, satis supra demonstravi. Quo autem iure Euripides Hippol. vs. 551. Iolen (Violam, Violantillam [13]) dixerit *Ναΐδα*, causa commemorari nulla potest. Nimirum ibi vulgo legitur:

τὰν ναΐδ' ὅπως τε Βάκχαν
σὺν αἵματι, σὺν καπνῷ
φονίοις θ' ὑμεναίοις,
'Αλκμήνας τόκῳ Κύπρις ἐξέδωκεν.

Ad quem locum memoratu digna sunt, quae adscripsit Scholiastes: *νηΐδα 'Αλκμήνης τόκῳ*

13) Ruhnkenius ad Terentiani Mauri vs. 657. Et Jolaus, ille Violeus, quam lectionem tueri conatus sum in Comment. de C. Annio Cimbro p. 55. sic scribit apud Santenium: „ut igitur Latini ex *ἰόλη*, quod apud Hesychium superest, viola, sic ex *ἰόλας* Violas fecerunt.“ At ego vocem *ἰόλη* apud Hesychium nondum inveni.

Κύπρις ἔδωκεν, ἀντὶ τοῦ νύμφην. Ubi primum quaeri potest, qua de causa ille formam vulgarem *ναῖδα* mutaverit in Ionicam *νηΐδα*, quam commemorare nihil opus erat; deinde quo sensu eidem apposuerit interpretationem *νύμφην*. Et hanc quidem vocem sine dubio sumi voluit pro sponsa, seu nova nupta. Quae antea fuerat innupta, non desponsata, virgo, *ἄνανδρος τὸ πρὶν καὶ ἄνυμφος πῶλος*, eam Herculi postea Venus dedit sponsam vel coniugem, *νύμφην*. Hoc tamen sensu *ναῖδα* ponere nullo pacto potuit Euripides. Quapropter Marklandus reposuit, quod nunc admitti solet,

τιν' ἄϊδος ὥστε βάκχαν.

Sed emendatio, vicinorum verborum, quae per se incorrupta sunt, ruinam trahens, vel hoc nomine suspecta est. Accedit, quod pronomen *τινὰ* metro repugnat. Ergo Matthiae et Monkius articulum *τὰν* restituerunt, sed precario. Pendet enim ille nunc nec bene ad *Βάκχαν* accommodari potest. Ponamus igitur, Scholiastam non *ναῖδα* scripsisse sed, quae forma paullo rarior est, *τῆλιδα*. Hanc vocem interpretari potuit ac debuit *νύμφην*. Hesychius in v. *Τῆλιδα. οὕτως ἐκάλουν τὴν συνηρμοσμένην.* Zonaras, *Τᾶλις, ἡ νύμφη.* Ex quo consequeretur, Sholiastam in contextu non *ναῖδα* legisse sed *τάλιδα*, (*τᾶλιν* apud Calimachum Fragm. 210.) Rursus Hesychius: *Τᾶλις, ἡ μελλόγαμος παρθένος, καὶ κατωνομασμένη τινί. οἱ δὲ γυναῖκα γαμετὴν, οἱ δὲ νύμφην.* Vide interpretes Sophoclis Antig. 623. (627). ubi *νύμφης* olim in contextu legebatur iuxta *τάλιδος*. Quam vocem si restitueris Euripidi, habebit primum articulus *τὰν*, quod desiderabatur, adiunctum sibi nomen *τάλιδα*. Deinde servari poterit, *ὅπως τε*. Copula enim connectit verba *δρομάδα* — *ὅπως τε*

Βάκχαν, circumvagam, furiosam, ac quasi Baccham. Quo sensu scribit etiam Propertius III, 8, 14. de Cynthia:

Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias.

Et plane ita Cassandram *δρομάδα παρθένον* appellat Euripides Troad. 41. Hesychius, *Δρομὰς, ἡ ἑταῖρα.* Tum elegans est sententiae ac constructionis progressio in verbis, *τὰν πῶλον, ἄνανδρον τὸ πρὶν — τὰν τάλιδα δρομάδα — Κύπρις ἐξέδωκεν.* Incertam igitur coniecturam longe incertiori coniecturae opponens locum Euripidis sic legendum et interpungendum censeo, (ad ed. Matth.)

τὰν μὲν Οἰχαλίᾳ
πῶλον, ἄζυγα λέκτρων,
ἄνανδρον τὸ πρὶν καὶ
ἄνυμφον, οἴκων
ζεύξασ' ἀπ' εἰρεσίᾳ, δρομάδα
τὰν τάλιδ', ὅπως τε Βάκχαν,
σὺν αἵματι, σὺν καπνῷ
φονίοις θ' ὑμεναίοισιν
Ἀλκμήνας τόκῳ Κύπρις ἐξέδωκεν.

II.

DE OROMEDONTE,

QUI CIRCUMFERTUR,

GIGANTE.

[AD PROPERTIUM III, 9, 47. ET THEOCRITUM VII, 45—48.]

Inter Gigantes, qui coelo bellum intulisse feruntur, sicut Titanes, apud Propertium III, 9, 47. fuisse etiam perhibetur Oromedon, quem nullus nec mythographus nec scriptor alius commemoravit, interpretes tamen Propertii et recentioris aevi poetae, quorum loca collegit Vulpius, Gigantum numero eximere non ausi sunt, credo, ne auctoritati poëtae doctissimi, reconditiora omnia consectantis, derogasse viderentur. Ergo in omnibus Edd. legitur:

Te duce vel Iovis arma canam, coeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis.

Beroaldus, consentiens cum A. Volsco: Coeus et Oromedon nomina sunt Gigantum, ut Porphyrio, Briareus, Enceladus. Passeratius: Oromedon, cuius hic mentio, mihi quidem est, qui dicitur, terrae filius, quia ignotissimus. Nomen tamen Giganti et fabulae aptum possidet *ὁ μέδων τῶν ὀρῶν,* quasi montibus imperaret, quum alios aliis imponeret. At Broukhusius, circumspectior illis: Ab hoc Gigante nomen traxisse montem excelsum in insula Co, tradit eruditissimus Casaubonus Lectt. Theocrit. c. 6. Restat tamen ut amplius inquiramus: neque enim fuisse ignobilem vel ex hoc uno loco palam est. Sed prudenti

huic animadversioni parum tamen respondet incuria, ne inquirendi quidem in nominis peregrini scripturam, quam satis dubiam ac suspectam reddunt Variantes, Oromodonta, Oromadunta, Orodomonta, Eromodonta. Quae postrema scriptura proxime a vera abest. Non enim Oromedonta scripsit Propertius sed

Eurymedonta.

Quid ita? Quia Eurymedon non Oromedon est ille non ignobilis Gigas, quem quaerebat Broukhusius, immo nobilissimus omnium, Gigantum rex et imperator, quem cum toto grege pessumdedit, nescio quis, apud Homerum in genealogia Phaeacum Od. η, 56.

Ναυσίθοον μὲν πρῶτα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
γείνατο καὶ Περίβοια, γυναικῶν εἶδος ἀρίστη,
ὁπλοτάτη θυγάτηρ μεγαλήτορος Εὐρυμέδοντος,
ὅς ποθ' ὑπερθύμοισι Γιγάντεσσιν βασίλευεν.
ἀλλ' ὁ μὲν ὤλεσε λαὸν ἀτάσθαλον, ὤλετο δ' αὐτός.

Hunc locum egregie illustrat Pausanias VIII, 19. quicum consentit Scholiastes Pal. Q. apud Buttmannum, scribens ad vs. 90. *ὅτε ἐμάχετο μετὰ τοῦ Διὸς, ἤτοι μετὰ βασιλέως τινός.* Recte. Non enim dicit Homerus, pugnasse Eurymedonta cum Iove, quam pugnam ille ignorat, sed universe tradit, periisse eum cum suis, ut ex epithetis apparet, propter superbiam suam populique, cui imperitabat, ferocitatem. Nec pugnam deorum cum Gigantibus memorat Hesiodus. Quo magis miror Ioh. Henr. Vossium, qui historiam Gigantum accurate enarravit in Epistt. Mythol. T. II. ep. 32. ex illo Homeri loco efficientem, Gigantes a Iove, atque adeo, quod scribit in Comment. de Geographia Antiqua p. XI. imbre Iovis igneo, tamquam Sodomitas et

Gomorrhaeos, peremptos esse. Cuius generis commenta nec ipse alibi obtrudere Homero nec obtrudentes alios aequo animo ferre solebat. Sed redeo ad Eurymedonta, quem in ipsa pugna cum diis et medios inter Gigantes pereuntem deprehendisse mihi videor apud Pindarum Pyth. VIII, 15-19.

βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ.
Τυφὼς Κίλιξ ἑκατόγκρανος οὔ μιν ἄλυξεν,
οὐδὲ μὰν βασιλεὺς Γιγάντων· δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ
τόξοισί τ' Ἀπόλλωνος.

Ibi Heynius, Rex gigantum, ait, aut Alcyoneus est aut, si Apollodorum sequimur, Ephialtes ab Apolline sagitta transfixus; etsi in Gigantum fatis et nominibus licenter variant poëtae. — Porphyrion quum iam ante memoratus sit, huc iterum revocari nequit. Tamen Boeckhius ad Porphyrionem rediit. Ego non dubito, quin assumendus sit Eurymedon. Huius Gigantis progenies memorantur Prometheus et Periboea. Prometheum e concubitu illius cum Iunone procreatum tradidit Euphorion narrante Scholiasta Venet. ad Il. ξ, 295. *Ἥραν τρεφομένην παρὰ τοῖς γονεῦσιν εἷς τῶν Γιγάντων Εὐρυμέδων βιασάμενος ἔγκυον ἐποίησεν· ἡ δὲ Προμηθέα ἐγέννησεν. Ζεὺς δὲ ὕστερον γήμας τὴν ἀδελφὴν καὶ γνοὺς τὰ γενόμενα τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα κατεταρτάρωσεν, τὸν δὲ Προμηθέα προφάσει τοῦ πυρὸς δεσμοῖς ἀνήρτησεν. ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.* Eadem tradit Eustathius p. 987. omisso tamen auctoris nomine et scribens, Iovem *τὸν Προμηθέα προφάσει τοῦ πυρὸς σταυρῶσαι.* Iunonis patrocinium suscepit Hemsterhusius ad Lucian. Tom. I, p. 240. contra Euphorionem vel alios. Nullum est, ait ille, in fabulis Iunonis a Cupidine vulneratae vestigium: neque satis erat decorum, ut, quae virtutis castitatisque custos ha-

bebatur ac praeses, telis tam noxiis pateret. Enimvero memor tum non erat vir summus eorum, quae ante iustas nuptias accidisse inter Iovem et Iunonem fabulantur Veteres, citati ab Heynio ad Il. ξ, 296. Ex qua consuetudine furtiva illi ortum Vulcani repetebant, celante rem Hesiodo, Theog. 927. ubi pudori Iunonis consulens scribit:

Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν, οὐ φιλότητι μιγεῖσα,
γείνατο, (καὶ ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ.

Quod Apollodorus I. 3. reddit *χωρὶς εὐνῆς*, Lucianus more suo ridicule, de Sacriff. 6. Tom. I, p. 531. perhibet, *ἄνευ τῆς πρὸς τὸν ἄνδρα ὁμιλίας ὑπηνέμιον αὐτὴν παῖδα γεννῆσαι τὸν Ἥφαιστον·* tamquam ovum, quod gallina a gallo non inita parit, dictum ab Atticis *ἀνεμιαῖον*. Bonum igitur factum, quod Iuppiter ipse Iunonis pudicitiae interdum succurrit, v. c. quum Ixioni obiiceret Nubem pro Iunone, quae deinde Centaurum peperit sed *ἄνευ χαρίτων μόνα καὶ μόνον* Pind. Pyth. II, 78. vel quum Porphyrionem, in ipsa Gigantum cum diis pugna Iunoni vim afferre conantem, fulmine feriret, Apollod. I, 6, 2. Sed haec omnia rursus ignoravit dicam an dissimulavit Homerus, qui divinam regum Phaeaciae originem attigisse contentus et procreationis modum, ut ita dicam, Cosmologicum aliis relinquens, de Periboea, Eurymedontis filia ita simpliciter referre pergit:

τῇ δὲ Ποσειδάων ἐμίγη καὶ ἐγείνατο παῖδα
Ναυσίθοον μεγάθυμον, ὃς ἐν Φαίηξιν ἄνασσε.

Quare Alcinous de deorum cum Phaeacibus cognatione quum alia iactat tum ea, quae leguntur vs. 202.

αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·

δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι, ἔνθα περ ἡμεῖς.
εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης,
οὔτι παρακρύπτουσιν· ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμὲν,
ὥςπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Quo loco dici vix potest, quantopere interpretes non recentiores solum sed veteres etiam, genealogiae illius, ab Homero proditae, sensum non capientes, exercuerit locutio *ἐγγύθεν εἶναι θεοῖς*. Et Eustathius quidem p. 1577. 24. affirmat, locum hic habere illud comparationis genus, quod Latine disparatum dixeris, ut si quis dicat, Socratem Platoni similem esse virtute tantum, quantum Anytus et Melitus sibi invicem malitia, *οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἐγγύθεν Φαίακες θεοῖς κατὰ δικαιοσύνην, ὡς Κύκλωπες καὶ Γίγαντες ἀλλήλοις κατὰ ἀδικίαν·* quo nihil scribi poterat ineptius. Propius a vero abfuit Schol. Ambros. B. *Συγγενεῖς γάρ ἐσμεν θεῶν ὡς οἱ Κύκλωπες τῶν Γιγάντων.* immo *καὶ οἱ Γίγαντες.* Heynius ad Apollodorum Observatt. p. 28. de Phaeacum, Cyclopum et Gigantum vicinitate finitima agi putat, quod, ait, et Pausanias VIII, 29. pr. observavit. Nimirum apud Pausaniam sic vulgo, quod sciam, legitur (Tom. II, p. 442. ed. Fac.): *ἐποίησε δὲ καὶ τὸν βασιλέα τῶν Φαιάκων λέγοντα εἶναι τοὺς Φαίακας ἐγγὺς ὥςπερ Κύκλωπας καὶ τὸ Γιγάντων ἔθνος.* Quam orationem mancam esse et interruptam, nemo non intelligit. Atqui post *ἐγγὺς* manifesto excidit *θεῶν.* Hoc dixit Homerus et cum Homero Pausanias, *εἶναι τοὺς Φαίακας ἐγγὺς θεῶν ὥςπερ Κύκλωπας* etc. non illud quod voluit Heynius. Iam Vossius de Geogr. Antiq. p. XI. Alcinoum his verbis praedicare putat Phaeacum felicitatem, similem scilicet illi, qua fruebantur, ut ille scribit,

Gigantes et Cyclopes, quibus sine ullo labore Dii ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα largiter praebebant. At enimvero Homerus hoc non dicit de Gigantibus sed unice de Cyclopibus Od. ι. 109. sicut post Homerum alii, ut Philostratus Heroic. p. 4. ubi videndus est Boissonadius, vir eruditissimus. Quid multa? Locutio illa ac comparatio haud dubie repetenda est a communi Cyclopum, Gigantum et Phaeacum origine. Cyclopes nati sunt Urani et Gaeae. Hesiod. Theog. 139. Apollod. I, 1. Gigantes eiusdem sunt originis, nati item de Gaea, excipiente guttas sanguinis e genitalibus Urani manantes. Hesiod. 183. quocum consentit vetustus scriptor Orphicus ἐν τῷ ὀγδόῳ τοῦ ἱεροῦ λόγου, qui laudatur in Etym. M. p. 231. 24.

οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

A Gigantibus, hoc est, ab Eurymedonte et Iunone vel, quod Homerus, qui huiuscemodi reconditiora persequi non solet, ait, a Neptuno et Periboea, Eurymedontis filia, orti sunt Phaeaces. Apollonius Rhod. IV, 990. de Phaeacia:

Δρεπάνη τόθεν ἐκλήϊσται
οὔνομα Φαιήκων ἱερὴ τρόφος· ὣς δὲ καὶ αὐτοὶ
αἵματος οὐρανίοιο γένος Φαίηκες ἔασι.

Idem plane, nec quod ab Hesiodo, quamvis de Phaeacibus silente, discrepet, tradiderunt Acusilaus et Alcaeus, monente Scholiasta Apollonii Rh. qui locus propter Creuzerum Ep. VI. ad Hermannum p. 165. et p. 172. describendus est: Ἀκουσίλαος ἐν τῇ τρίτῃ φησὶν, ὅτι ἐκ τῆς ἐκτομῆς τοῦ Οὐρανοῦ ῥανίδας ἐνεχθῆναι συνέπεσεν, τουτέστι σταγόνας, κατὰ τῆς γῆς· ἐξ ὧν γεννηθῆναι τοὺς Φαίακας. Οἱ δὲ, τοὺς Γίγαντας. Primum videlicet e guttis illis Gigantes, deinde a Gigantibus

procreati sunt Phaeaces, quod Grammaticus ille cepisse non videtur. *Καὶ Ἀλκαῖος δὲ κατὰ τὰ αὐτὰ Ἀκουσιλάῳ λέγει τοὺς Φαίακας ἔχειν τὸ γένος ἐκ τῶν σταγόνων τοῦ Οὐρανοῦ. Ὅμηρος δὲ οἰκείους τοὺς Φαίακας τοῖς θεοῖς φησὶ διὰ τὴν ἀπὸ Ποσειδῶνος γένεσιν·* adde etiam Gigantibus *διὰ τὴν ἀπὸ* vel *ἐκ Περιβοίας γένεσιν*, ad quod ille animum non advertit. Ergo Cyclopes, Gigantes et Phaeaces pari modo *ἐγγύθεν εἰσὶ θεοῖς*, cognati sunt Diis, nec Acusilaus et Alcaeus discedunt ab Homero et Hesiodo, quamvis hi diverso, hoc est, suo uterque more rem exponant. Accedit Timaeus Drepanae vetus insulae nomen confirmans commento illo, quod alii ad Drepanum, Achaiae promontorium (Pausan. VII, 23, 4.) alii ad Zanclen, Siciliae urbem, de qua agit Iacobsius Amalth. Tom. I, p. 198. alii aliorsum transtulerunt, apud Scholiastam Apollonii ad vs. 983. *Τίμαιος δὲ ἐκ τοῦ δρεπάνου, ᾧ ἐξέτεμεν τοῦ Οὐρανοῦ τὰ αἰδοῖα ὁ Κρόνος, ἢ ὁ Ζεὺς τὰ τοῦ Κρόνου. Τοῦτο γὰρ αὐτοῦ κεκρύφθαι φησί.* Sed in alia omnia abit et in novum plane mythorum orbem nos ducit (nescio an etiam Aristoteles *ἐν τῇ Κερκυραίων πολιτείᾳ*) qui de Corcyra haec tradidit, referente eodem Scholiasta: *Δρεπάνη δὲ ἐκαλεῖτο διὰ τὸ τὴν Δήμητρα, αἰτησαμένην δρέπανον παρ' Ἡφαίστου, τοὺς Τιτᾶνας διδάξαι θερίζειν· εἶτα αὐτὸ κρύψαι εἰς τὸ παραθαλάσσιον μέρος τῆς νήσου· προσκλυζούσης δὲ τῆς θαλάσσης, ἐξομοιωθῆναι τὴν θέσιν τῆς γῆς δρεπάνῃ.* Hic Gigantibus substitutos videmus Titanas, eosdemque vetustissimos in Phaeacia agrorum cultores. Qua de re Apollonius Rh. IV, 988.

Δηὼ γὰρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νάσσατο γαίῃ,
Τιτῆνας δ' ἔδαε στάχυν ὄμπνιον ἀμήσασθαι,
Μάκριδα φιλαμένη.

Conf. Etym. M. p. 287, 31. Huc pertinet, quod de Titane, in monte Sicyonii agri quondam habitante, narrat Pausanias II, 11, 5. δοκεῖν δὲ ἐμοὶ, δεινὸς ἐγενέτο ὁ Τιτὰν τὰς ὥρας τοῦ ἔτους φυλάξαι καὶ ὁπότε ἥλιος σπέρματα καὶ δένδρων αὔξει καὶ πεπαίνει καρποὺς, καὶ ἐπὶ τῷδε ἀδελφὸς ἐνομίσθη τοῦ Ἡλίου. Vide interpretes Fulgentii I, 24. Ex Achaia igitur, (sic enim interpretari licet hanc narrationem) agricultura progressa est in Phaeaciam τιτανικῶς, ut scribit Olympiodorus Schol. ad Platonis Philebum p. 247. ed. Stallb. Nec aliter cepisse Veteres ipsos narrationem illam, satis demonstrant mythi huius, quo de agimus, vicissitudines. Nam post Homerum exorti sunt, qui Periboeae [1]) substituerent Corcy-

1) Haud infrequens nomen est apud mythographos poëtasque veteres, Περίβοια. Commemorantur huius nominis uxores, Oenei, Icarii, Polybi, quae Oedipum educavit, et Telamonis, quae mater fuit Aiacis, nupta etiam Theseo, quod Istrum tradidisse in Atticis refert Athenaeus XIII. p. 557. A. Siebelis p. 54. ubi vulgo legitur: νομίμως δ' αὐτὸν γῆμαι Μελίβοιαν, τὴν Αἴαντος μητέρα, γυναῖκα· quae haud dubie falsa est scriptura. Nomen prorsus omissum est in Epitoma, eique alii substituerunt per errorem Μελίβοιαν pro Περίβοιαν. Hanc Pherecydes dixit, teste Athenaeo, Φερέβοιαν· apud Sturzium fragm. LXI. At Pindarus eandem dicit Ἐρίβοιαν, Isthm. VI, 65. (42.) et circa ipsum matris nomen, nisi fallor, ludens vs. 78. εὐρυβίαν Αἴαντα. Sophocles etiam Ai. 570.

Τελαμῶνι δείξει μητρί τ' Ἐριβοίᾳ λέγω,

decurtato nomine. Nuper adeo dimidiatum nomen accessit Βοία ex inscriptione, quam in fronte Corporis Inscriptt. Graec. collocavit Boeckhius, si vera est lectio *ΚΑΙ ΤΕ ΒΟΙΑ*. Qua de re valde dubito. Nam, ut nihil dicam de coniunctis particulis καί τε, satis iam celebratis, ipsa

ram, Asopi, Achaiae fluvii, et Metopae filiam, dicerentque, ex hac et Neptuno natum esse Phaeacem, a Phaeace Alcinoum, exclusis plane Nausithoo et Periboea. Diodor. Sicul. IV, 72. Ergo in uno hoc mytho triplex distinguere licet mythorum genus, Cosmologicum, Homericum (epicum) et Historicum. Sed hoc in transcursu attigisse satis habeo. Redeamus potius ad Homerum et demonstremus, vetustiores Graecos melius intellexisse, quid sit *ἐγγύθεν εἶναι θεοῖς*, quam Scholiastarum recentiorum vulgus. Hic mihi statim in mentem venit praeclarus veteris Tragici locus, quem ob oculos habebat Plato de Republ. III. 5. p. 88. ed. Ast. Homericam poesin perstringens: *πᾶς γὰρ ἑαυτῷ ξυγγνώμην ἕξει κακῷ ὄντι, πεισθεὶς ὡς ἄρα τοιαῦτα πράττουσί τε καὶ ἔπραττον καὶ οἱ θεῶν ἀγχίσποροι, Ζηνὸς ἐγγὺς, ὧν*

κατ' Ἰδαῖον πάγον

Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι.

καὶ,

οὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων. 2)

forma simplex *Βοία* suspecta est prae altera, quam solam nobis tradidit Antiquitas, *Βοιώ*. Pausanias X, 5, 4. Deinde *Βοῖος*, quem in subsidium vocat Boeckhius ex Athen. IX, p. 293. immo p. 393. E. utrum sit ater an albus homo, prorsus ignoro. Nec me doctior hac in re fuit Athenaeus, qui scribit: *Βοῖος δ' ἐν Ὀρνιθογονίᾳ, ἢ Βοιὼ, ὥς φησι Φιλόχορος* etc. Vid. Siebelis ad Philochori fragmenta p. 105. Num igitur, inquit, substituendum censes in inscriptione illa, *ΚΑΙ ΠΕΡΙΒΟΙΑ?* Nihil equidem definio in inscriptione, quam non intelligo. Conf. Etym. M. in v. *Ἀλφεσίβοιαι* p. 73, 2. et in v. *Ἑκατόμβη* p. 320, 38. De Periboea quid amplius desideret Lobeckius ad Sophoclem, ignoro.

2) Sic locus hic legitur in omnibus, quas viderim, edi-

Hic primum locutio „*Ζηνὸς ἐγγὺς*“ plene confirmat coniecturam nostram, qua supra apud Pausaniam VIII, 29. legendum esse posuimus: *ἐποίησε δὲ καὶ τὸν βασιλέα τῶν Φαιάκων λέγοντα εἶναι τοὺς Φαίακας ἐγγὺς θεῶν ὥσπερ Κύκλωπας* — quam plenius etiam confirmat Plato ipse, paullo ante p. 83. *Πρίαμον* exhibens *ἐγγὺς θεῶν γεγονότα.* Aratus de Cephei posteris Phaen. 180.

οὐρανὸν εἰς ὄνομ' ἦλθεν, ἐπεὶ Διὸς ἐγγύθεν ἦσαν.

Deinde altera locutio, ab initio posita, *οἱ θεῶν ἀγχίσποροι,* continuatur et explicatur versu postremo: a Diis proseminati, quibus nondum evanidus inest sanguis deorum. Hic mutato nomine, quod ille ait, fabula narratur de guttis sanguineis, e genitalibus Urani manantibus,

tionibus, ante Bekkerianam factis. Haec sola eum sic concinnatum exhibet: Vol. I, Part. III, p. 117.

οἱ θεῶν ἀγχίσποροι,
οἱ Ζηνὸς ἐγγὺς, ὧν κατ' Ἰδαῖον πάγον
Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι,
κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων.

Quae concinnatio si e Codice aliquo profecta est, quod e minutulis illis Commentariis constitui non potest, nihil habeo quod opponam. Sin ex ingenio: primum obstat Platonis aliorumque consuetudo, eiusmodi poetarum loca propriis verbis interrupta et *σποράδην* proferendi; deinde, quod caput est, intercedit auctoritas Luciani, qui primum versum aliter dispositum exhibet Demosth. Encom. c. 13. Tom. III. p. 501. ubi agit de coelestis cuiusdam aureae, quam dicit, catenae *ἕλξει,* ad ipsius pulchritudinis puram formam trahentis *μανίᾳ σώφρονι τῶν ψυχῶν, ὅσαι* vel

αἱ Ζηνὸς ἐγγὺς καὶ θεῶν ἀγχίσποροι

φησὶν ὁ τραγικός. Quare vellem, Bekkerus aliquando indicaret, ex utro fonte, Codice an ingenio, manaverit interpolatio illa.

unde nati sunt Gigantes, qui porro proseminarunt Phaeacas vel universe Homines. Ob quam cognationem Musae apud Hesiod. Theog. 50. in Olympo concelebrant validorum simul Gigantum Hominumque γένος, hoc est, originem, ortum. [3]) Quo sensu etiam σπέρμα ponitur, ut a Sophocle Oed. T. 1069. Herm. τοὐμὸν σπέρμ' ἰδεῖν βουλήσομαι· quod rursus gl. reddit, γένος γνῶναι. Hinc θεῶν ἀγχίσποροι, a diis proxime sati, creati. Optime igitur Homerum suum intellexit Tragicus ille. Sed Homerus ipse num intellexit, quid sibi voluerint prisci illi, quos secutus est, doctrinae Cosmologicae auctores? Hoc negat Hermannus in Dissertatione illa, quam laudavi in margine, scribens p. II. „Alterum, quod in explicanda Hesiodi Homerique mythologia maximum momentum habet, illud est, quod hi poëtae ita fabulas istas referunt, ut eos sensum eorum plane ignorasse appareat.“ Hoc fortasse cadat, si dicere fas est, in Hesiodum: in Homerum non cadit. Hesiodus enim nihil aliud nisi dispersas antea nulloque vinculo inter se nexas fabulas in unum corpus vel systema omnium primus ita illigavit, ut, quoad eius fieri posset, apta omnia et tamquam in emblemate vermiculato structa viderentur, de sensu eorum, quae retulit, si forte parum sollicitus, at magni tamen et admirabilis conditor operis, quod integrum in manus nostras non pervenisse dolendum

3) Hic valde laetor, Hermannum in eandem mecum loci Hesiodei, adhuc a nemine intellecti, interpretationem, quamvis alia via, delatum esse in dissertatione de Mythologia Graecorum Antiquissima, ubi p. IX. Γίγαντας interpretatur Genitales et deinceps ita pergit: Iam minus, opinor, mirum videbitur, Hesiodum v. 50. homines et Gigantes coniungere: quo loco non videtur dubium esse, quin hominum originem et generatores dicere voluerit.

est. At Homerus, de Heroum magis quam Deorum origine sollicitus, 4) Deos, non nascentes sed natos, tamquam rem in facto positam, ortu divino factisque Heroum comprobat et iis quidem tantis, quanta perpetrare suorum aequalium nemo, *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*, posset, potuisse autem illos, quippe a Diis proxime ortos, *ἀγχιθέους*, a Diis recentes, quibus adeo versari cum his tamquam familiaribus licuerit et vitam agere deorum vitae simillimam. Unde orta est praeclara sententia, per omnem late fusa Veterum litteraturam, id esse optimum quod sit antiquissimum,

4) Nec magis ille sollicitus fuit de nominibus Deorum. Etsi enim non alienus erat ab ea ratione, qua postea abusi sunt in primis Tragici, quid involutum lateat nominibus Heroum, etymologico quodam modo eruendi, quod testantur Ilias *ζ*. 403. et Odyssea *τ*. 406 — 409. tamen nusquam nec vola nec vestigium huius studii, in nominibus Deorum explicandis positi, in his carminibus exstat. Nec mirum. Erant enim haec nomina a summa Antiquitate propagata, peregrina, ex Aegypto, ut Herodotus scribit II, 52. translata et a Pelasgis quasi per manus tradita Hellenibus, quorum classes quasdam constituere et alterum ab altero cognominibus muneribusque distinguere Homerus et Hesiodus secundum Herodotum primi omnium instituerunt, nomina Deorum ipsa interpretari et rimari neutiquam curantes. Sero in hoc studium sed ludicram magis quam seriam rem agens incubuit Plato: quo successu, constat. At Hermannus, in Scholasticorum, qui Nominales vocantur, castra transgressus et, nominum cognitione rerum quoque cognitionem contineri, cum illis professus, non Deorum modo sed Heroum etiam nomina novo quodam et inaudito adhuc more interpretrari instituit, vertens v. c. *Περίβοιαν* (De Mythol. Gr. Antiquiss. p. XXIII.) Bubulinam, cui cognatam esse suspicor Bobelinam, nostrae aetatis Heroinam, quae hodieque maximas res gerit, atque utinam porro gerat, in Graecia. Ex qua prosapia natum est illud Eissneri

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

quippe profectum ab hominibus, posteris longe melioribus, immo a Diis ipsis traditum et acceptum. Plato Phileb. 18. p. 30. Stallb. Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ, ποθὲν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί· καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων — Ubi Schützius, corrigens, εἰ μὴ ποθὲν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη, et vertens, nisi forte iis a Prometheo nescio quo, una cum igne purissimo ac splendidissimo, ereptum fuerit: laudatur quidem a Stallbaumio, quamvis in alia omnia abeunte, sed culpandus potius erat tamquam insignis loci elegantissimi corruptor. Nec ipse locum satis accurate tractavit Stallbaumius, vir doctissimus, acquiescens fere iis, quae de formula, ἐγγυτέρω θεῶν οἰκεῖν, ante eum attulerat Baumgarten-Crusius partim in peculiari libello de Philebo Platonis, quem non vidi, partim in Recitatione de studiis philologicis, quae exstat in Actis Seminar. Reg. et Societ. Philol. Lips. curante Beckio Vol. I, p. 24. Et hic quidem poetici aliquid coloris locutioni illi inesse sensit, sed fontem, unde eam derivavit Plato, indagare non potuit. Ergo antea verterat, ab ipsis proxime diis ducere originem, quod potius est ἐγγὺς θεῶν εἶναι, deinde hoc significari vidit, uti Diis familiariter, conversari cum illis. Hoc verum est. Plane ita de Diis, quos ante reges mortales Aegypto praefuisse sacerdotes Aegyptii narrabant, scribit Herodotus II, 144. τὸ δὲ πρότερον τῶν ἀνδρῶν τούτων, θεοὺς εἶναι τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἄρχοντας, οἰκέοντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι, ex palmaria Le-Febvrii emendatione, quam probatam pridem Wesselingio, tandem in

contextum inferre non dubitavit Schaeferus, vir eximius, pro futili lectione *οὐκ ἐόντας ἅμα τοῖσι ἀνθρώποισι*, quae nunc ita a nobis composita est, ut nunquam reviviscere possit. Hoc primum erat. Deinde Stallbaumius rursus, nisi fallor, cum Baumg. Crusio affert similem Dicaearchi locum ex Hugonis Grotii libro de Verit. Relig. Christ. I, 16. n. 33. repetitum, quem praestat describere e Porphyrio de Abst. IV, 2, p. 295. Rhoer. *Τῶν τοίνυν συντόμως τε ὁμοῦ καὶ ἀκριβῶς τὰ Ἑλληνικὰ συναγόντων ἐστὶν καὶ ὁ Περιπατητικὸς Δικαίαρχος, ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγούμενος τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν φησι γεγονότας βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι.* Tandem commode ab editore Philebi comparatur locus Ciceronis Tusc. Disputt. I, 12. Poterat tamen addi II, de Legg. 11. Iam ritus familiae patrumque servare id est — quoniam Antiquitas proxime accedit ad deos — a Diis quasi traditam religionem tueri. Ubi simul notandum est verbum tradere, respondens graeco, quo usus est Plato, *παραδιδόναι*, quae sicut traditio et *παράδοσις* sedem in hac re habent. Suidas v. *Εὔμολπος· οὗτος ἔγραψε τελετὰς Δήμητρος, καὶ τὸν ἐς Κελεὸν ἄφιξιν, καὶ την τῶν μυστηρίων παράδοσιν, τὴν ταῖς θυγατράσιν αὐτοῦ γενομένην.* Quem locum illustrat Ruhnkenius ad H. in Cerer. 482. (Conf. Aristoph. Av. 540—43. Tibull. II. 1, 2. Ritus ut a prisco traditus exstat avo. Gellius XVI, 5.) His addendus est tertius locus Ciceronis II, Legg. 16. conformatus ad exemplum Xenophontis I, Memor. 3, 1. IV, 3, 16. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optumi: de quo quum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas

potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, Eas quae essent in more maiorum. Quo quum iterum venissent, maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum, quaesivissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis, respondit, Optimum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et Deo proximum, quod sit optimum. Ubi commode Turnebus adscripsit Hesiodi locum, Fragm. p. 348. ed. Clerici, quem apud Gaisfordum non inveni:

ὥς κε πόλις ῥέζησι· νόμος δ' ἀρχαῖος ἄριστος.

Et hic quidem huic commentationi finem imponere apud animum constitueram, quum ecce subito resurgens iterum arma me capere cogit nondum, quod putaveram, debellatus Oromedon, hospitio interea et tutela usus Theocriti, qui VII, 45—48. sic scripsisse fertur:

ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Hic locus magis veteres grammaticos exercuit quam recentiores interpretes et editores, qui sicco propemodum pede eum transierunt, tantum quod Casaubonus scribit, quem reliqui sequuntur, Lectt. Theocritt. c. IX. Probo eam interpretationem, quae Oromedontem esse montis nomen statuit. Videtur namque mons ille a Gigante ibi occiso (ubinam? Nempe in insula Co, quam scenam huius Idyllii esse cuncti ponunt interpretes, excepto Heinsio Lectt. Theocritt. c. XII. quem vide) a Gigante igitur, ait, ibi occiso et obruto sic esse dictus videtur. „Oromedon gigantis est nomen. Propertius,

Te duce vel Iovis arma canam, coeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis."

Non ita creduli fuerunt Scholiastae, quorum unus scribit: *ὁ δὲ νοῦς· μισῶ καὶ τέκτονα, ὃς ἐρευνᾷ οἶκον τελέσαι μέγεθος ἔχοντα τῆς τοῦ ὄρους κορυφῆς·* hactenus dubitans, quid nomine *Ὠρομέδοντος* faciat, addens tamen deinceps, *ἢ ὄρος ἐν Κῷ, ἀπὸ Ὠρομέδοντος τοῦ τῆς νήσου βασιλεύσαντος,* ubi duo Codd. habent *τῆς Νάξου.* Notandum autem est hoc postremum additamentum propterea quod Oromedon quidam, pater reguli Cilicis, cuius non tam nomen quam titulus, sicut omnibus Ciliciae regibus, proprius erat Syennesis, (non Syennensis, ut ridicule scribit Burmannus ad Propertium p. 574.) inter media nomina barbara nauarchorum Persicorum apud Herodotum VII, 98. commemoratur. Conf. Aeschyli Pers. 332. Alter Scholiastes minus etiam confidenter scribit, *ἐν τῇ Κῷ φασὶν εἶναι τοῦτο τὸ ὄρος.* Sed quisnam tandem hoc dicit? Ego neminem novi praeter hos Scholiastas. Ignoravit etiam Plinius, qui scribit H. N. lib. V, 36. Nobilissima autem in eo sinu Cos, ab Halicarnasso quindecim mill. passuum distans. — Mons ibi Prion. (quod nomen respondet quidem graeco *Πρίων,* Serra, sed esse potius videtur idem quod *Πρηὼν,* eminentia, vertex montis. Sic promontorium inter Aegium et Patras in Achaia proprie dictum fuit *Ῥίον,* et oppositum ei promontorium *Ἀντίῤῥιον.* Pausanias VII, 22, 7. et quos laudat Pinedo ad Steph. Byz. in v.). Pergit Scholiastes: *καὶ Διονύσιος τὸν Πᾶνά φησι παρὰ τὸ μέδειν τῶν ὀρῶν* — Haec ista est interpretatio, quam suam fecit Passeratius ad Propertium, ut Oromedontis, qui ferebatur adhuc, Gigantis nomen corruptum explicaret. Atqui nec Propertius Gi-

gantem dixit, nec Dionysius Pana dicere potuit Oromedonta, sed Eurymedonta, late dominantem. Hoc colligo e Statii Theb. XI, 32.

Hinc premit Eurymedon, cui rusticus horror in armis,
Rustica tela manu, patriumque agitare tumultum.
Pan illi genitor.

Post illa, quae modo descripsi, pergit Scholiastes: *ἄλλοι τὸν ἥλιον — εἶναι τοιοῦτον* (*φασίν*.) quod disertius ita explicat tertius Scholiastes: *οἱ δὲ τὸν ἥλιον ὡς βασιλεύοντα τῶν τεσσάρων ὡρῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ.* Qui in hac haeresi fuerunt, eos manifestum est non *Ὠρομέδοντος* legisse apud Theocritum, sed

Ὡρομέδοντος.

Atque sic Solem designari a scriptore aliquo potuisse, quum res ipsa loquitur tum Plutarchus demonstrat Quaestt. Platon. p. 1007. D. Tom. V, p. 101. ed. Wyttenb. *Οὕτως οὖν ἀναγκαίαν πρὸς τὸν οὐρανὸν ἔχων συμπλοκὴν καὶ συναρμογὴν ὁ Χρόνος οὐχ ἁπλῶς ἐστὶ κίνησις ἀλλ', ὥσπερ εἴρηται, κίνησις ἐν τάξει μέτρον ἐχούσῃ καὶ πέρατα καὶ περιόδους· ὧν ὁ ἥλιος ἐπιστάτης ὢν καὶ σκοπὸς ὁρίζειν καὶ βραβεύειν καὶ ἀναδεικνύναι καὶ ἀναφαίνειν μεταβολὰς καὶ*

Ὥρας, αἳ πάντα φέρουσι·

καθ' Ἡράκλειτον, οὐδὲ φαύλων οὐδὲ μικρῶν ἀλλὰ τῶν μεγίστων καὶ κυριωτάτων τῷ ἡγεμόνι καὶ πρώτῳ θεῷ γίνεται συνεργός. Quem locum integrum descripsi quo commodius comparetur cum eo quem statim describam. Nam singulari casu accidit, ut quod de Sole pronuntiasse Heraclitum sine dubio Ephesium narrat Plutarchus, non totidem quidem verbis sed ad sententiam tamen idem reperiatur apud Heraclitum vel Heraclidem

Ponticum, in Allegor. Homericis p. 417. Gal. (p. 24. Schow.) ὁ ἥλιος ὁ πόῤῥωθεν ἀφεστὼς τῆς ἡμετέρας γῆς, ὡρῶν ἐπιγείων γεωργὸς, εὐκαίρως ἐφίσταται τῇ γῇ, χειμῶσιν ἀντιμετρῶν, καὶ πλωτοῦ ἀροτοῦ τε καὶ σπορᾶς ἀμητοῦ τε καὶ τῶν κατὰ γεωργίαν ἔργων αἴτιος γενόμενος. [5]) Et hic quidem formulam Heracliti, ὥρας, αἳ πάντα φέρουσι, satis verbose explicavit, usus caeteroquin voce etiam Heraclitea, ἐπίγειος, qua Philosophus Ephesius uti solebat de stellis, quas nutriri docebat ἐκ τῆς ἐπιγείου ἀναθυμιάσεως,

5) Hunc Heraclidae Pontici locum Creuzerus ad Historic. Graecor. antiquiss. Fragmenta p. 124. commode adhibet Platonis Sympos. XIII, 2. ubi Eryximachus medicus observationem Solis et quae eius siderumque vis et efficacia sit ad fruges et valetudinem, medici scientiam, ἀστρονομίαν vocari ait: ὧν ἐπιστήμη περὶ ἄστρων τε φορᾶς καὶ ἐνιαυτῶν ὥρας ἀστρονομία καλεῖται. Locus sanissimus, frustra sollicitatus a Schützio et Bastio. Talis astronomus fuisse perhibetur Titan ille, de quo supra dixi, apud Pausaniam II, 11. 5. Ἀναστρέψασι δὲ ἐς τὴν ὁδὸν διαβᾶσί τε αὖθις τὸν Ἀσωπὸν καὶ ἐς κορυφὴν ὄρους ἥξασιν ἐνταῦθα λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι Τιτᾶνα οἰκῆσαι πρῶτον, εἶναι δὲ αὐτὸν ἀδελφὸν Ἡλίου — δοκεῖν δὲ ἐμοὶ, δεινὸς ἐγένετο ὁ Τιτὰν τὰς ὥρας τοῦ ἔτους φυλάξαι καὶ ὁπότε ἥλιος σπέρματα καὶ δένδρων αὔξει καὶ πεπαίνει καρπούς. Conf. Pausan. VII, 23, 6. ut, quid sibi voluerit Eryximachus apud Platonem, plenius intelligas. Huius Τιτᾶνος sive Τιτηνίου, caeteris Titanibus antiquioris, qui solus contra Deos non pugnasse dicitur, mentionem etiam fecerunt Philochorus et Ister, eumque habitasse tradiderunt in campo Marathonio. Loca collegit Siebelis p. 84. et p. 51. Haec fabula obscura est, nec magis clara, quam quae de Typhone Astronomo inter Arcadas προσελήνους narratur ab utroque Scholiasta Apollonii Rhod. IV, 264. Hoc alibi lectum non memini, ait Heynius Opuscc. Acad. Tom. II, p. 346.

explicante Schleiermachero p. 401. Ergo ex eodem fonte hauserunt Plutarchus et auctor incertus, qui scripsit Allegorias Homericas. Nullo tamen modo apparet, qualem *δόμον Ὠρομέδοντος* vel Theocritus, si ita scripserit, quod nullam habet probabilitatem, vel is, qui hanc lectionem secutus esse videtur, intelligi voluerit. Abiecto igitur hoc commento, videamus potius, an certius aliquid elici possit ex observatione Scholiastae postrema, *ἄλλοι μοιχὸν Ἥρας εἶναι τοιοῦτον φασίν.* Hinc manifesto efficitur, fuisse, qui apud Theocritum legerent,

Εὐρυμέδοντος.

Eurymedon enim non Oromedon ferebatur vulgo Junonis adulter, quod supra satis demonstravimus. Sic prorsus evanescit mons Oromedon, eique imponitur Eurymedon gigas, cui Casaubonus montem Oromedonta imponere volebat. Et sic claris litteris legitur in Codice vetusto Mediol. et duobus Vaticanis, teste Gaisfordo. Quodsi igitur scripsit Theocritus, quod eum scripsisse nullam non habet probabilitatem, *Εὐρυμέδοντος,* quaestio iam oritur, quamnam intelligi voluerit domum Eurymedontis. Et potest quidem universe intelligi domus Gigantea, qualis conveniret Eurymedonti Gigantum vel Antiphatae Laestrygonum regi, cuius quam immensam speciem informaverit Homerus, ex hoc eius loco apparet Od. κ, 111.

ἡ δὲ μάλ' αὐτίκα πατρὸς ἐπέφραδεν ὑψερεφὲς δῶ.
οἱ δ' ἐπεὶ εἰσῆλθον κλυτὰ δώματα, τὴν δὲ γυναῖκα
εὗρον, ὅσην τ' ὄρεος κορυφὴν, κατὰ δ' ἔστυγον αὐτήν.

Quanta autem domus quam immensae magnitudinis, cuius habitatrix regina magni instar montis ipsa erat corporis magnitudine! Vel potuit Theocritus ob oculos habuisse mira illa Graeciae aedificia, quae *Κυκλωπίδες ἑστίαι* dicuntur Euripidi Iphig. Taur. 824, Mycenas intelligenti, quas ipsas, certe Argos, Euphorion dixit *Εὐρυμέδοντος πόλιν* in Etym. M. p. 687. 32. hoc est, ut ille explicat, Persei, cuius iussu Cyclopes Mycenas condidisse feruntur, urbem: *Εὐρυμέδων δὲ ὁ Περσεὺς ἐκαλεῖτο.* Apollonius Rhod. IV, 1513. Sive vero hanc assumas sive illam interpretationem, hoc certe in dubitationem adduci nequit, perstringere hoc loco Theocritum pravam illorum temporum consuetudinem, quae Alexandri M. aetate increbrescere coepit, excitandi immensa et modum omnem excedentia aedificia v. c. Alexandriae, quam metatus erat Dinocrates (Dinochares) architectus, iam tum, ut scribit Plinius H. N. lib. V, c. 11. quinta situs parte regiae dicata. Ergo Eurymedontis nomine ipse fortasse Alexander sugillatur, sicut Dinocrates *τέκτονος*, ut legi etiam possit pro *Ὠρομέδοντι*, quod habet liber Medic. probantibus Reiskio et Brunckio, *Εὐρυμέδοντι*. Et hoc sane maximam habet verisimilitudinis speciem:

ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Εὐρυμέδοντι.

Sed nos, Oromedonta debellasse contenti, Theocritum scripsisse nunc ponimus:

ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Εὐρυμέδοντος.

Propositum mihi erat, una et altera Commentatione porro demonstrare, quot quam foeda nominum monstra alat contextus Propertii, sicut hodieque constitutus circumfertur. Sed nunc tempore et spatio excludebar. Relinquamus igitur hanc procurationem Paldamo. Quum tamen chartae aliquid superesse narret typographus, age vacuum huius plagulae spatium expleamus novo eoque singulari exemplo. II, 28. 51.

Vobiscum Antiope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae:
Et quot Troia tulit vetus et quot Achaia formas,
Et Phoebi et Priami diruta regna senis.

Sic Codd. et Edd. veteres. Enimvero nec Troia hic ferenda, quum sequantur Priami regna, nec Phoebi regna alias ob causas. Ergo Scaliger, reperta in Cod. Cuiac. variante Hioa et eadem manu in margine Hiona, nihil curans litteram priorem H, ego, ait, puto eum dixisse Iona pro *'Ιωνία*. Et hanc temerariam emendationem ut ipse in contextum intulit, ita qui secuti sunt edd. omnes, praeter Lachmannum, qui, quod peius est, totum distichon cancellavit, id est, obelo notavit. Tolle cancellos et accipe: Scaligerum deceptum esse nomine graeco latinis litteris expresso ab imperito scriba. Nimirum grammaticus aliquis vocem Propertii latinam in margine expresserat graeca *ΗΦΘΙΑ=ΗΟΟΙΑ*. Hoc latinis elementis imitantes alius mutavit in Hioa, alius omisso primo elemento, hoc est, articulo *'Η* corrupit in Troia, alius denique in Phoeia vel Phoebia, unde fluxit in versum minorem Phoebi pro Thebae. Nam in commentario Anton. Volsci ad ed. Venet. 1488. quae habet Troia-vetus, pro his verbis legitur, Phoebia vetus, monstrum librario imputandum, non A. Volsco, qui quid in cod. suo legerit, quid ipse scripserit, satis demonstrat hoc additamento: „phoebia Achillis patria: quae incertum est apud Homerum regio sit an urbs. alii graeciam ipsam: alii achaiam esse dicunt.“ Quod quid aliud est quam *ΦΘΙΑ* vel cum articulo *'Η ΦΘΙΑ?* Hinc lucramur lectionem praestantissimam, Propertio nullo unquam tempore eripiendam:

Et quot Phthia tulit vetus et quot Achaïa formas.

EPISTOLAE
VIRORUM DOCTORUM
INEDITAE
AD
SANTENIUM ET EDITOREM.

I.

LAURENTIO SUO
IOANNES DOMINICUS COLETIUS
S. D. P.

Ea, quam mihi in Naniano Codice conferendo demandasti, provincia in causa est, ut tardiori, quam par erat, calamo utar. Opus illud mihimet impositum omnique diligentia perfectum scias, quod hic habes cum Vulpiana editione sive Cominiana probe collatum. Sic et sumptui et ignorantiae amanuensis consultum credo. Iam quid de ipso Naniano Codice sentiat eruditissimus Iacobus Morellius Marcianae Bibliothecae pro — Praefectus, accipe: In libro enim, cui titulus „Codices Manuscripti Latini Bibliothecae Nanianae a Iacobo Morellio relati Venetiis 1776 in 4." haec legas velim pag. 150:

„CVIII.

„Codex Membr. in 8. Saeculi XVI.

„Codex haedinis pellibus nitidissimus, diligentia „summa levigatis, auro minioque depictis constat. „Catulli textus pro veteri carminum corruptione „satis emendatus, pro jam praestita correctione „satis mendosus. Quamquam nonnullam varietatem affert, quae despicienda minime sit, ut in „Carmine de Nuptiis Pelei et Thetidis versu duodevigesimo, pro edita receptaque lectione,

„Nutricum tenus extantes e gurgite cano:

„in Manuscripto est,

„Umbilicum tenus extantes e gurgite cano. *) Haec ille. Licet ab ejus sententia discedam, Codicem nempe illum esse saeculi XVI; credo namque ad saeculum potius XIV. pertinere ex ipsa characterum forma. Cuius vero fuerit Codex ille, quave ratione in Nanianas manus pervenerit, omnino incompertum; etenim Eques Iacobus Nanius nec meminit, quo illum iure acquisierit, neque, licet diligentissimus, in suas schedas retulit. Quod vero scribis de alio comparando Marianae Bibliothecae Codice, impossibile omnino est: Quae sacra sunt Principi, ea sibi quomodocumque vindicare, nefas esto. Nec plura, mi Laurenti. Quae pro te potui libens lubens praestiti, et praestabo, quoties mandatis tuis satis facturum me esse volueris. Utinam vires voluntati pares; possemque novis me tibi titulis devincire, tuamque benevolentiam potiori meliorique jure demereri. Exequor, quae iubes: in tenui labor, at tenuis non gloria, si quem Numina laeva sinunt. Ita et quae iusseris idem exequar. Me ama et Vale.

Dabam Venetiis ex Aedibus paternis XVI. Cal. Februarias MDCCLXXXIII. More Veneto.

*) Pessima lectio, metrum simul et modestiam iugulans. Et metro quidem succurrere voluit is, qui substituit apud Vossium, Umblicum tenus. Quod ferri nequit. Modestiam magis etiam laesit librarius, qui, teste Scaligero, reposuit, Iam crurum tenus. Et metro et modestiae satisfecit Catullus scribendo, Nutricum. Non audiendus est Fea praef. Horat. p. XII. H.

II.

LAURENTIO SANTENIO V. C.
IO. DOMINICUS COLETIUS SEB. F.
S. P. D.

En, Eruditissime atque Humanissime Laurenti, Collationem et ex ea variantia Catullianae Elegiae LXVII ex Nanniano Codice. Nullus apud cl. Virum Equitem Farsettium Catulli Codex, quem per errorem in illius Bibliotheca custodiri tibi per epistolam significaveram. Iam vero Nannianus Codex Saeculo XV exaratus nitidissimus est et membranaceus auro minioque illitus: meo tamen iudicio, ut videbis, in paucis probandus. Si integram desideras caeterorum carminum Collationem, libens dabo, ut iusseris. Farsettius tibi salutem reddit plurimam, teque hominem omni laude dignissimum et amat et praedicat. Morellius etiam Marcianae Bibliothecae Custos te meo nomine salutat; Vir aetate et ingenio florens. Averanii, quam commemoras, editionem videre non licuit. Apud Dominicanos in celebri Zeni Bibliotheca mihi nuntiatum est asservari: sero tamen, ut hisce litteris tibi facere satis ne possem, ob loci distantiam, et rerum gerendarum, quibus obruor, copiam. Alia epistola tuum desiderium implebo, ut spero. His super nihil. Vale, vale, et me, ut facis, ama. Dabam Venetiis ex Aedibus Paternis V. Cal. Octobres MDCCLXXXIII.

III.

ERUDITISSIMO VIRO
LAURENTIO SANTENIO
IO. DOMINICUS COLETIUS SEB. F.
S. D.

Si quid mihi, Santeni ornatissime, tuis in litteris de Forcellinio et Flaminio, deque exscribendis Catullianis Codicibus significavisses, tuo certe desiderio ea, qua par erat, diligentia fecissem satis. Verum de his in priori tua, quam commemoras, epistola, et quam iterum legi, ne verbum quidem. Forte iubendi scribendique animus fuit, dein memoriâ negotium excidit. Nunc quae primum intelligo, libens exequar, ut ex Fratre meo Nicolao accipies. De Codicibus vero exscribendis haec habeas velim. In Naniana Bibliotheca duo Codices asservantur, qui saeculo XV antiquiores non sunt, et in Farsetiana alius eiusdem aetatis. Alios Venetiis custodiri non comperi, nisi forte in privatis pluteis delituerint. Illos porro exscribere inutilem rem existimo, cum in paucis, ut credo, ab editis discrepent. Optimum esset, mea quidem sententia, illos potius cum Vulpiana et Alliana editione conferre, et si quae variantia occurrent, in schedas referre. Hoc consilium si arridet, opera mea utere; sin minus, mandatis tuis ea, qua scripseris, ratione meum erit parere. Celebrem Avunculi mei Francisci Corradini ab Allio Catulli editionem nominavi, quam, etsi caeteris rariorem, prae oculis te habere non dubito. Iam vero duo haec abs te peto, an scilicet cl. Saxius post secundum Onomastici Litterarii tomum, tertium etiam ediderit, et an a Wyttenbachio promissa Plutarchi editio in lucem vene-

rit? Nec plura; temporis enim et agendarum rerum angustia premor. Te mihi et bonis omnibus literariae Reip. commodo et honori D. O. M. quam diutissime incolumem servet. Vale.

Dabam Venetiis ex Aedibus Paternis Prid. Id. Maias MDCCLXXXIII.

IV.
LANGERI EPISTOLA AD SANTENIUM. *)

à Wolfenbüttel ce 13 Fevr. 1784.

Monsieur,

J'en veux du mal à mon Etoile de ce qu'il m'a fait faire quelque séjour à Leide, sans m'avoir permis de faire la connoissance d'un Savant, qui sait si bien mériter des Lettres. Je n'en suis pas moins faché, que Votre obligeante lettre du 1er Juin, ainsi que le beau Properce, dont je Vous fais mes remercimens les plus empressés, me soyent parvenus si tard. Notre ami Gervinus, arrivé luimême à Göttingue plus tard qu'il n'avoit crû, avoit confié le paquet à quelqu'un, qui tomba malade en chemin, si bien que la pacotille ne m'est parvenue, que sur la fin du mois passé.

Vous ne serez donc pas surpris de voir arriver si tard l'échantillon des Variantes, qui paroissent Vous tenir tant au coeur.

Je les ai tirées de 3 Manuscrits appertenans à la Bibliothèque Ducale. Tous les trois paroissent avoir été écrits entre 1400 et 1450; ainsi ce n'est

*) Respondet Langerus Santenio ad Epistolam, quam nuper edidit Ebertus V. Cl. ad Vitam Danielis Wyttenbachii etc. p. 279. ed. Friedem.

guère du coté de l'antiquité, qu'ils brillent. Ils sont tous écrits sur velin, et deux, savoir b et c. sont enjolivés dans le goût du 15^{me} Siècle. A et B viennent du Cabinet de Marquard Gudius qui probablement les avoit acquis en Italie. Le troisieme marqué C. se trouve depuis long-tems dans la bibliothèque Ducale, et quoique il n'y ait nulle notice historique là dessus, il a tout l'air de provenir de celle de Mathias Corvinus Roi de Hongrie. La reliûre ainsi que les enjolivemens interieurs sont tout semblables à d'autres, qui ont échappé à la destruction de la même Bibliothèque. Il n'a pas de doute qu'il n'ait été copié en Italie aussi, ou le Roi Mathias entretenoit quantité de Copistes. D'ailleurs le caractère de l'écriture est l'Italique.

Le Manuscrit, qui me semble tant soit peu plus ancien que les autres, est in 12^{e}. Toutes les Variantes, qui n'ont pour marque ni *b*, ni *c* sont tirées de celui-ci. Le second Manuscrit indiqué par *b* est un petit in 4^{to}, qui se distingue par les bêtises de ses Variantes. Le troisième marqué par un *c*. est un in 8^{vo} fort rogné, et renferme encore un Tibulle et Properce écrits de la même main. Sa leçon approche le plus de votre copie, et paroit avoir quelques Variantes assez heureuses.

Notre Edition inprimée la plus ancienne des 3 Poëtes Erotiques est de Venise 1486 in folio avec des amples Commentaires.

Pour ce qui est d'une Copie entière de nos 5 Catulles, je ne sais en verité pas, comment m'y prendre pour Vous contenter. Notre ville, comme Vous avez dû voir par Vos propres yeux, est un petit endroit, abandonné des Dieux et des hommes. Il ne s'y trouve personne absolument, qui veuille, et qui puisse se charger d'une pareille Copie. Moi,

qui n'y suis guère stylé non plus, je me trouve entiérement seul, et tellement surchargé de travail, que bien souvent ma santé et ma patience s'y refusent. Qui plus est, sous peu de semaines je me vois menacé d'un voyage nullement littéraire à faire pour les Interets du Duc mon Maitre. A moins donc que d'ici en six semaines je ne sois en état de Vous indiquer quelque moyen plus court, il faudra que Vous ayez recours à celui que j'avois marqué dans ma lettre à Mr. Gervinus, lorsqu'il étoit encore à Leide. Ou bien essayez de Vous adresser à Mr. le Professeur Wernsdorf à Helmstädt, fort galant homme, et que Vous connoissez deja. Peut-être que celui-ci trouvera quelque Copiste assez habile dans son Académie; et pour la permission, de lui envoyer les Manuscrits en question, on ne la lui refusera pas. — Quant à l'édition des Offices de Ciceron, les nouvelles publiques ont dû Vous informer, qu'elle a été enfin donnée par le fils de feu Mr. Heusinger. — Faites agréer, je Vous prie, mes honneurs les plus empressés à Mr. Ruhnkenius, et tenez Vous persuadé, que je saisirai toute occasion de prouver le devouement avec lequel je suis tout à Vous.

L.

V.

LAURENTIO VAN SANTEN
VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
ANGELUS MARIA BANDINIUS
S. D. P.

Litteras Tuas humanissimas, Vir Praecellentissime, quibus mecum agis de quorundam huius Bibliothehae Laurentianae Codicum Catulliana

Carmina continentium collatione, lubentissime accepi, quum ex his benevolentiam erga me singularem, et studium Tuum de humanioribus litteris bene merendi, clare aperteque perspexerim; sed, quominus responsum antea dederim, negotia varia, quibus quotidie distrahor, impedimento fuerunt; his tandem solutus, petitioni tuae morem gerere paratus sum. Duo autem a me petis, quorum alterum est collatio quatuor MSS. Codicum cum exemplari aliquo edito ineunda; alterum accurata descriptio eorum omnium, quae Angelus Politianus, vir celeberrimus, manu sua ad marginem editionis Anni MCCCCLXXII adnotavit. Quoad primum, velim tibi persuadeas, eam me in conferendis praedictis Codicibus diligentiam adhibiturum, ut voluntati Tuae quam plenissime satisfiat, quum praecipue ea sit, meo judicio, Codicum praestantia, ut vel minima quaeque, in quibus ab impresso discrepent, digna sint quae religiosissime describantur. Totum autem hoc opus infra duos menses omnibus numeris absoluturum me Tibi sancte polliceor, totidem doctis hominibus, quot sunt Codices, iisque in eiusmodi studiorum genere maxime versatis, adiutrices mihi manus suppeditantibus. Ad alterum vero quod attinet, ad eorum scilicet omnium, quae Politiani manu in editione Anni MCCCCLXXII. notata in meo Catalogo animadverti, descriptionem, quum re melius considerata, aliqua mihi deinceps suspicio suborta sit, Politiani ne revera sint, an alterius animadversiones, correctionesque in editionis nostrae marginibus adpositae, contra vero certissime Politiano adscribenda sint adnotamenta illa, quae in altero eiusdem editionis exemplari, quod Romae in Bibliotheca Corsinia adservatur, in meo ibidem Catalogo, ut ex monito ipsius Politiani, quod integrum retuli, videre est; melius Tibi con-

sultum fore existimaverim, si ex Corsiniano potius, quam ex nostro exemplari eorumdem descriptionem tibi comparares. Hac super re litteras ad Amicum meum Ioannem Christophorum Amadutium in archigymnasio Romanae sapientiae Litterarum Graecarum Professorem, et editorum operum fama illustrem dedi, qui hisce mihi verbis vernaculo sermone rescripsit: „Ad Corsiniam Bibliothecam me contuli, et editionem A. MCCCCLXXII Politiani nobis instructam diligenter inspexi, de quibus haec sentio: eae mihi videntur tumultuarie et sylvarum instar potius quam studii gratia ab ipso exaratae; aliquibus in locis crebrae, rariores alibi, et interdum nullae, quaedam etiam ab ipso auctore postea erasae. Liber ipse partim aevo partim madore, quippe bombycinus, non parum damni perpessus est, ita ut scriptura alicubi evanida, oculorum aciem paene effugiat, et propterea ex longioribus quandoque Politiani animadversionibus vix pauca expiscari liceat. His adde Bibliopegi alicuius imperiti oscitantiam, qui in religando Codice, dum illum undequaque tondere satagit, integras interdum lineas e superiori et inferiori margine resecavit, et in laterali voces partim totas abscidit, partim mutilavit; unde fit, ut orationis sensu interrupto, quae Politianus meditatus est, ea vel diligentioris cuiusque descriptoris captum eludant. Quae quum ita sint, vides profecto, vir doctissime, provinciam hanc nonnisi docto aeque ac patienti Viro demandari posse, ac propterea, quum huius generis homines perquam rari sint, non parum impensae requiri, ut par labori merces reddatur.“ Hactenus amicus meus, quem iterum per litteras pluries rogavi, ut omnimode Scriptorem Vaticanae Bibliothecae perquirat, et quid pro huiusmodi opera postulet pretii, me certiorem faciat. Interim,

dum eius responsum exspecto, quae per me Tibi praestare ipse possum, quantocyus parabo (collationem nempe praedictorum MSS. et descriptionem eorum omnium, quae in duabus editionibus, altera anni MCCCCLXXII. et altera anni MCCCCLXXXI. fol. sunt ad marginem adnotata, et quorum aliquod specimen adiuncta pagella Tibi exhibebit) si de pretio inter nos conveniet. Pro collatione igitur viginti nummos aureos persolvere non gravaberis, quum quatuor saltem virorum cl. operam, ut ea rite peragatur, mihi in auxilium vocare necesse habeam; totidemque pro descriptione Observationum etc. Totius autem summae dimidia pars in ipsa Operis inchoatione, altera vero post absolutum opus, in ipsa schedarum mearum traditione, ut mihi heic ab aliquo mercatore persolvatur, operam dabis.

Tandem Te monitum volo, in Bibliotheca Riccardiana exstare alia duo Exemplaria MSS. Catulli, in quorum altero omnia eius Carmina contineutur, in altero Epithalamium tantummodo, et istud cum glossa interlineari. Habeo etiam inter meos Libros editionem Catulli Aldinam A. MDII. adscriptis in margine antiqua manu saec. XVI. ineuntis nonnullis variis lectionibus satis bonis. Horum quoque si collatio Te iuvat, Te monente suscipiam. Vale, Vir doctissime, et cl. Ruhnkenio Polyhistori Batav. salutem meo nomine dices plurimam. Dab. Florentiae VII. Martii MDCCLXXXIV.

Editio anni 1481. per Io. Renensem et Dionysium Bertochum etc. in fol. Vicentiae.	Adnotationes et correctiones manu Bernardi Pisani in dictam editionem.
Carmen I.	
Quoi etc. - - - - - -	Hinc legitur apud Plinium Praefatione; namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas f. y.
punice - - - - - - -	pumice
quidem patroa virgo - -	quod o patroa virgo Pontanus. quod ora per virorum.
Carmen II.	
et solatiolum - - - -	ut solatiolum
acquiescet - - - - -	acquiesset
sicut ipsa possem - - -	sic, ut ipsa possem
solvit - - - - - - - -	solvit διαίρεσις
suamque norat - - - -	dominam s.
pipillabat - - - - - -	pipilabat. pipilare passerum
tenebriosum - - - - -	tenebricosum

In calce harum adnotationum legitur: Bernardinus Pisanus haec adnotabat brumalibus vigiliis, collatis aliis exemplaribus secutus fidem probatissimi, qui (quod) fuit Francisci Puccii (fuit iste Puccius discipulus Politiani) Litterarum Laude insignis anno 1522.

Sequitur Editio anni 1472.	Correctiones et adnotationes marginales.
tecum ludere sicut ipsa possem	secum ludere sicut ipse possem. in marg.
et tristis - - - - - - -	supra corr. et tristeis
tam gratum est mihi - -	expung. est
quod zonam - - - - - -	in marg. solvere zonam novis nuptis institutum Lycurgi apud Plut.
ligatam - - - - - - - -	in marg. negabam
ipsam tam bene - - - -	in marg. at ipse
tenebriosum - - - - - -	corr. tenebricosum in marg. Utitur et Tul. in L. Pisonem, ex tenebricosa popina. et in Vatinium tenebricosissimum p.

Editio anni 1472. Textus editionis.	Correctiones et adnotationes in dictam editionem.
Carmen I.	
Arido modo - - - - -	Arida modo p.
Corneli tibi:	Corneli? tibi:
unus Italorum - - - -	Compendiarie scripsit historiam Italorum. p.
Qualecumque quidem patrona virgo - - - - - - -	Qualecumque quidem o patrona virgo p.
	Qualecumque per ora quod virorum p.
	Qualecumque quidem ora per virorum p.
	Pont. Qualecumque quod ora per virorum
	Qualecumque quod o Patroa virgo. alias.
Carmen II.	
eum desiderio meo nitenti -	superscr. i. ipsi puelle p.
ut cum - - - - - - -	corr. supra ut tum. in marg. ut tam
acquiescet - - - - -	acquiescat
tecum etc. - - - - -	secum etc.

Ex hisce animadversionibus, correctionibus, et variis lectionibus quarum specimen in hac schedula tibi obtuli, eae, quae adiunctam habent litteram p lineola notatam, sunt quae Politiani manum videntur exhibere, licet pro certo adfirmare non ausim; quae vero carent hoc signo, alterius sunt commentatoris, non tamen aspernandae.

VI.

DOCTISSIMO ET PRAESTANTISSIMO VIRO
LAUR. SANTENIO
ANGELUS MARIA BANDINIUS
S. D. P.

Litteras Tuas, Vir Clarissime, die Kal. Iunii datas nuper accepi, quae mihi iucundissimae fuerunt; ex his enim tam ardenti veterum Poetarum studio te mirifice incensum deprehendi, ut minus recte de optimis studiis mereri viderer, si Tibi aliquod per me impedimentum obiiceretur, quo minus illud explere quomodocumque posses. Ad Catullianum igitur negotium quod attinet, votis tuis obsecundare paratus sum, meamque potius rem privatam negligere, quam publicae studiosorum utilitati, quae ex opere, quod moliris, maxima obventura est, ullo pacto deesse. Conditiones itaque superioribus litteris Tibi oblatas ita temperabo, ut non amplius XX. sed XVI. Ducatorum aur. pretio Mediceorum simul et Riccardianorum Codicum Catulli carmina continentium collatio omnibus numeris absoluta Tibi peragatur. Hanc ego dum nulla interposita mora adgredior, opportunitatem aestivi temporis captans, (hiemali enim propter immane frigus, cui haec Medicea Bibliotheca obnoxia est, commoditatem illam, quae ad cuiusmodi studia recte excolenda necessaria est, frustra requiras) poteris ipse mercatori alicui provinciam dare, ut pactam mihi pecuniam persolvat, quae ad vestrae monetae genus redacta summam conficit ducatorum aureorum Hollandicorum sexdecim. De Corsiniano autem exemplari, quoniam rem totam meo arbitrio permittis, agam iterum per litteras cum Amico meo

Io. Christophoro Amadutio, viro eruditissimo, ut Giovenazzium adeat, eumque tuis verbis adhortetur ad id operis in se suscipiendum; quod in Tui gratiam facturum illum videris sperare. Utcumque res ceciderit, quidquid ab ipso hac super re mihi rescribetur, Tibi per litteras communicabo. Optimo et eruditissimo Ruhnkenio salutem dicito meo nomine quamplurimam. Vale. Dab. Florentiae XI. Kal. Iulii MDCCLXXXIV.

VII.

ULRICI FRIDERICI KOPP
EPISTOLA
AD
AUCTOREM COMMENTATIONIS
DE
C. ANNIO CIMBRO LYSIDICI F.
CUM ANNOTATIONE ET EPILOGO AUCTORIS.

בגד!

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ!

FORS FVAT!

Quin Eduardo Tuo, qui tam praeclaris auspiciis professoris apud Rostochienses munus obiit, omnia illa acclamarem non potui mihi temperare. Nudius enim tertius est, Vir praestantissime, quo criticam Tuam de C. Annio Cimbro commentationem, illa oblata occasione editam, accepi, et diuturnam quasi sitim restincturus iam legi et relegi. Qua quum plura contineantur, quam in fronte pollicetur, id quod eruditionis Tuae et doctrinarum

ubertati debemus; non nulla etiam mihi, quamvis inter philologos neutiquam nominando, ex illis Tuis copiis sumere et in rem meam vertere licuit. Ne vero existimes, isthaec verba esse, et eo solum consilio a me prolata, ut blanda voce Te compellarem; accipe meas, qualescunque sint, observationes, ita ut in mentem mihi venere legenti.

Ac primum quae tralatitia Tibi (p. 12.) sunt literae C sors et vicissitudines, in eis palaeographus ego haesi. Namque huius Romanae literae et Graecae Gamma in eodem sono consensum atque concentum (e. c. in nomine Cajus) quominus a variata demum pronuntiatione originem traxisse cum grammaticis credam multa sunt impedimento: quippe qui melius profecto rem expediissent clariusque explanassent, si Graecae Gamma et Latinae C literarum olim unam eandemque fuisse et formam et potestatem docuissent. Id quod non solum in ordine literarum locus, qui a Graecis Romanisque utrique assignatus est idem, perspicue docet; sed antiquissimi etiam numi Gelae, Agrigenti, Morgatiae et Segestae, Siciliae urbium, nec non Aegarum Aeolidis, satis declarant, in quorum omnium inscriptionibus Graecis Gamma figuram habet hanc C, a Latinae C forma haud diversam. Praecipuae enim a Graecis usurpatarum huius literae figurarum hae sunt: ⌉, Λ, Γ, <, C. Neque est quod cum Lanzio (I, 210.) statuamus, Etruscos caruisse litera G, siquidem eorum Ɔ, aeque ac Romanorum C, non nisi ipsum Graecorum Gamma ab initio fuit. Cuius quidem Graeca pronuntiatio quum a Romanis sensim corrumperetur, sono deinde mutato, tandem evenit, ut apicem addendo novam fingerent figuram G, quae verum illum sonum redderet, Graecae originis tum prorsus obliti. Pari forte errore ducti iterum mutuati sunt a Graiis

literam Y, quam simili fere forma V expressam iam dudum habuerant. — Sed quid ego haec Tibi qui Xenophontem legisti (Cyrop. VII, 1, 3.) scribentem „hostes in orbèm circumventos fuisse [1]) expansis exercitus cornibus literae Gamma instar (ὥσπερ Γάμμα)“: quibus verbis cogitur huius etiam historici temporibus illius literae figuram fuisse hanc C, vel hanc <. Communis enim haec etiam utrique populo fuit, et Graecis (in marmore Eleorum, numisque Rheg. Segest. Agrig.) et Romanis (in epitaphiis Turpleiorum).

Salse quidem et facete (p. 13. 14.) quosdam barbare loquentes perstringis — et parum abfuit, quin meae conscius imperitiae continuo finem facerem huic epistolae. Sed ecce boni patres ecclesiae, quos consulendos duxi, omnes barbare scribentes benigne defendunt et tuentur. Ex quibus legas velim Arnobium, qui (adv. gent. I. p. 35.) „puerilis et angusti pectoris esse eiusmodi reprehensionem“ ait, et „quaenam est ratio naturalis“ pergit „ut hic paries dicatur et haec sella? — Humana ista sunt placita“. Scilicet divina solummodo Christianum decet spectare. Exemplo Tibi sit summus Romanae ecclesiae antistes, cuius verba marmori incisa in basilica S. Pauli adhuc leguntur haec: BREVE FACTA A ME GREGORIO TERTIO PAPAE DE OBLATIONES QVE OFERRE DEBENTVR cet. Huc igitur respice! Haec Christiani et humilis sunt viri: non phi-

1) Hostes ipsi incedebant acie instructa ὥσπερ Γάμμα. Eiusmodi acies γαμμοειδὴς a Xenophonte Anab. V, 2, 11. dicitur μηνοειδὴς παράταξις. Quam lectionem confirmavi in Commentatione de Vasculo Locrensi p. 6. De cuius vasculi inscriptione nunc vide accurate disputantem Rosium, virum eruditissimum, Inscriptt. Graec. Vetustiss. p. 92.

lologi et elati hominis. Sed forsitan te fugit, S. Hieronymum, humaniorum, quas perverse vocatis, literarum studiosissimum, reprehensum esse ab angelo, qui eum nequaquam Christianum, sed Ciceronianum nominandum censeret. Cuius utinam Ciceronis daemonem, quo et Tu obsessus es, volens ac propitius quidam inter Rostochienses Theologus tandem exorcizet et exsufflet, [2]) Teque rebaptizet! Id quod non solum ut Te ad frugem corrigat valde exopto; sed ut mihi etiam, barbare scribenti, hoc facto liceat omnem pudorem dimittere.

Aenigma Virgilianum (p. 23.) quod attinet, miror quidem ingeniosam Tuam dictionum compositionem „fratrem veneno, lectores verbis enecare": sed obstare videtur, quod poëta fratrem verbis Tau, Al, Min sublatum fuisse dicat. Namque scribens: „omnia ista verba miscuit fratri" in ipsis illis verbis letiferi quid haud lectoribus, sed fratri latere significat. Primum Tau Gallicum a Britanniae fluvio Taum (p. 37.) longius petitum mihi quidem videtur. [3]) Quodsi liceat coniecturis coniecturam addere, proponam Tibi, vanam fortassis etiam, quae sequitur. Ex Tabeo Galli fecerunt Taveo, sicut ex Ta-

2) vel exsifilet, hoc est, quod Homerus dicit, σιφλώσειε, sifilandum tradat, reddat, Il. ξ, 142. Priscianus p. 560. Sifilum quoque pro Sibilum, teste Nonio Marcello de doctorum indagine, dicebant. Nonius p. 531. Merc. Sifilare — quod nos vilitatem verbi vitantes sibilare dicimus; et est maledica vocis significatio vel contumeliosa popularium, quum sifilationibus quis exploditur — a Graeco ducere originem invenimus. Huius rei auctor est venerabilis Homerus lib. XIV. Iliad.

ἀλλ' ὁ μὲν ὣς ἀπόλοιτο, θεὸς δέ ἑ σιφλώσειε!

3) Vide, quae dicentur de hac re in Epilogo.

berna Taverna. Inde in glossis Latino Gallicis legitur „Tauus Σῆψις“ (Cang. h. v.) — et certe veneno putror movetur. Quid? quod Germanicae stirpis populis Taub olim erat „Mortuus“ (Frisch h. v.) quemadmodum Notkero et Otfrido Douen sonat „Mori“, Tauen „dissolvere“. Tawdd Cambris etiam est „Liquefactio“, nobis Auflösung (Boxhorn); atque in lege Salica (XXII. 3.) „Veneficium“ explicatur verbo Thou uespho, aeque ac in glossis Lipsianis „Venefici“ verbo Toufere s. Quibus omnibus ad hunc locum colligendis supersederem, si plane et diserte Virgilius Tau esse verbum Gallicum non dixisset. Sed ex supra adductis rationibus valde etiam dubito, Min illud esse pro „Mihine“ (p. 43.) et Al pro „Ala“ (p. 59.), quippe quas voces fratri mixtas non dixisset vates, si ita eas intelligi voluisset. In quibus tamen interpretandis augurari sine avibus nolim. Difficillima enim explicatu sunt eiusmodi decurtata verba, quae vera pronuntiatione neglecta sensim emergunt. Aeschyli quidem, ὦ μᾶ Γᾶ, πᾶ Ζεῦ! dilucide (p. 51.) explicasti: sed interpreteris velim apud Alexandrum Trallianum XII. p. 656. (XI. p. 657. ed. Basil. 1556.) inscriptionem hanc: μει (al. μευ) Θρευ μορ φορ τευξ ζα ζων Θε (φε) λου χρι γε ζε ων, et eris mihi Oedipo longe oedipior. [4]) Verba enim frequenter repetita, maxime

4) Accipio conditionem, modo mihi contra liceat hanc ferre, ut interpreteris antea centum amplius huiuscemodi formulas latinas graecasque, quas unus offert explicandas Marcellus Empiricus v. c. Cap. VIII. p. 58. ed. Basil. 1536. „In lamella aurea acu cuprea scribes,

ορυω ουρωδη,

et dabis vel suspendes ex licio collo gestandum praeligamen ei qui lippiet etc. Ib. p. 80. Digitis quinque manus eius-

ore vulgi socorde pronuntiata ac dissoluta, ita saepe deformantur, ut, nisi restituta, vix intelligi possint. Sed barbara ea esse aut nihil significantia, cum aliis, ea non magis intelligentibus, haud temere asseveraverim. Quare quae apud Catonem (de R. R.) passim leguntur eiusmodi verba ab antiquissimo tempore a rusticis saepius repetita non nisi pronuntiatione, vel etiam studio similem in pluribus sonum edendi, corrupta, aut obsoleta esse mihi quidem videntur. Ita quod (160) scribitur: „Huat hanat ista pista sista domiabo damnaustra“ fortassis est pro „Fuat (Sit) sanata ista pestis: Sistam (et) domabo damna astrorum. Certe in excerptis ex Symmacho apud Prudentium lego „Nihil imputemus austris“ cet. Imprudenter etiam Kircherus (Oedip. II. II. 417.) barbara nomina esse scribit a Brancho, vate Milesio, pronuntiata haec: „Cantetis pueri Heus Haecaergon atque Haecaergon“ haud scilicet memor *ἑκάεργον* cognomen esse Solis.

Quae Tu vero (p. 51.) in medium protulisti verba *βαλ*, *βελ*, *βαλην* (l. balin) et *ελ*, ea vere barbara sunt, nec Graeca, nec Romana. Bal Hebraeis ac Phoenicibus בַּעַל, Bel Chaldaeis et Syris בְּעֵל, Babyloniis בֵּל est Dominus: Belin autem eiusdem nominis pluralis numerus, maiestatem significans, בעלין, sicut אלהין. Quod ad *ελ* (p. 51.) attinet, Servium (ad Aen. I. 642.) Seldenus (de diis Syris II. p. 197.) eodem quo Tu modo correxit. Sed an vera alterius loci, ex quo alterum corrigendum esse censetis, lectio sit, adhuc

dem cuius partis oculum sordicula aliqua fuerit ingressa, percurrens et pertractans oculum, ter dices:

tetunc resunco, bregan, gresso.

ter deinde spues terque facies. Item — ter carmen hoc dices et totiens spues:

iumon dercomarcos axatison.“

ambigitur. In eo enim, quo utor, Virgilii exemplo, cum Servii commentariis Basileae a G. Fabricio edito, ambobus locis scriptor ille sibi constat. Primo enim lego (v. 642. p. 228.): „Solem colunt, qui ipsorum lingua Hel dicitur, unde et Helios“: altero (v. 729. p. 239.) „Solem dicunt, — unde et lingua Punica Hal dicitur Deus; apud Assyrios autem Hel dicitur“. Iam vero Hel ipsum אֵל est, Chaldaeis et Hebraeis Deus, quod plerique ab איל vel אול deducunt. Equidem, diversam scribendi rationem (ita enim אם etiam et עם, אגם et עגם) non curans, אֵל, quod Deus et עָל quod Altum sonat, quorumque hoc eodem sensu ab Aegyptiis Memphitica dialecto *ολ*, Sahidica *αλϵ*, scribitur, ab una eademque radice primitus descendere arbitror. Nec mirum, Solem tum Deum, tum *κατ' ἐξοχὴν* Altum vocari. Ab hoc igitur verbo Servius non solum Graecum *ἥλιος* ducit, sed etiam, addito digammate, nomen proprium regis Beli. Graeca autem hac voce adhibita noster nil aliud dixisse videtur, quam ab aucta vocis Hel adspiratione originem demum traxisse nomen Bel. Quae quidem nominis derivatio verane sit an falsa hoc loco disquirere nil attinet. [5])

Certe nec Graecis, nec Romanis, ignotas fuisse barbarorum linguas, saepenumero vidimus. Quare miramur fuisse philologos, qui quum Poenuli

5) Damascius in Bibl. Photii p. 1050. *Φοινίκες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἧλ καὶ Βὴλ καὶ Βολάθην ἐπονομάζουσι.* Laudat locum Wesselingius ad Diod. Sic. II, 30. De quo loco Valckenarius Diatr. de Aristobulo p. 15. scribit: Apud Diodor. Sic. I, p. 143, 85. quam Stellam Graeci *Κρόνον*, Chaldaei *καλοῦσιν ἥλιον*. ubi *Ἷλον*, aut *Ἦλον*, scribatur, an cum Wesselingio *Βῆλον*, perparum refert etc. Cf. Diod. Sic. II, 8—9.

Plautini locum, a librariis insuper corruptum, explicare non potuerint, persuadere nobis vellent, nihil significantia illa verba esse, et ioci causa a poeta conficta, ab ipso igitur auctore haud intellecta, ne dum ab aliis! Quid ita? Adeone peregrinarum linguarum ignaros fuisse Romanos credamus? Nonne Magi Poeni libros Carthagine deleta in Latinam linguam iam transtulere? Nonne omnes linguae Punicae peritos Romanus praecessit Decius Silanus, a clarissima familia oriundus? Nonne Hannonis commentarios a Romanis pervolutatos esse testis est Plinius, qui idem lingua Punica גדר sepem significari scribens, nec se ipsum huius linguae prorsus ignarum fuisse, declarat. — Graecos quod attinet, perlectis quum aliis, tum iis, quae a Te (p. 51.) laudata sunt, nuper incidi in versus (ex anthol. ed. Iacobs. I. p. 38.) hos:

„Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ Σελομ· εἰ δ' οὖν σύγε Φοίνιξ
„Αυδονις· εἰ δ' Ἕλλην, Χαῖρε. Τὸ δ' αὐτὸ φράσον".

quibus haud dubie elucet, poëtae cognita fuisse barbara verba שלם et אדוני. Vana autem fuit contentio doctorum huius loci interpretum de verbi Σελομ tum Hebraea tum Syriaca pronuntiatione. Namque non Syri solum, sed ipsi etiam Iudaei Syrorum nomine interdum designantur: Σύρους τοὺς ἐν Παλαιστίνῃ Herodotus memorat, quo etiam loco usus est scholiasta ad apocrypha Iobi libri additamenta (Fabricii cod. pseudep. V. T. 795.).

Quod Blomfieldius exclamationem εὐοῖ (p. 52.) ab Aegyptiis repetendam esse ait, hanc ego coniecturam non omnino reiiciendam esse arbitror. *OI* enim eorum lingua τῷ εἶναι respondet, unde *EIOI* significat Esto et *EYOI* Sunto!

Sed quousque tandem, mi Huschke, abutar patientia Tua? Hoc unum addere liceat, Te (p. 73.) versuum similiter desinentium compositionem omni quidem iure ab anteriori tempore, quam vulgo fit, repetiisse; sed haud Tibi innotuisse Birgeri Thorlacii de ea re commentationem, opusculis eius academicis (T. IV. p. 34 sequ.) insertam: quem quidem librum in Germania raro obvium mihi dono dedit vir humanissimus, quum nuper Havniae essem. In fine addit, id quidem effecisse se sibi videri, ut pateret, Graecis Romanisque illud versuum genus minime ignotum fuisse, sed eos istam soni paritatem ceu mollem et inanem tinnitum plerumque sprevisse. Haec ille, quem verum vidisse et cuius argumentis addi posse censeo quae sequuntur. Primum ipse Cicero ad Herennium (IV. 20.) de partibus orationis scribit: „Similiter desinens est, cum similes exitus sunt hoc pacto: Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Vivis invidiose, delinquis studiose, loqueris odiose“ — Atque haec vera sunt similiter desinentia, a quibus omnino differunt eodem auctore similiter cadentia: quare perperam philologi, ipsique lexicographi, Germanicum Reime vertunt: versus similiter cadentes. Si quis vero illa exempla ex soluta tantum oratione esse dixerit, legat apud eundem Ciceronem (Tusc. qu. I. 28.) versus hos:

„Caelum mitescere, arbores frondescere,
Vites laetiscere, pampinis pubescere“:

et paulo post (35):

„Haec omnia vidi inflamari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari“.

et apud Virgilium (Aen. III, 549.):

„Cornua velatarum obvertimus antennarum“

ut taceam Ovidii (art. am. I. 59.):

„Quot caelum stellas tot habet tua Roma puellas“;

hunc enim versum atro carbone notarunt critici.

At nunc profecto peropus est calami impetum illico cohibere. Vale igitur, mi Huschke, et quos Rostochii veros cognovi amicos omnes etiam atque etiam valere iube.

Dabam Mannhemii die XXIX. mensis Ianuarii anno MDCCCXXV.

Ulricus Fridericus Kopp
Hassus Casselanus.

EPILOGUS

DE

EPIGRAMMATE VIRGILII

IN

C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Tau Gallicum a Britanniae fluvio Taum longius petitum mihi quidem videtur, ait eruditissimus epistolae auctor p. 359. Est etiam qui tempora me confudisse scribit, censor Gottingensis: sero enim Romanis innotuisse aestuarium Taum per Agricolam. Equidem crediderim, loca litoralia, vicos, urbes, aestuaria vicinarum gentium nautis piratisque diu ante innotescere quam ab ullo exercitu peregrino attingantur. Ergo etiam aestuarium Taum vel Tavum, credibile est, Gallis nomine notum fuisse ante Agricolae in has regiones adventum et per C. Annium innotuisse Virgilio. Sed hanc interpretationem statim abieci, postquam Koppius admonuit consuetudinis Gallicae, qua litterae B et V permutari et confundi solent. Cuius scripturae vestigia magno numero impressa sunt Glossariis, a Stephano et

Labbaeo editis, v. c. Σῆψις, Tavus, Marcor. — Tauo, σήπω. Tavus, σῆψις. Qua de re lepide Stephanus in Praef. scribit: In utroque Glossario — littera B locum litterae V pro consonante positae usurpat: aut vicissim littera V locum litterae B veluti quum Berbex et Verbix pro Vervex, Benenum pro Venenum, Proterbus pro Protervus: vicissimque Vitumen pro Bitumen, Vivices pro Vibices, Venavulum pro Venabulum legimus. Sed hoc vitium in Florentina quoque Pandect. editione extare scimus: ac memini me et in quibusdam aliis vetustis codd. observare: quos propterea Vasconis alicuius manu scriptos esse iocabar. Scimus enim nostros Vascones hoc vitio misere laborare.— Sed consuetudo huius scripturae sine dubio altius repetenda est, commemorabilis illa etiam propterea quod dubia reddidit quaedam nomina, vel praenomina, v. c. Bassi grammatici, qui per totum Gellii volumen scriptus reperitur Gabius Bassus, per totum contra Macrobii Gavius Bassus. Sic Balerius in Argonauticis laudatur ab Appuleio de Orthographia p. 134. ed. Mai. et nebuli pro naevuli reperiuntur apud Appul. de Mundo T. II. p. 298. Oudend. ubi videndus est cum Vulc. Lipsius. Immo vox ipsa, de qua nunc in primis agitur, tabum, scripta exstat tauum apud Pompeium Commento Artis Donati p. 92. „Inveniuntur nomina — ubi unus sit tantum (casus): sponte, natu, tauo, dicione.“ Ad quem locum Lindemannus scribit: „Tauo. Aperte falsa haec scriptura, quam expressi, in codice est. Apogr. recte: tabo.“ Vel sic tamen nemo facile negaverit, fieri potuisse, ut Annius Cimber scriberet Tavum pro Tabum, deinde more antiquis usitato unam abiiceret vocalem ut superesset Taum, (sicut v. c. boum pro bovum, denuo pro denovo) quod scribi etiam potuisse infra demonstrabitur Taū, utque adeo Virgilius, imitatus hoc genus scribendi, Annium ipsum diceret Tau Gallicum, non eo sensu quem expressi in Comment. p. 37. sed eo, quem nunc cum maxime tueor ac defendo. Quo nihil dici fingique posse epigrammati Virgiliano convenientius vel ex opposito apparet. Quid enim melius sibi respondeat quam Attice febris et tabum Gallicum? Hinc igitur non discedendum, hoc unice retinendum arbitror.

Iam quae huic locutioni appositae sunt syllabae Al, Min, alius fortasse aliter explicare, sollicitare et immutare nemo unus poterit. At enimvero spinae, quae sequitur,

contraria sunt omnia, si discedas ab opinione censoris Gotting. qui hanc lectionem propterea ferendam esse negat, quod spondeus in pari loco senarii metro repugnet. Quae observatio rursus non cadit in senarios latinos, qui spondeum in omnibus locis, praeter ultimum, admittunt. Terentianus M. vs. 2232. Hermann. Elem. Doctr. Metr. p. 141. Nec ego lectionem spinae — illisit pro vera vendidi sed, quum exstare viderem spinae in quamplurimis, illisit autem vel illi sit in omnibus Quinctiliani edd. quem huic formulae sensum inesse voluerint, qui eam intulere, divinando assequi conatus sum: rectene an secus, nihil ad rem. Nam scriptura huius hemistichii haud dubie corruptissima est. Ac spinae quidem, alienissimae ab hoc loco vocis, originem manifestam video.. Fuerunt enim, quod nemo animadvertit, qui pro Attice febris vs. 3. legerent Attice vepres; quam lectionem deprehendi in Quinctil. ed. Venet. 1512. cum annotationibus Raphaelis Regii, quae habet Attice fepres, sine dubio pro vepres, speciosam sane per se lectionem et ab huius epigrammatis acumine neutiquam abhorrentem. Obstat ei tamen, quod nominativus vepres apud eos, qui aetatem tulerunt, scriptores classicos nondum, quod sciam, repertus est: nedum vepris, quam formam Bentleius obtrusit Horatio I. Carm. 23. 5. Conf. Priscianus p. 613. et p. 658. Illa igitur Attice vepres, cui nunquam locum suum concedet Attice febris, originem dedisse videtur spinae, evellendae simul cum illa vel propterea, quod haud dubie obruit unam et alteram vocem monosyllabam, quae maxime desiderantur. Nam Tau, Min, Al, ad meum quidem sensum, non sufficiunt. Atqui unam eiusmodi vocem Ausonius, alteram codd. Quinctiliani suppeditant. Ausonium nemo observavit tribus illis vocibus vel syllabis quartam adiicere, hoc loco commode inserendam Id. XII, p. 171. ed. Scalig.

Dic quid significent catalecta Maronis? in his Al
Celtarum posuit: sequitur non lucidius Tau.
Estne peregrini vox nominis an Latii Sil?
Et quod germano mistum male letiferum Min.

Hoc sil vel sili gr. σίλι, σέσιλι, (seselis Cicer. N. D. II, 50.) epigrammati Virgiliano egregie convenit, quandoquidem inter varia genera Gallicum laudatur a Plinio H. N. XXVII, 28. et a Marcello Empirico c. 27. p. 103. Accedit, quod in primis advertendum, in vetustioribus qui-

busdam Quinct. cdd. claris litteris legi sil, affirmante Burmanno: unde is, quem dixi, censor formavit simil, lectionem nullo modo probabilem. — Alteram vocem monosyllabam, quam quaerimus, non quidem tam confidenter, sine magno tamen errandi periculo assumere possumus e codd. Quinctiliani, qui raro consensu offerunt ehim vel enim, hoc est, nisi fallor, im vel em pro eum. Comment. p. 57. — Quod sequitur male nullam plane iniicit mendi suspicionem et confirmatur etiam ab Ausonio. At illisit, quod versum claudit, mihi crede, corruptissimum est. Ab huius verbi emendatione pendet, nisi omnia me fallunt, totius epigrammatis lepos et acumen. Quod anteaquam corrigere coner, monendum est universe, litteras omissas ab antiquis scriptoribus et librariis notatas esse figura quadam, quae dicebatur sicilis vel sicilicus. Mar. Victorinus p. 2456. „Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius et caetera his similia, sed supra litteram, quam geminari oportebat scilicet, Sicilicum imponebant, cuius figura haec est ͗ quod erat signum geminandi: sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris. Sic locum hunc expressit Putschius, scilicet, Sicilicum. Emendo Sicilem vel Sicilicum. Et Sicilem quidem Osannus etiam infert Analectt. Critt. Poes. Rom. Scaen. p. 16. idem tamen Sicilicum reiicit p. 13. invito Isidoro p. 840. et Victorino ipso p. 2468. adde etiam, Gesnero in Thes. L. Lat. qui simul docet, quod Victorinus ipse demonstrat, signum illud, cuius figuram nusquam se traditam reperisse ait Osannus, (poterat reperire vel apud Seyfertum, perdoctum Grammaticum, I, p. 209—212.) nihil esse nisi quod Comma vulgo vocatur, factum a κόπτω, sicut Sicilis a sica pro falce, qua foeniseces gramina, Annius veneficus simul et rhetor, verba pariter et gramina decurtabat, illis lectores his fratrem enecans. Annius igitur decurtata sua verba nimis frequenter ominosa illa falce ͗ notans, eamque pro re nata nunc imponens nunc apponens verbis suis, ingeniose a Virgilio dicitur verba sicilire, tamquam herbas, eoque ipso sibi familiari signo se prodere fratricidam. Et hanc emendationem (quantulum enim interest inter illisit et sicilit, primum corrupte scriptum, ut solet, sicilicit, deinde mutatum in sic — illisit?) mirum in modum adiuvat species verbi frequentativa sicilissitare, qua utitur Plautus Men. Prol, 12.

de sermone Siculo, qui in primis designabatur in Commentatione. Perperam ibi quoque vulgo editur Sicilicissitat, sicut perperam alibi scribitur Sicilices pro Siciles. Nam sicilicula Plauti Rud. IV, 4, 125. formata est a sicilico. Optime omnium vocis huius scripturam et figuram demonstrat Plinius H. N. lib. VI, 15. de Caspio mari scribens: ubi coepit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus — sicilis, ut auctor est M. Varro, similitudine.

Sed Mario Victorino obloquitur Marinius in Atti o Monumenti de' Fratelli Arvali P. I. p. 30 et 39. aitque, eum minime distinxisse lineolam illam, quae litteris vocalibus ad consonantes m et n indicandas superponebatur tali pacto Cōiux, Mēses, Parentū, ab altera nota, nempe sicilico, quae supra litteram u tunc imponebatur quum eam vel geminare vel per duas vocales ou efferre solebant veteres, quemadmodum Fu̓nus, Mu̓sa, Su̓ra — interprete Caietano Cognolato v. Sicilicus. Quibus apponere iuvat verba Marinii ipsa: Temo poi che Vittorino abbia confuso la lineetta indicante duplicazione di consonante con quell' apice, o accento, formato appunto come il sicilico, il qual sopraponevasi tal volta alle voci, che ne' tempi più vecchi si era usato di scrivere con doppia vocale, o col l' OV (v. una lettera di A. Agostini nel T. II. degli Aneddoti Romani p. 321.): RV̓FA, SV̓RA, SV̓TORIVS, FV̓RIVS, PHILOMV̓SVS sono gli esempi, che di tal sicilico diedi ne' marmi Albani (p. 84.), vi aggiungo ora il FV̓NVS del Fabretti (c. III. n. 314.), il MV̓SA delle medaglie della Famiglia Pomponia, un altro SV̓RA inciso sopra una carniola, che impressa in zolfo vidi nella Biblioteca Barberini, e il IV̓LIO di questa base inedita del Museo Vaticano.

DIVO· IV̓LIO· IVSSV
POPVLI· ROMANI
STATVTVM· EST· LEGE
RVFRENA

Haec ille. E contrario Dausquius ne unam quidem vocem sicilico notatam in Veterum monumentis reperisse fatetur, scribens p. 171. „At mirum in antiquis Marmoribus Libris-

que et Inscriptionibus nullum Sicilici hodie legi vestigium; ne in Duillii quidem Titulo, in quo CLASES, NVMEI absque Sicilico. In Nummis PILIPVS. Anne quia maiusculis literis Notae et Sicilicus disconveniant?" Non hanc ob causam, sed propterea quod vocibus illis nulli imponi solebant sicilici, (nec ubique reliquis), teste Marinio. Cuius quidem rationi obstare videtur auctoritas Isidori p. 840. 18. facientis cum Victorino. Sed lapides et aera loquuntur et testimonium Velii Longi, accedentis Marinio, p. 2237. Nisus, ait ille, auctor est, comesae et esuesae (comese et assuese) per unum s scribamus: et dicit rationem, quia iuxta productam vocalem consonans progredi non soleat, et quoniam antiqui non geminaverint s, sed loco geminationis notam superposuerint. (plane ita scribit Isidorus, qui hanc notam falso sicilicum vocat.) in quibus error eius manifeste deprehenditur: nam geminare Consonantes productis Vocalibus iunctas usus ostendit, in quo dicimus etiam errasse, saltasse, abiecisse, calcasse. — Illo vero argumento, quo dicit notam solitam superponi, ostendit, in enuntiatione solere geminari. Et quid iam interest utrum notam an litteram ponas, cum alterutrum tibi necessitas exprimat? — Pertinet igitur sicilicus tantummodo ad vocales longas, in scribendo deminutas, adde etiam, contractas e duplici in unam v. c. min pro mihine, nil pro nihil. Quae si vera est ratio, ut inscriptiones evincunt, Annius pro Tavum, eiecta una vocali, scribere potuit Taum, atque adeo Tau, pro mihine min, sicut nil pro nihil; non negligens caeteroquin in fine verborum apocopae signum, ut plena omnia essent sicilicorum vel falcium. Et has fortasse siciliculas vocibus illis ipse apposuit Virgilius. Quibus omissis epigramma eius nunc ita legendum esse censeo:

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor: namque quatinus totus
Thucydides Britannus, Attice febris,
Tau Gallicum, min, al, sil, im male sicilit,
Ista omnia ista verba miscuit fratri.

ADDITAMENTA AD CATULLUM.

Tria menda typographica — plura enim in Catullianis nondum animadverti — supra iam in transcursu correcta sunt p. 57. p. 60. p. 66. Adde p. 76. σv-vovσίας pro σvv-ovσίας.

Pag. 46. In Catulli carmine XXI, 9—12. data opera scripsi *Ieiunus* puer, ex emendatione mea. Nihil enim sani inest Codd. Variantibus. Cod. Laur. XI. Guelf. C. Paris. *Naemeus* vel *Nemeus puer* habent. Reliqui *Me me, Mi meus* et caetera his similia. Hinc formavi *Ieiunus*, cui respondet vs 9. *satur*. Nolebat autem Catullus puerum ieiunitatis patientem, quia ieiuni animam insuavem spirare dicuntur, quod graece est, νηστείας ὄζειν. Qua de re agit Aristoteles Probl. Sect. XII. Quaest. 7. quem locum illustrat Victorius Var. Lectt. IV, c. 2. Phrynichus Arab. apud Bekker. Anecd. Gr. Vol. I, p. 50. Νῆστις ὀσμή· ἡ ἐκ τῆς ἀσιτίας τοῦ στόματος δυςωδία. Plautus Merc. III, 3, 13.

Ieiunitatis plenus, anima foetida,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?

Pag. 51—53. Huc pertinet scriptura Cod. vetustissimi Vatic. quo continentur Ciceronis orationes, notata nuper a Niebuhrio, viro illustri, ad orationum pro Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta p. 110.

„*i* pro *ii (gen. sing.)* Pompei, Fontei, Publi Nerati, Maeandri, imperi, aerari. — *nom. plur.* soci, pecuari, Di, idem, i — *Dat. pl.* Dis, is, isdem, periuris, Fufis, Hispanis, hostis, iniuris, sententis, vigilis. — *Alia:* subiciens, obiceretur, redit, abit.“

Pag. 62. Catulli carmen XII, 8. est enim leporum Disertus *puer* ac facetiarum. Ridicule Passeratius et Vossius hoc loco emendant *Disertus* pro *Dissertus*, nec melius alii, ut Handius, praeferunt *pater*, quam lectionem dixeris Verburgianam. Una est verissima lectio *puer*, unde pendent genitivi *leporum* ac *facetiarum*. Cicero pro

Rosc. Amer. 41. litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut inter suos *omnium deliciarum* atque *omnium artium puerulos,* ex tot elegantissimis familiis lectos, velit hos versari homines paene operarios, ex Amerina disciplina patrisfamiliae rusticani. Horatius IV, 1, 13. de Paullo Maximo:

Namque et nobilis et decens,
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et *centum puer artium,*
Late signa feret militiae tuae.

AD PROCOPIUM.

Pag. 74. lin. 14. *ἀλλ' ὅτι ἐνταῦθα παντάπασιν περιέναι οὐδενὶ ἔξεστιν.* Non debebam dubitanter apponere, *παριέναι,* quae certa est emendatio. Herodot. V, 72. *οὐ γὰρ θεμιτὸν Δωριῆα παριέναι ἐνθαῦτα.*

Ib. lin. 22. *κατὰ μίαν.* Thucyd. II, 90. Anecd. Gr. Bekk. Vol. I. p. 108. 9. *Μίαν μίαν· ἀντὶ τοῦ κατὰ μίαν. Σοφοκλῆς Ἔρισι.* Conf. Lexic. Sophocl. p. 731. ibique Brunck.

ADDITAMENTA ET EMENDATIONES AD CICERONIS ORATIONEM PRO TULLIO.

Cum commentariorum nostrorum plagula fere quarta typis impressa esset, opportunitate data peregrinationem suscepi in Britanniam et Galliam, domumque redii tum demum, cum novissima iamiam sub prelo sudabat plagula. Quo quidem ex itinere ut multos percepi etiam ad Latinas litteras spectantes fructus, ita illud mihi inde accidit incommodi, quod eam ob caussam plagularum longe maiorem partem, dum imprimitur, ipse corrigere non potui, unde (quod aegre fero) haud exigua mendorum typographicorum multitudo irrepsit. Quorum quae invenire potui iam indicaturus, hac dicendi occasione simul ad hoc utar, ut etiam quae a me prius imperfecte aut minus recte exposita sunt, ea nunc suppleam atque emendem.

Pag. 81. v. 16. Magnopere laetor, iam ipsum Beierum, virum eruditissimum, a Friderico Haenelio ICto admonitum, errorum suorum in explicanda huius orationis iurisprudentia commissorum bonam partem agnovisse et correxisse in Commentatione, quae inscribitur: *Iurisprudentia in Ciceronis oratione pro Tullio accuratius exponitur interprete Carolo Beiero* et exstat in Jahnii Annalibus philolog. et paedagog. a. 1826. Tom. I. p. 214-220. Et quamvis hic quoque nonnulla erraverit vir philologus magis quam ICtus et ab ipsis ICtis interdum male edoctus (e. g. de M. Claudio §. 29., de vacua possessione, evictione, deductione, Luculli edicto, taxatione aliisque), tamen quoniam haec partim sunt minoris momenti, partim ex iis, quae nos in commentariis diximus et excursibus, facile deprehendi et corrigi possunt, specialiter hic de iis dicere necessarium non duxi.

P. 98. v. 5. pro *ut* lege: ut. — Beierus Commentatione laudata p. 219. orationis exordium nunc ita restituit: *Antea sic hanc causam* AGGRESSUS *ERAM* (vel *FUERAM*) *Reciperatores;* sed hoc quoque contra Peyronianam codicis imaginem.

P. 99. v. 21. Hunc codicem, incredibiliter corruptum iam ipse inspexi, et quanquam quae in eo reperi spem, quam de iis animo conceperam, aliquatenus fefellerunt, tamen quoniam idem opusculum, ex quo illa Gracchi et Scipionis fragmenta sumpta sunt, etiam in aliis duobus codicibus, quibus primus multis locis adiuvatur, forte inveni, omnia descripta, ut primum otium dabitur, componam publicique iuris faciam.

P. 106. v. 9. Hic praetermittenda non erant Plinii verba ex Epist. 6, 2. *Equidem, quoties iudico, quod saepius facio, quam dico, quantum quis plurimum postulat, aquae do. Etenim temerarium existimo divinare, quam spatiosa sit caussa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignores; praesertim cum primam religioni suae iudex patientiam debeat, quae pars magna iustitiae est. At quaedam supervacua dicuntur: etiam; sed satius est et haec dici, quam non dici necessaria. Praeterea an sint supervacua, nisi quum audieris, scire non possis.* — Ex tota vero epistola patet, hanc in patientia conspicuam iustitiae partem, quam maiores strenue tenuerant, Plinii temporibus subinde desertam esse.

P. 107. v. 22. post: imperio adde: Plinius enim Epist. 4, 9. adhuc scribit, actionem suam, cum Bassum, repetundarum reum defenderet, noctem diremisse.

P. 110. v. 12. ab ult. pro: occurrunt l. occurrunt.

P. 121. v. 18. His locis adde Valer. Prob. de not. Rom. in nota: I. FO. POP. *In foro populi vel Pompilii vel Popilii.* Item Not. iur. a Magnone collect.: I. FO. POP9 *In foro populi.* Et Petr. Diacon. de not. literar. I. F. POP. *In foro Pompilii, vel Pompeii, vel Popilii, vel Populi.* Orellius in sua orationis pro Tullio editione (Cic. Opp. Tom. II, p. 385.) posuit: *Popiliana,* ratione addita, quia fundi plerumque a possessoribus nomina acceperint; quod ut verum est, ita fallitur aperte vir doctissimus, cum ibidem in Gruter. Inscript. p. 209, 2. *K. Oppiana, K. Postumia* etc., quas exempli gratia affert, interpretatur: *Centuria Oppiana, Centuria Postumia.* Sola enim vocabula a CA auspicantia per K litteram notantur. Igitur in illis inscriptionibus intelligendae sunt *casae,* de quibus vid. Goes. rei agrar. auct. p. 220 — 246.

P. 126. v. 5. ab ult. pro: *eiusmodi ho*|mine l.: *ho*| mine eiusmodi.

P. 129. v. 18. pro: apprehensa l.: apprehensae.

P. 130. v. 11. ab ult. pro: c. l. med. l.: c. 1. med.

P. 130. v. 23. ab ult. pro: id, hoc loco l.: id hoc loco.

P. 131. v. 16. ab ult. pro: repitita l.: repetita.

P. 132. v. 6. pro: inferri l.: referri.

P. 133. v. 19. ab ult. pro: posuit. Philipp. l.: posuit Philipp.

P. 135. v. 7 et 8. pro: Facit hoc Cicero pro M. Tullio l.: *Facit hoc Cicero pro M. Tullio.*

P. 137. v. o. pro: fecisse dicit? Quomodo? l.: fecisse dicit. Quomodo?

P. 140. v. 15. pro: Intelligit l.: Intelligis.

P. 141. v. 20. ab ult. pro: quod L. 2. l.: quod in L. 2.

P. 141. v. 14. ab ult. pro: codiee l.: codice.

P. 144. v. 11. ab ult. pro: ESSET." Vid. l.: ESSET. Vid.

P. 144. v. 10. ab ult. pro: §. 53. l.: §. 53."

P. 145. v. 8. ab ult. pro: *****CLAUDIO*U*** l.: *****CLAUDIo*U***.

P. 147. v. 7. pro: VI l.: VI et sequenti versu pro: FACTUM l.: FACTUM. — Hoc loco nollem Beierus Comment. laud. p. 218. persuaderi sibi ab Haenelio passus esset,

pro *factum* legendum esse *datum*. Neque enim est, sed fingitur illud discrimen inter damnum *factum* et damnum *datum*. Caeterum videsis adnotationem meam ad h. l. Non minus ibidem perperam suspicatur legendum PARERET pro PARET, quod monuisse sufficiat.

P. 148. v. 8. ab ult. pro: Ita — versum l.: „Ita — versum."

P. 149. v. 20. dele verba: quod — existimavit.

P. 152. v. 4. pro: obiitterata l.: oblitterata.

P. 152. v. 25. pro Captio l.: Captiv..

P. 153. v. 2. Orellius §. 36. (l. c. p. 389.) pro: *cum summa re* ex coniectura legit: *cum summa republica.* Perperam; etenim *summa res* idem significat quod *summa respublica* uti ad Virgil. Aen. 2, 322. observavit Servius. Pro Rosc. Amer. 32. Cicero dixit *summam rerum* administrare, eodem sensu.

P. 155. v. 16. post: usurpatum adde: praeterquam L. 1. §. 11. D. de itin.

P. 156. v. 1. Orellius §. 38. (l. c. p. 389.) legit: *addiderit*, quod et ipse ante conieceram, sed admonitus, consecutionem temporum plus quam perfectum postulare, in *addidisset* mutavi.

P. 156. v. 9. pro: ubi de tribuno l.: ubi de iudicio a tribuno.

P. 157. v. 11. ab ult. pro: *E***S*S l.: .E***S*S.

P. 157. v. 10. ab ult. pro: restituit. detrusus l.: restituit: detrusus.

P. 157. v. 8. ab ult. pro: Ligur. l.: Ligar.

P. 158. v. 16. pro: ad l.: *ad.*

P. 160. v. 12. ab ult. pro: iure fuisse l.: iure factum fuisse.

P. 163. v. 18. ab ult. pro: factum esse l.: factum non esse.

P. 164. v. 6. pro: *Cum* l.: *Quod.*

P. 170. v. 18. ab ult. pro: mississent l.: misissent.

P. 170. v. 16. ab. ult. dele virgulam post: tempus.

P. 171. v. 12. ab ult. pro: in hoc voce l.: in hac voce.

P. 173. v. 4 et 5. Veram emendationem huius Serviani loci: *pro capite occisi et natis eius in cautione offerret arietem* nunc demum deprehendi. Nam pro: *et natis* legendum: *agnatis*, probante hoc Catonis loco, quem Priscian. Art. grammat. lib. 6. p. 710. Putsch. servavit: *Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione*

proximus agnatus ulciscitur. Contra an verum viderit Scaliger pro: *in cautione* reponendo: *in concione,* adhuc dubito. — Eadem pagina v. 1. pro: videbatur. l.: videbatur."

P. 175. v. 12. ab ult. pro: ita quoque l.: *ita quoque.*

— P. 176. v. 13. ab ult. post: nisi dele virgulam.

P. 179. v. 12. ab ult. pro: trudicaret l.: trucidaret.

P. 182. v. 7. pro: oppoguasse l.: oppugnasse.

P. 183. v. 3. ab ult. pro: et l.: ut.

P. 190. v. 11. post: coegit dele virgulam.

P. 193. v. 18. ab ult. pro: vi an et dolo malo l.: *vi an et dolo malo.*

P. 195. v. 17. pro: distractum l.: destructum.

P. 200. v. 11. ab ult. pro: liceret. Porro l.: liceret, convenerit. Porro.

P. 204. v. 9. pro: aestimatam l.: aestimatum.

P. 207. v. 6. post: raptorum pone virgulam.

P. 213. v. 16. pro: *Καρχηδόνιος* l.: *Καρχηδόνιος.*

P. 225. v. 15. pro: refert l.: refert 4, 46.

P. 226. v. 6. post: z pone punctum.

P. 228. v. 16. ab ult. pro: Lactan. l.: Lactant.

P. 238. v. 11. ab ult. pro: Praeterea ponamus l.: Praeterea si ponamus.

P. 249. v. 3. ab ult. pro: multitia l.: multatitia.

P. 254. v. 2. pro: *tagesco* l.: *tageso.*

P. 258. v. 12. post: similibus pone virgulam.

P. 268. v. 17. ab ult. pro: qui cum l.: quicum.

P. 270. v. 17. pro: taxandi l.: taxanda.

P. 271. v. 7. ab ult. pro: quanti — Item l.: quanto reum eo nomine pro fure damnum decidere oporteat. Idem. — Verba enim illa: *(pro fure) damnum decidi oportere* sunt legitima in formulis poenalium actionum (vid. L. 61. §§. 1. 2. 5. D. de furt. Gai. 4, 37. 45.) et ad illud tempus respiciunt, ubi, ni pacisceretur reus, ultione privata iniuriae vindicabantur. Cf. Gell. N. A. 20, 1. Pro *decidi* vero Plin. H. N. 18, 3. dixit: *noxiam (duplione) decerni.*

P. 272. v. 6. dele: ipse.

P. 286. v. 14. ab ult. pro: visum esse, populi l.: visum esse, provincias contra eos populi.

P. 288. v. ult. dele: ab.

INDEX SCRIPTORUM

QUI VEL ILLUSTRANTUR VEL EMENDANTUR.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

ROSTOCHII
EX OFFICINA ADLERIANA
MDCCCXXVII.